DE GENERIS HUMANI CONSENSU
IN AGNOSCENDA DIVINITATE
OPUS METAPHYSICUM, CRITICUM, ET HISTORICUM,

IN QUO PLURES RECENTIORUM INCREDULORUM, PRAESERTIM PETRI BAYLII, CONFUTANTUR ERRORES, AC PLURIMI ILLUSTRES VIRI, PLURIMAEQUE GENTES TUM VETERES, TUM RECENTIORES AB ATHEISMI NOTA VINDICANTUR.

CONSCRIPTUM

AB ALOYSIO BRENNA ROMANO S. J.

IN FLORENTINO EJUSDEM SOCIETATIS LYCEO

PHILOSOPHIAE PROFESSORE.

D I C A T U M

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. RODULPHO AEMILIO MARIAE

B R I G N O L E S A L E

SERENISSIMAE GENUENSIS REIPUBLICAE

PROCURATORI PERPETUO &c.

V O L U M E N P R I M U M.

Bibliotheca Secreta Coll. Rom. Soc. Jesu

FLORENTIAE MDCCLXXIII.

TYPIS REGIAE CELSITUDINIS APUD CAJETANUM CAMBIAGI

SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISS. ATQUE EXCELLENTISS. VIRO

RODULPHO AEMILIO MARIAE
BRIGNOLE SALE

SERENISSIMAE GENUENSIS REIPUBLICAE
PROCURATORI PERPETUO.

ALOYSIUS BRENNA S. P. D.

CUM ego qualecumque hoc Opus de Generis Humani Conſenſu in agnoſcenda Divinitate publici juris facere decreviſſem, an morem ſequi deberem jam uſque ab antiquiſſimis Aetatibus ductum Libros principum

quorundam Virorum nomine inſcriptos, & quaſi munitos edendi, diu multumque, Rodulphe Senator Ampliſſime, dubitavi. Nam & mihi, homini praeſertim in Litterarum, quae dici ſolet, Republica potius ignoto, quam novo praeſidium in alicujus optimi Viri de Republica eadem praeclare meriti auctoritate quaerendum eſſe videbam, & aliae quoque rationes obverſabantur animo, quibus conſuetudinem a Scriptoribus Graecis, & Latinis, quin & a SS. Eccleſiae PP. ſapientia receptam nullo modo deſerendam arbitrarer. At enim quantopere me pudor meus, ac timor quidam haud ita levis ab eadem deterreret, verbis explicare vix poſſum. Eo enim corruptis hiſce temporibus deventum eſſe non ſine animi dolore conſiderabam, ut gratiae aucupandae cauſa haud ita raro Libri dicentur hominibus, divitiarum quidem copia, vel etiam avita nobilitate claris, at neque ſcientiae praeſtantia, neque dignitate virtutis ipſi Populo anteponendis. Hos tamen leviſſimi quidam Scriptores in epiſtolis ad eos datis, ut Librorum ſuorum patro-

ci-

cinium ſuſcipiant, innumeris laudibus efferunt, hos virtutibus omnibus ornatos exhibent, hos mirantur, hos colunt, hos beatos, ac tantum non inter homines Deos appellare non dubitant. Hunccine morem ego, tacitus ajebam, imitari videar? Ego ne committam, ut aſſentator vocari poſſim, aut ſaltem id Lector aliquis poſſit etiam leviter de me ſuſpicari? Praeſtat eo praeſidio carere, quo mihi tantopere indigere videor, quam aliquid admittere hominis, qui ſe, ut caetera ſileam, Philoſophum profiteatur, gravitate prorſus indignum. Haec aliaque multa cogitanti mihi, atque animi vehementer pendenti conſilium illud tandem maxime placuit, quod optimis etiam aetatis noſtrae Scriptoribus maxime probari video: Ille nimirum inter principes etiam Viros Patronus optandus eſt, illius praeſidium exquirendum, illius imploranda clementia, magnanimitas, virtus, quem Patronum ipſa Philoſophia liberaleſque Artes nanciſci non dedignentur; Quem ſi laudibus omnibus ornaveris, nemo te reprehendere poſſit, quin inſcitiam potius ipſe

ſuam,

ſuam, aut levitatem oſtendat. Non enim, ſi minuti quidam Scriptores laudibus eos proſecuti ſunt, qui mereri potius illas, quam cupere debuiſſent, ideo graviſſimorum Hominum laudes Philoſophi ſilentio praeterire debent; quaemadmodum neque ſi liberalibus Artibus abuti nonnulli potuerunt, ideo liberales ipſas Artes eſſe deſerendas ſapientes exiſtimabunt. Haec me ratio, Rodulphe, maxime movit, ut hoc meum Opus Amicorum judicio potius, quam meo, habitum luce dignum, tibi cuperem inſcribi, atque, ut inſcribi liceret, magnopere curandum eſſe arbitrarer. Quis enim in iſta bonis Artibus aequiſſima Civitate, cujus Dux paucis ab hinc annis omnium ſuffragiis renunciatus Rei Genuenſium publicae tanta cum laude praefuiſti, negare unquam poſſit, in Te uno ea ſumma inveniri, quae rerum publicarum moderatoribus, ipſiſque Regibus communia eſſe, optare quidem, non tamen ſperare auſus eſt Plato? Nemo, inquam, niſi Genuenſium rerum ignarus, adulari me Tibi velle ſuſpicabitur, ſi Te nobiliſſima Familia natum, & omni-

bus

bus vel a Fortuna, vel a Natura muneribus inſtructum multo nobiliorem & liberalium Artium ornamentis, & caeteris animi virtutibus extitiſſe dixero. Nam & liberalium Artium, quas diligenter a teneris, ut ajunt, unguiculis coluiſti, tanto ſemper amore flagraſti, ut homines etiam illis addictos, ingenio, doctrinaque praeſtantes humaniſſima charitate complectereris: Et tuam in agendis rebus dexteritatem, in perficiendis conſtantiam, in providendis prudentiam, ſagacitatem, ſollertiam Civibus tuis, & ſapientiſſimo iſti Senatui vel maxime probaviſti. Illorum ſane temporum apud Genuenſes recordatio viget, quibus de graviſſimis rebus ad Carolum Sextum Auguſtum Legatus haud levem profecto vigiliarum tuarum, laborumque cepiſti fructum, tum, & Patriae conſulere tibi contigit, & Germanorum in te Procerum animos, admirationemque convertere, quin & Caeſaris ipſius judicio probari graviſſimo, & maximo. Iidem tui Cives memoria tenent, quanta olim fortitudine, ſapientia, fide, conſtantia labanti Patriae, quin & amiſſa

fere

fere libertate languenti, cum optimis aliis Civibus praeſto fueris, eamdemque pene ab interitu vindicaveris. Quis enim neſciat, quid Ioanni Franciſco Fratri tuo, fortiſſimo Civi, cum Reipublicae Dux quaſi clavo, difficili ſane, & periculoſo tempore praeeſſet, acceptum referre Genua debuerit? Aut quis ignoret, Ioannem eundem Virtuti tuae tantum tribuiſſe, ut ſemper in conſiliorum, atque laborum Te partem vocaverit, ac multa hortatu ipſe tuo perfecerit, multa item a Te perfici omnino voluerit? neque vero te diſſimilem Tui praebuiſti, cum tot, atque tam amplis perfungereris honoribus, quibus tantam ipſa Patria Virtutem omni tempore decoravit. Id enim Genuenſium omnium judicio confirmari ſentio: Te Civitatis lumen, ac decus ſemper, & majorum tuorum, quos Pietas ac Virtus magis etiam, quam antiqua generis Nobilitas commendavit, & Clariſſimi Fratris gloriae reſpondiſſe; Magiſtratus enim ita geſſiſſe, ac porro ita gerere, ut quidquid Pietas, quidquid Religio, quidquid Magnanimitas, Clementia, Liberalitas, &

Iu-

Iuſtitia, & Fides, & reliquae virtutes in hominem, qui caeteros imperio, & conſilio regat, conferre poſſint, in Te unum contuliſſe quodammodo videantur. Si haec, inquam, omnia non uno quaſi ore ampliſſima iſthaec Civitas teſtari ſoleret, ne, cum ea dicerem, aſſentari tibi viderer, fortaſſe vereri poſſem. Nunc cum ea univerſi Genuenſes, & multo majora dicant, & ſentiant, ne mihi tam turpis inuratur nota, neque poſſum vereri, nec debeo. Conquerantur igitur, per me licet, ſapientes quique Lectores, quod optima illa clariſſimis Viris Libros inſcribendi conſuetudo ab Aſſentatoribus pluribus foedum in modum corrupta, & depravata ſit. Nemo tamen, modo leviter ſapiat, aſſentari me dicet, ſi Te Patronum a me Libris meis optatum fuiſſe profitebor, quod unum ex principibus Italiae Viris eſſe te ſciam, qui, cum omni virtute floreas, & Philoſophiam poſſis, & Hiſtoriam, & Religionem ipſam pro tuo jure defendere. Illud igitur a Te per Animum hunc ipſum tuum tantis virtutibus ornatum, oro, atque obſecro, Rodul-

phe Sen. Ampliſſime, ut Libros meos, qui ſe jam in fidem, & clientelam tuam conferre geſtiunt, benigne recipias, & quam in auctorem litteris humanitate plenis nuper praetuliſti benevolentiam, ſemper praeferre velis. Vale.

Dab. Florentiae Nonis Januarii MDCCLXXIII.

AMICO LECTORI.

QUO tempore Chriſtiana Religio divino Servatoris noſtri ſanguine irrigata, praeſentique providentia ſemper exculta radices agere coepit, ex eo noſtri generis adverſarius vehementiſſime ſtuduit, eamdem omni ope convulſam, & omni fraude tentatam labefactare. Hac praecipue de cauſa cum non paucos homines graviſſimorum ſcelerum nexibus ſibi devinctos emiſit, qui varia ſpargerent ſemina errorum, vel per cuniculos, aut etiam aperto marte veracis Eccleſiae muros aggrederentur, tum monſtra neſcio quae protulit ex omnium vitiorum colluvione nata, quae nullius Religionis jugum ſubeundum, nulla recipienda, vel colenda ſacra, nullum eſſe Deum agnoſcendum, docere non dubitarent. Id enimvero noſtra praeſertim, & patrum, avorumque noſtrorum memoria factum accepimus, vehementerque doluimus. Athei enim plures a Spinoſae temporibus extiterunt, quam quos ex omnium hiſtoria ſuperiorum aetatum colligere poſſimus. Et illi quidem, propter inſignem, incredibilemque ſuperbiam ea inſania laborare, aut eo furore potius efferri ſolent, ut nobiliſſimum ſibi triumphum ex illa, quam tantopere moliuntur, Religionis ruina polliceantur. Quin & eorum aliqui jam tetros illos, horribileſque Lucretii verſus in ore habere videntur:

„ ...... *Relligio pedibus ſubjecta viciſſim*
„ *Obteritur, nos exaequat Victoria Coelo.*

 At

At quibus illi utuntur armis, ut tantam rem, tamque difficilem conſequi ſe poſſe confidant? Mendaciis nimirum, ac fraudibus, quibus omni quidem aetate pugnavit Impietas, ſed hac noſtra vel maxime, quam *Illuminatam*, vel etiam *Auream*, ſi Superis placet, appellari vellent quidam etiam e noſtris, ſaeculiſque retroactis omnibus anteferri. Quis autem illud non indigne ferat, Philoſophiam ab ipſis ad tam nefarios auſus juvandos vocari, atque adeo compelli, ut impio ſcilicet, ac teterrimo miniſterio matrona nobiliſſima polluatur, & nomen ſuum, ac dignitatem amittat? Philoſophiam, inquam, illam, a qua tot in hominum vitam, tamque praeſtantia commoda dimanarunt; quae bonarum artium inventrix, atque altrix; quae vitae, morumque magiſtra; quae pietatis mater olim, ac diſciplinae fuit; quae mentem proſperis in rebus immoderata quadam, & virtutis inimica geſtire voluptate non ſinit; quae adverſis perfugium, ac ſolatium praebet; quae adoleſcentiam alit, maturam regit aetatem, ſenectutem oblectat; quae denique tam incredibilem ſui amorem in graviſſimis excitavit hominibus, ut, ſine conſuetudine ipſius, ut ita dicam, ac familiaritate vitam profecto nullam eſſe, arbitrarentur. Neque tamen impium hominum genus tantummodo Philoſophiam, ſed & fidiſſimam illam Philoſophiae ſociam, & interpretem, nunciam vetuſtatis, ac veritatis lucem, Hiſtoriam graviſſima laedit injuria. Hanc enim etiam ſuis vellet impiis omnino ſervire conatibus, & invitam, reluctantemque vel maxime quavis ratione vexat, atque contorquet. Cum enim Athei recentiores ſuae ipſorum impietati Genus Humanum univerſum refragari audiunt, illico clamant, ut mihi quidem

dem furere videantur: primo quidem nihili totam eam auctoritatem eſſe faciendam; deinde ſuis a partibus potius antiquorum philoſophorum ſtare ſapientiam, plureſque noviſſimis detectas aetatibus vel in Aſia, vel in America Nationes. Ipſe Spinoſa, qui veterum philoſophorum libros, niſi forte quorumdam Arabum, numquam videtur attigiſſe, tamen in epiſtola ad Henricum Oldenburgium data, ſeſe apud eoſdem doctrinam illam didiciſſe gloriatur, quam ipſe poſtea tum clarioribus verbis expoſuerit, tum novis rationibus muniverit, tum geometrica, ſi ſuperis placet, methodo exornaverit; & in eorum auctoritate praeſertim deliteſcere curat, qui non alium Deum, praeter Mundum, videntur agnoſcere. Tolandus autem, cum in ſtultiſſimo libro, quo T. Livium a ſuperſtitione vindicandum aſſumpſit, tum in quodam tam ineleganti, quam impio carmine, quod Πανθεϊστικὸν, aut formulam Societatis Socraticae celebrandae illius diſcipuli vocant, non abſimilem Antiquitati, quin & ipſi Sacrae Scripturae injuriam irrogat. Hinc noſtris etiam temporibus, qui carmen illud in conviviis dociles modorum vatis Tolandi reddunt, dum ſeſe in merum ingurgitarunt, dum fumus capiti, numeruſque lucernis acceſſit, Socratis, Platonis, Ariſtotelis, Varronis, Tullii, Plutarchi, celeberrimorum uno verbo quorumvis inter antiquos nomina laudibus, aut inſanis potius vocibus extollunt, & ejus, quam ipſi profitentur, impietatis auctores, & aſſertores fuiſſe gloriantur. Similia ſcribit, ut alios omittam, Antonius ille Collinius, qui non aliam ob rem *cogitandi libertatem* ad inſaniam uſque videtur adamaſſe, quam ut ex ore Tolandi, ſodalis, atque adeo magiſtri ſui penderet, & in ejus impia verba jurare

ſine

ſine reprehenſione poſſet. Et abſurdis quidem hiſce ſententiis pondus addere conatum eſt magnum ingenium, ac magna eruditio Petri Baylii, quem ſi quis in Atheorum caſtris, quaſi transfugam, ſtipendia ſaepe mereri neget, neque ingentia unquam ejus volumina pervolvit, neque, de ipſo quid ſentiant homines doctrina, prudentiaque praeſtantes, ulla ratione cognovit. Hic etiam de Scriptoribus quibuſdam, caeteroqui Chriſtianis, jure dolebimus, quod aut ridiculis quibuſdam ratiunculis totius Humani Generis auctoritatem enervare ſtudeant, aut ſaltem oratione ſua numerum Atheorum multo majorem facere ſoleant, quam hiſtoria ipſa docere videatur. Contra eos Joannes Albertus Fabricius, in quo ſcriptore ſpecimen quoddam moderationis, & humanitatis extitit, non dubitavit ea ſcribere, quae ſubjicimus. = *Infelix fortaſſis, Religioni certe, & humano generi parum utilis, nec honorificus labor eſt, principes ingeniorum, & praeſtantiſſimos totius antiquitatis Viros invitos trahere in ſocietatem Atheorum, & univerſum Ethniciſmum confundere cum Spinoſiſmo, atque Atheiſmo* =, caeteraque graviſſime. Jacobus autem Bruckerus, quem hominem a doctrina ſaepe laudaturi ſumus, de Atheis verba faciens = *eos*, inquit, *enumerare non licet, quos perperam hac macula notavit praepoſterus eorum zelus, quibus atheiſmo ſuſpectum omne illud eſt, quod vel ipſi non intelligunt, vel a receptis opinionibus, & παιδείας τρόπῳ recedit, vel conſequentiarum machinis in pravos ſenſus torquetur, quoſque invidia magis, quam ſiniſtrae de Deo ſententiae atro lapillo deſignarunt* = Similia ſcripſerat Wolfius, ſimilia Gerdilus, ſimilia Valſechius, ſimilia Agatopiſtus, homines doctrina, ſapientiaque praeſtantes, ſimilia plu-

res

res alii, quos nominatim appellare, cum maxime longa res eſſet, tum minime neceſſaria. Neque vero tam parvum in ea re, de qua loquimur, quam prima fronte videri ſolet, periculum ſubeſt. Etenim, ſi ea vera eſſe dicantur, non modo unum ex praecipuis argumentis omnino corruit, quibus aliquem eſſe Deum Philoſophia demonſtret, verum etiam haud ſcio, an reliqua ejuſdem generis argumenta non leve detrimentum paſſura ſint. Nam primo quidem in Pyrrhonis laqueos facile poteſt incidere, qui cenſeat, Homines etiam univerſos in turpiſſimo quodam errore per aetates omnes potuiſſe verſari. Deinde, quemadmodum rationes illas, quibus caeteri omnes, praecipue ſapientes, aſſentiuntur, in animos noſtros pervadere facilius, eoſdemque vehementius commovere videmus, ita quas a pleriſque, vel etiam a multis rejici arbitramur, minus in iiſdem animis poſſe, ac debiliores evadere, ipſa nos, ut caetera ſileam, experientia docet. Quamobrem, ſi tot Philoſophos omnium ſermone celebratos, ſi Graecorum, Ægyptiorum, Chaldaeorum, Phoenicum doctiſſimas, prudentiſſimaſque Nationes, ſi Gentes alias multitudine innumerabiles, aut non vidiſſe, aut contempſiſſe rationes arbitreris, quibus, eſſe Deum, tam evidenter, atque perſpicue demonſtrari, Philoſophi noſtri dicunt, vereor ne ſtultiſſimae cuidam ſuſpicioni des aliquando locum. Haec itaque mecum, & alia multa, quae brevitatis amore praetermitto, animo reputans, ingenue Lector, aliquid ſcribere conſtitui, quo effroenem peſſimi generis Atheorum coërcerem audaciam, aut potius, ne bonis nocere poſſit, aliqua ex parte retunderem. Etenim illi quidem, qui tam abſurda mendacia tam proterva fronte proferre non dubitant,

tant, qui Divinitatem ipſam è Coeli ſolio deturbare moliuntur, eo ſe vel impudentiae, vel ſtultitiae delapſos eſſe declarant, ut illos nullum jam argumentum, nulla humana ratio revocare poſſit. Argumenta poſſunt homines capere. Illi ne inter homines quidem numerandi ſunt. Sane quod Cynicus ille Diogenes olim riſiſſe perhibetur, hominem a Platone bipes animal definiri; perinde ac ſi non mente ſatis ille, conſilioque vigeat, quo diſcernatur a beſtiis, id nos de perdito quovis hoſte Divinitatis, jure meritoque dici potuiſſe, arbitramur. Quid enim aliud, quam bipes animal hominem eſſe dicas, qui, cum undique Veritas clariſſimis, ut Sol, circumdata radiis incurrat in oculos, nihil aliud agit, nihil molitur, quam ut abſtruſas errori ſuo latebras quaerat? Imo potius hujuſmodi genus eo brutis animantibus deterius eſſe cenſendum eſt, quod pejus ſit veritatem voluntatis perverſitate repudiare, quam aſſequi non poſſe conditione naturae. Itaque poſſunt illi quidem ad ſanam mentem, bonamque frugem redire, ſed eo tantum *interius monente, atque adjuvante* poſſunt, qui *vocat e tenebris* perditos homines *in admirabile lumen ſuum*. Quamobrem hoc opus qualecumque noſtrum non eo proprie ſpectat, ut ſe victos eſſe fateri cogamus, qui vinci, etiam ubi multo utilius eſſet, quam vincere, nulla ratione velint, ſed ut iis, contra peſſimum Atheorum genus, quaedam arma ſuppeditemus, qui Supremi Numinis, ut par eſt, reverentia ducuntur. Quidquid agas, inquis, actum agis, quod veteri proverbio prohibemur. Quis enim ignorat, quam multa ſint in Atheos, hac aetate noſtra, multis a Scriptoribus, ingenio, atque otio abundantibus, & collecta diligenter, & acute dicta, & ſubtili-

tiliter diſputata? Ego vero actum non agam, ſi neque ſaepius eadem, neque eodem unquam modo, quo alii, dicam. Neque vero tot egregii Viri eadem argumenta, quae alii tractaverant, excolenda ſibi ſuſcepiſſent, ſi quidquam oppoſita ratio roboris haberet. Poſſem & aliquid aliud addere, quod praeterire malo, ne ſuperbe dictum, aut arroganter aliquis exiſtimet. Itaque potius hic rationem totius conſilii mei clarius aperiam. Hiſtoriam, & ipſam philoſophiam, tam atrocibus, ut vidimus, injuriis ab impio genere petitam mihi vindicaturus eſſe videor, ſimulque rem Lectoribus meis & jucundam, & utilem eſſe facturus, ſi ſcribam de Generis Humani conſenſu in agnoſcenda Divinitate. Nam, ſi vere Genus Humanum univerſum ad eam conſentire pulcherrimam veritatem agnoſcendam probavero, nihil Atheis favere, quin & omnibus opponi copiis, viribuſque ſuis Hiſtoriam, clariſſime oſtendam; &, ſi Conſenſum hujuſmodi non aliam cauſam habere poſſe, argumentis a Philoſophia ſuppeditaris docuero, quam quae Deum aliquem eſſe demonſtret, ejuſdem Philoſophiae, aliqua ſaltem ex parte, laeſam ab impiis auctoritatem, dignitatemque defendam. Jucundum autem erit, hominibus praeſertim, qui liberaliſſimis Artis Criticae ſtudiis delectantur, non modo Sapientium omnium, ſed & gentium, quamvis immanium, barbararumque ſententias, cum in reliquis tantopere diſſidere ſoleant, in ea tamen recipienda veritate pene conſpirantes, aſſequi, & utile tandem erit, inſanos paucorum hominum clamores, qui nullam Divinitatem timeri vellent, aut coli, una pene voce totius Humani Generis poſſe comprimere. Sed & illud in hoc opere ſuſcipiendo propoſitum nobis fuit, ut

Petri Baylii, cujus auctoritate leves homines, qui *Spiritus fortes* dici volunt, tantopere abutuntur, vel praecipitem ſcribendi rationem, vel peſſimam quoque fidem, aliqua ſaltem ex parte demonſtraremus. Jam vero, an haec, quae voluimus, aſſecuti omnia ſimus, an deficientibus fortaſſe viribus audacia ipſa laudi eſſe poſſit, tuum erit, candide Lector, omni partium ſtudio ſepoſito, judicare. Totum autem hoc opus in duos Libros, aut Volumina tribuetur. Quid in Primo potiſſimum acturi jam ſimus, nihil hic praefari neceſſe eſt. Ex ipſis enim Partium, & Capitum titulis, quos jam exhibemus, id facile, diſtincteque percipies.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

Multa contra Baylium ad eum conſenſum comprobandum afferuntur, ac de Atheis, qui eidem videntur opponi, differitur.

CAPUT I. *Quibus rationibus bujuſmodi conſenſus probari poſſit?* pag. 1.

CAP. II. *Veteres Auctores ab univerſo genere hominum divinam aliquo modo Naturam agnoſci teſtantur.* 4.

CAP. III. *Idem quod veteres, etiam Recentiores Auctores, poſtquam non paucae nationes detectae ſunt, antiquioribus ignotae, tradere ſolent.* 11.

CAP. IV. *Contra ſententiam, quam tuemur, nullam eſſe difficultatem ex gentibus petitam, quae penitus nobis ignotae ſunt.* 16.

CAP. V. *Sententiam noſtram ex eo non poſſe concuti, quod aliquae dicantur eſſe gentes omnino barbarae, Dei cognitionis expertes.* 24.

CAP. VI. *Reſpondetur argumentis, quibus, barbaras gentes non eſſe contemnendas in hac diſputatione, Baylius cenſuit.* 27.

CAP. VII. *Si quae ſunt Atheae gentes, eas rationis uſu deſtitui probabile videtur.* 31.

Cap. VIII. *Non probari gentem aliquam omni Dei cognitione caruiſſe, quod apud aliquem antiquum auctorem Athea vocitetur.* 34.

Cap. IX. *Non facile Viatorum, & aliorum hominum quorumdam eſſe recipienda teſtimonia, ubi gentes aliquas nullo ſenſu Divinitatis tangi referant.* 39.

Cap. X. *Gentem aliquam non eſſe prorſus Atheam ex eo cenſendam, quod omni religione carere dicatur.* 45.

Cap. XI. *Quid praeſtandum eſſet adverſariis, qui gentem aliquam eſſe Atheam demonſtrare volunt.* 52.

Cap. XII. *Quiſnam Athei nomine veniat in ea controverſia, quam agitamus?* 54.

Cap. XIII. *Quare ſit inter Atheos Benedictus de Spinoſa numerandus?* 64.

Cap. XIV. *Formula exhibetur a Baylio requiſita, qua veluti teſſera, quicumque Divinam aliquam Naturam agnoſcunt, ab Atheis diſtingui poſſint.* 69.

Cap. XV. *Non recte nobis opponi poſſe, Divinae Naturae perfectionem ab Ethnicis antiquioribus agnitam non fuiſſe.* 75.

Cap. XVI. *Oſtenditur quanti referat veram Atheiſmi tenere notionem, & Auctores aliqui refelluntur, qui nimis eamdem amplificant.* 79.

Cap. XVII. *Atheiſmi definitio, vel declaratio ab uno ex Encyclopaedicis Auctoribus allata rejicitur.* 84.

Cap. XVIII. *Methodus redarguitur, quam Scriptores nonnulli*

ſecu-

ſecuti ſunt, Atheis eos accenſendi, quorum ex doctrinis Deum non eſſe conſequeretur. 93.

CAP. XIX. *Reſponſioni cuidam occurritur, quae fieri poteſt ab adverſariis, & argumenta quaedam ejus generis, quod improbamus, examini ſubjiciuntur.* 102.

CAP. XX. *An Pantheiſtae ſint inter Atheos numerandi?* 109.

CAP. XXI. *Quid ſit cenſendum de Atheis practicis?* 112.

CAP. XXII. *Temeraria Baylii de pluribus Atheis occultis ſuſpicio rejicitur.* 116.

CAP. XXIII. *An ſint Athei Speculativi?* 120.

CAP. XXIV. *Plerique Athei, dum nullum a ſe dicunt agnoſci Deum, aut non ex animi ſententia loquuntur, aut non in ea longo tempore perſeverant impietate doctrinae.* 125.

CAP. XXV. *Ab argumento nobis propoſito digreſſio fit ad novam rationem, qua Deum Sapientiſſimum exiſtere demonſtramus.* 137.

CAP. XXVI. *Atheorum, quod nullius ſint auctoritatis, cum humani generis conſenſus inquiritur, nullam rationem habendam eſſe.* 148.

CAP. XXVII. *Mores Atheorum habendos eſſe corruptiſſimos Graeci, ac Latini veteres, doctique recentiores tradunt; quibus teſtibus, non autem Atheorum laudatori Baylio, ſtandum eſſe demonſtratur.* 151.

CAP. XXVIII. *An credibile ſit, leges honeſtatis ab Atheis ſervari, ſi rationem potius, quam hiſtoriam conſulamus?* 161.

CAP. XXIX. *Nullam Atheorum habendam eſſe rationem, ſi*

quam

quam parum judicio, doctrinaque valeant, perpendere velimus. 170.
CAP. XXX. *Stultitia ſimul, & Inſcitia Mirabodii, ſive Auctoris libri, cui titulus Syſtema Naturae, aliqua ex parte oſtenditur.* 183.
CAP. XXXI. *Ejuſdem ſtultitia Scriptoris alia ratione oſtenditur.* 195.

PARS ALTERA.

Ex Generis Humani Conſenſu Divinitatem eſſe probatur, & adverſariorum confutantur argumenta, nec non de illius perfectione diſſeritur.

CAP. I. *Generis Humani auctoritatem tanti eſſe debere oſtenditur, ut ex ea certo demonſtretur exiſtere Divinitatem.* 205.
CAP. II. *Natura ipſa monente Genus Humanum in agnoſcendam Divinitatem conſentire, aliis rationibus oſtenditur.* 210.
CAP. III. *Ex Generis Humani Conſenſu infinitam eſſe Dei perfectionem oſtenditur.* 216.
CAP. IV. *De nobiliſſimis quibuſdam Naturae Divinae Attributis agitur, quae ſumma Dei Perfectione agnita facile demonſtrantur.* 225.
CAP. V. *Impii confutantur, praecipue Mirabodius, qui Conſenſum Generis Humani, de quo loquimur, ab inani quodam metu repeti jubent.* 236.

CAP.

Cap. VI. *Aliud refutatur Mirabodii mendacium, quod rerum naturalium, atque cauſarum inſcitia ſuſpicionem Divinitatis indiderit.* 241.

Cap. VII. *Potiſſimum argumentum oſtenditur, quod Humanum Genus ad agnoſcendam Divinitatem impulit, ac non modo Mirabodius, ſed & Diderotius confutatur, qui vim ejuſdem argumenti magna ex parte elevare videtur.* 245.

Cap. VIII. *Ridicula quaedam argumenta Baylii confutantur: ea praeſertim, queis vult efficere, non audiendam eſſe Naturam, etiamſi Divinitatem exiſtere doceat.* 265.

Cap. IX. *Graviores Baylii rationes confutantur ab exemplis errorum petitae, quos univerſum genus hominum probaviſſe dicit.* 278.

Cap. X. *Potiſſima Baylii ratio confutatur ex eo ducta, quod error, qui Polytheiſmus dicitur, in Orbem univerſum antiquioribus aetatibus irrepſerit.* 284.

Cap. XI. *Ratio Baylii ſolvitur ex eo ducta, quod ſaltem plures eſſe Deos univerſi homines aliquando conſenſerint, & aliae quaedam ejuſdem auctoris argutiae confutantur.* 292.

Cap. XII. *Confutantur exempla quaedam errorum a Baylio producta; ea praeſertim, quae ab Eclipſium, & Cometarum timore deſumpſit.* 299.

Cap. XIII. *Falſitas exemplorum demonſtratur, quae ab Aſtrologia Iudiciaria, atque a Divinatione Baylius petivit.* 311.

Cap. XIV. *Sanctorum Eccleſiae Patrum de Ethnicis Unitatem Dei agnoſcentibus ſententia proponitur, & a quodam Baylii argumento vindicatur.* 325.

Cap. XV. *Quaeſtio reſolvitur, an Deum eſſe unum Ethnici dicere ſolerent.* 329.

Cap. XVI. *Ethnicos plurimos imperfecta quadam ratione Unitatem Dei agnoviſſe probatur.* 334.

Cap. XVII. *Philoſophos, atque doctiores homines inter Graecos, atque Romanos Unitatem Dei non ignoraviſſe oſtenditur.* 348.

Digitized by Google

DE GENERIS HUMANI CONSENSU IN AGNOSCENDA DIVINITATE

LIBER PRIMUS

GENERATIM DE CONSENSU IPSO GENERIS HUMANI, EJUSQUE VI DISPUTATUR.

PARS PRIMA

Multa contra Baylium ad eum conſenſum comprobandum afferuntur, ac de Atheis, qui eidem videntur opponi, diſſeritur.

CAPUT I.

Quibus rationibus hujuſmodi conſenſus probari poſſit?

QUod hominum genus univerſum, licet in ſententias de Natura Divinitatis admodum varias, ac diſcrepantes facillime ſcindi conſueverit, aliquam tamen hujuſmodi naturam, multo magis, quam aſſequi cogitatione poſſimus, excellentem, atque praeſtantem, ſemper eſſe putaverit, omnium fere cujuſque vel aetatis vel regionis monumentorum probatiſſima teſtatur auctoritas. Quid enim arae ſibi, quid delubra, quid templa volunt, quid vota, quid preces, quid totus caeremoniarum apparatus, quas ubique vigere deprehendimus, declarat, niſi aliquem a populis haec uſurpantibus coli, qui magnam gerat noſtrarum rerum aſſiduamque curam, qui bene promeritis capiatur, qui poenas, qui praemia dividat, qui ferat implorantibus opem, qui denique cuncta numine

moderetur ſuo, ſapientiſſimum, ac praepotentem Deum? Quod ſi barbara quaedam & inculta portio mortalium, vitam in ſylvis ferarum more degentium, neque certos ſtatoſque ritus, neque ſacra ſuis praefinita temporibus colat, tamen indicia non deſunt, quibus aliquem auctorem mundi, vel gubernatorem optimum, ac praeſtantiſſimum agnoſcere videatur. Itaque ſi terras omnes, ut animo, ſic etiam oculis luſtrare, gentiumque vel ſtudia, vel mores propius inſpicere; ſingularumque colligere per nos ipſi ſententias facili negotio poſſemus, non eſſet alia ratione nobis in hac inveſtiganda veritate laborandum. Nunc autem nobis illud negotium faceſſit, ac moras injicit, quod non ita parvam humani generis partem *ἀθεότητος* ii demum accuſaverint, qui rebus vel in clariſſima luce poſitis tenebras offundere conſueverunt.

Ac primus quidem in ea controverſia nobis occurrit hoſtis, cum Scriptoribus bene multis jamdiu manus conſerere ſuetus, quem, veluti Dacum Hieronymus militem, non abſurde *mutuis cladibus nobilitatum* appellare poſſemus.

Baelius hic ille eſt, cujus dum ſcripta vigebunt,
Lis erit oblectent, erudiantve magis.

Id enim ejus imagini a docto viro ſubſcriptum accepimus. Ille quidem, quod Lucianus olim tentaverat, ipſe Luciano & ingenio, & doctrina, & orationis elegantia, ſed non minus contemptu religionis, & impietate ſimilis, perficere conatus eſt, ut argumentum, quod contra cujuſque Numinis hoſtes a generis humani conſenſu ducitur, elevaret (*a*). Duplici autem ex capite id efficere conatus eſt; nam & Atheorum numerum incredibilem in modum augere contendit, ut deceptos eſſe perſuaderet, qui homines univerſos in agnoſcenda vi, naturaque divina convenire cenſuerunt, & etiamſi conveniſſent non tanti eam auctoritatem eſſe faciendam probare voluit, ut non eam poſſint Athei me-

(a) Vid. Baylli opus *Continuat. eiuſdem Réponſe aux queſtions d'un de ſes penſées ſur la Comète, & Provincial P. II. & III. &c.*

Digitized by Google

merito negligere, atque reſpuere. Quod voluit Baylius non ita paucis hac aetate perſuaſit, hominibus quoque Chriſtianis, ſed eruditionis fortaſſe minus, quam pietatis laude praeſtantibus. At in Baylii caſtra turmatim ii confluxerunt, qui Spiritus fortes dici volunt, cum tamen ita veritatem metuant, ut, ne illius aſpectum unquam ferant, in quaſvis errorum latebras conjicere ſeſe non dubitent. Contra hos quidem omnes de hoc argumenti genere ſtudioſe multa ſuo loco dicturi ſumus. Nunc illud inſtat, ut conſenſum, quem diximus, in hac re generis humani demonſtremus.

Poteſt autem id duplici potiſſimum ratione fieri; ſiquidem ab illis argumentis abſtinendum eſſe cenſemus, quibus aliqui nituntur, dum ideas innatas inducunt, quas ex animis hominum nulla vis aut ratio poſſit abradere. Nam & ſingulas nationes tueri poſſumus tanti criminis inſimulatas; & idoneorum auctorum graviſſima poſſumus teſtimonia colligere, quibus homines univerſos in agnoſcenda vi quadam, naturaque divina conſpirare doceamur. Alteram illam viam libro, qui ſequetur hunc primum, ita tenebimus, ut ingenui lectoris deſiderio, quantum poſſumus, brevitati vero, quantum res ipſa patitur, ac ſimul orationis perſpicuitati conſulamus. Alteram vero rationem hoc libro inimus, in quo ſimul aliqua proponimus, quae vel optimae cauſae noſtrae lucem afferre, vel tenebras a fallacibus Baylii concluſiunculis excitatas diſſipare poſſint.

At de hac ratione aliquid eſt, quod jam in hoc capite commentemur; nimirum illam a Baylio, vel quovis Baylii diſcipulo repudiari non poſſe; niſi maximi forte momenti rationes proferat, quibus ſpectatiſſima quaevis elidatur auctoritas. Sane quod unanimis hominum, concorſque ſententia Deum aliquem eſſe ſtatuat, eſt veritas, quam facti tum Iureconſulti, tum Critici noſtri vocant. Quis autem neſcit hoc verorum genus, teſtibus in medium allatis, quorum neque fides, neque ſapientia nutet, ſatis apte probari? Porro qui generis humani communi quaſi decreto, quod aliquis

 exi-

exiſtat Deus, declarari confirmant, ex omni memoria ſunt aetatum, temporum, civitatum Viri graviſſimi, quorum nec in monumentis colligendis diligentiam, neque fidem in afferendis, neque prudentiam, atque doctrinam in explicandis deſiderare poſſis. Itaque cum omnes aperte docuerint ab omnibus gentibus etiam immanitate barbaris divinam aliquo modo cognoſci naturam, quid aliud expectamus? aut quid hac in re fidem ipſis adjungi nolumus, cum alia, forſan minus veri ſimilia, Scriptoribus iiſdem, aut aliis etiam valde levioris auctoritatis, credere conſueverimus? Videndum igitur, an res ita ſe habeat; an, inquam, id vere Scriptores innumeri teſtentur, quod aſſeruimus. At id quidem luce meridiana clarius apparebit, vel priſcos auctores, qui de gentibus ad ea tempora cognitis, vel recentiores, de aliis etiam loquentes, quae longe ſerius innotuerunt, conſulere velimus.

C A P U T I I.

Veteres Auctores ab univerſo genere hominum divinam aliquo modo naturam agnoſci teſtantur.

NEminem eſſe arbitror in hiſtoria Philoſophiae, quae non mediocriter aetate noſtra colitur (*a*) verſatum hominem, & eruditum, qui neſciat, Graecos Philoſophos, atque La-

(a) Hoc ſtudium aetate praeſertim hac noſtra excolendum ab omnibus eſſet, qui liberalibus diſciplinis delectantur. Vid. *Réſlexions Générales ſur l' Etude de la Philoſoph. ancien. par M. l' Ab. Le Batteux, Tom. XXVII. de l' Ac. R. des Inſcr. a p.* 153. m. Praeſertim ab iis coli deberet qui noſtri temporis Incredulos convincere geſtiunt. Etenim ut praeclare ſcribit idem Cl. Batteuxius p. 160. *On peut aioûter (& cet avantage ſuffiroit ſeul pour en rendre l' etude recommandable) que la Philoſophie ancienne eſt le plus riche arſénal de l' incrédulité moderne. Par que dit-on aujourdhui que n' aient dit Démocrite, Protagore, Théodore, Epicure, Ammonius, Plotin, Porphyre, Celſe, Julien, & tant d' autres ennemis ſoit de la Divinité, ſoit du Chriſtianiſme? C' eſt-là qu' on voit ſans déguiſement, & dans leur état naturel, tous ces poiſons enveloppés aujourdhui avec tant d' art dans ces livres, où l' homme plus inquiet, que hardi, tâche de porter le coup ſans paroître.*

Latinos, ex hoc ipſo conſenſu, de quo loquimur, unum ex praecipuis, ad Atheorum proterviam expugnandam, argumentis deſumere conſueviſſe.

Ac primo quidem Deus ille philoſophorum Plato (ſic eum Cicero vocat) nobis commemorabitur, qui plurima in hanc rem praeclara ſcribit. Dialogo namque de Legibus X. Cliniam, quod Dii ſint, ita probantem inducit = *Primum quidem terra, ſol, ſidera, ipſumque Univerſum, temporum quoque ornatiſſima varietas, annis, menſibuſque diſtincta id oſtendunt; Graecorum praeterea, barbarorumque omnium conſenſus Deos eſſe fatentium* (*a*) = Eodem loco Athenienſis hoſpes, cum de Atheorum vel impietate, vel arrogantia verba feciſſet, haec ſubdit: = *Quomodo abſque offenſione eſſe aliquis Deos differat? praeſertim cum neceſſe ſit graviter ferre, odiſſeque eos, qui horum verborum nobis cauſam praebuerunt. Hi certe a pueritia ad Deos affirmandos eo maxime inducere animum potuerunt, quod, dum lacte nutrirentur a nutricibus, matribuſque, multa & illis joco de ſerio dicta, decantataque audiebant, & in ſacrificiis videbant conſentanea quaeque illis fieri, quae ſuaviſſime pueri & vident, & audiunt, dum parentes eorum ſummo ſtudio, pro ſe, liberiſque ſacrificare, orareque ſupplices Deos, quaſi quam maxime Dii ſint, viderent;* (*b*) *nec non quotidie, in ortu, & occaſu Solis, ac Lunae, Graecos, & Barbaros omnes, tam in rebus adverſis, quam ſecundis, ſuppliciter adorare: atque ex hoc non ſuſpicionem, quod Dii non ſint, afferre, ſed teſtimonium, quod ſint, abſque controverſia perhibere* =.

Sunt

(*a*) *Ita Dialog. X. de Legib. ſeu Legum-latione ex transl.* Marſilii Ficini, *a.* 1533. *p.* 712. *&c.* Graecum habet: Πρῶτον μὲν γῆ, καὶ ἥλιος, ἄστρα τε τὰ ξύμπαντα, καὶ τὰς τῶν ὡρῶν διακεκοσμημένα καλῶς, οὕτως, ἐνιαυτοῖς τε καὶ μησὶ διειλημμένα, καὶ ὅτι πάντες Ἕλληνές τε, καὶ βάρβαροι νομίζουσιν εἶναι θεούς. Ita Νομ. διαλ. δέκατ. *p. m.* 886. Patet autem Platonis eum librum legenti, verba, quae adducimus, ipſius auctoris exprimere ſententias.

(b) Plato *ib. p.* 887. ἀνατέλλοντός τε ἡλίου, καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων, προκυλίσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις ἀκούοντές τε καὶ ὁρῶντες, Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων πάντων ἐν συμφοραῖς παντοίαις ἐχομένων, καὶ ἐν εὐπραγίαις, οὐχ ὡς οὐκ ὄντων, ἀλλ᾽ ὡς ὅτι μάλιστα ὄντων, καὶ οὐδαμῇ ὑποψίαν ἐνδιδόντων ὡς οὐκ εἰσὶ θεοί.

Sunt qui Magiſtro Platoni hac in re conſonare dicant Ariſtotelem. Ille quidem, niſi diligentiam meam aliquid fugit, non aliud in hanc rem habet, quam quod operari Deos, neque, ut de Endymione illo narratur, inerti ſomno jacere ſepultos, inde concludit, quod eos vita, eademque beatiſſima, frui omnes exiſtimamus (*a*).

Sed, quod jure mireris, hoc argumentum a gentium conſenſu petitum vel ipſos Epicuri de grege porcos impulit, ut Deos exiſtere beatos, & immortales ſine controverſia faterentur. Peſſime illi quidem de natura divina ſentiebant, cum Deum nec habere, nec exhibere cuiquam negotium, hoc eſt nullam humanarum rerum procurationem gerere dictitabant. Sed tamen hoc eſt aliquid, quod pie, ſanċteque colere ſeſe profiterentur naturam excellentem, atque praeſtantem. Itaque non niſi injuria inter Atheos Epicurei recenſiti ſunt a nonnullis. At de his alio loco. Nunc Vellejum audiamus ex ea qualicumque ſchola philoſophum ſane nobilem, ad quem, aetate Ciceronis, Epicurei primas ex Romanis hominibus deferebant. *Cum non inſtituto*, inquiebat ille, *aliquo, aut more, aut lege ſit opinio conſtituta, maneatque ad unum omnium firma conſenſio, intelligi neceſſe eſt eſſe Deos, quoniam inſitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura conſentit, id verum eſſe neceſſe eſt. Eſſe igitur deos confitendum eſt* = (*b*) Reſpondet ei quidem adverſarius Cotta = *unde tibi notae ſunt opiniones nationum?* = ſeque arbitrari ait aliquas eſſe gentes ita immanitate efferatas, apud quas nulla Deorum ſuſpicio ſit. At ſi gentes hujuſmodi novit, cur in medium non profert? Id enim vel maxime faceret ad oſtendendum non eſſe tam exploratam iſtam rationem, ad id, quod Vellejus vult, confirmandum, quam videtur. At nimirum Cottae, quamvis ingenio, doċtri-

(*a*) *Ad Nicomach. p.* 186. *edit. Francof. Wechel.* τὺς θεοὺς γὰρ μάλιστα ὑπειλήφαμεν μακαρίους, καὶ εὐδαίμονας εἶναι .... ἀλλὰ μὴν ζῆν τε πάντες ὑπειλήφασιν αὐτούς, καὶ ἐνεργεῖν ἄρα. οὐ γὰρ δὴ καθεύδειν, ὥσπερ τὸν Ἐνδυμίωνα.

(*b*) Ap. Cicer. *l.* 1. *de Nat. Deorum*.

ctrinaque praeſtaret, ea potiſſimum philoſophia probabatur, quae lucem eriperet, & quaſi noctem quamdam rebus offunderet. Itaque mirum nobis non accidit Vellejanae rationis ab ipſo fundamenta peti; quamvis hoc loco prorſus omitti non debeat, quod Baylio diſplicuit, Academicum hominem non parum ſapientiae majorum, atque auctoritati tribuiſſe. Hinc ſane Lucilio Balbo reſpondet ipſum cohortanti, ut ſe meminerit, & Cottam, & Pontificem eſſe. Etenim ex ea opinione, quam a majoribus acceperat, de cultu Deorum Immortalium, nullius unquam oratione, aut docti, aut indocti ſe motum iri profitetur (*a*). At quid de Cotta ſit judicandum alii viderint.

Ciceronis ipſius, qui eos inter Vellejum, & Cottam, atque Lucilium ſermones refert, perpetua ſententia eſt, nullam eſſe gentem, quamvis immanitate barbaram, quam non imbuerit Divinitatis opinio = *De hominibus*, inquit ille 1. de Legibus, *nulla gens eſt tam immanſueta, quae non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat* = Diſertiſſimi Philoſophi alia poſſemus in eamdem ſententiam loca proferre. Sed ea magis nota ſunt vulgo, quam ut notiora fieri commemorando poſſint (*b*).

Potius hic advertendum, Ciceronem, dum Lucilium Balbum ex Stoicorum omnium ſententia de Diis diſſerentem inducit (*c*), hoc argumentum ex nationum conſenſu petitum inter potiſſima referre, quibus illi, quod Numen aliquod exiſteret, probare conſueverant. Etenim nos probe cognitam, comprehenſamque animis habere Divinitatis alicujus vim, atque potentiam inde Lucilius colligit, quod ſi ſecus eſſet = *non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſaeculis, aetatibuſque hominum*

(*a*) *Lib. III. Ciceron. de Nat. Deor. ſub initium.*

(*b*) Baylius (*Contin. des penſ. §. VII. p. m. 25.*) inter eos, qui valde promovent argumentum a populorum conſenſione petitum, Ciceronem numerat in *Orat. pro Mil. & Orat. de Haruſp. reſponſis*. At iis in Locis Cicero de majorum auctoritate, ſibi, Romaniſque caeteris probatiſſima tantummodo loquitur.

(*c*) *Lib. II. de Nat. Deor.*

num inveterare potuiſſet. Etenim videmus, inquit, caeteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuiſſe.... Opinionum enim commenta delet dies: naturae judicia confirmat. Itaque & in noſtro populo, & in caeteris Deorum cultus, religionumque ſanctitates exiſtunt in dies majores, atque meliores = Subdit eodem in libro = *Itaque inter omnes omnium gentium conſtat. Omnibus enim innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe Deos. Quales ſint, varium eſt; eſſe, nemo negat* =.

Hinc mirari non debemus Senecam, Stoicorum inter Romanos fere doctiſſimum, tantum huic argumento, de quo loquimur, tribuiſſe, ut eo utatur, tamquam exemplo ſatis recepto, ad id, quod vult, confirmandum. Etenim ut probet & ſapientiam eſſe bonum, & ſapere, ſic argumentatur (*c*) = *Multum dare ſolemus praeſumptioni omnium hominum* (nempe, ut Lipſius ad hunc locum explicat, praeceptae opinioni, προλήψει) *apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri: tamquam Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quod omnibus de Diis opinio inſita eſt: nec ulla gens uſquam eſt adeo extra leges, moreſque projecta, ut non aliquos Deos credat &c.* =

Hanc eamdem Stoicorum ſententiam optime norat Lucianus, qui in celeberrimo Dialogo, cui titulus Jupiter Tragoedus, quo Deos Ethnicorum, ipſamque Providentiam irridet, Timoclem Stoicorum partes tuentem, atque ita diſſerentem inducit = *Igitur omnes homines, & populi decepti ſunt, qui Deos eſſe putent, ac celebrent?* = (*a*) Timocli reſpondet Damides, religionis omnis oſor, atque contemptor, qui Luciani ſententiam exprimit, & ideo victor a ſermone, cum amara Jovis querimonia, dimittitur. Et ille quidem non obſcure conſenſum illum, de quo verba facimus, agnoſcere videtur: Sed inde occurrit adverſario, quod ea, quae de Diis ferebantur, ridicula eſſent omnino, ac tanta majeſtate prorſus indigna.

Jam

(*a*) Senec. *epiſt.* 117. *p. m.* 665. *edit. Antuerp. an.* 1605.

(*b*) *In edit. Reitzii Amſtelod. an.* 1743.

Jam hoc idem argumentum, Stoicis familiare, aliarum quoque Sectarum philoſophi uſurpant, ac praeſertim Plutarchus; cujus eſt illa cognita pluribus, & quae cognoſcatur ab omnibus digna ſententia = *Si terras obeas, inquit, invenire poſſis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes . . . . Urbem vero templis, Diiſque deſtitutam, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum cauſa ſacrificet, non mala ſacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi ſine ſolo poſſe puto, quam opinione de Diis penitus ſublata civitatem coire, aut conſtare* = (*a*).

Conſonat Plutarcho Julianus (*b*) = *omnes*, inquit, *ante doctrinam numen eſſe aliquod perſuaſi ſumus, eò reſpiciendum, ad eum properandum; credoque ſic animos noſtros ſe habere ad Deum ut viſu praedita ad lucem* =.

Eadem fere de humani generis conſenſu teſtantur alii Scriptores Ethniei, quorum teſtimonia brevitatis cauſa praetermittimus; praeſertim vero Diodorus Siculus, Ælianus, Maximus Tyrius, Dion Pruſaeenſis, ſive Chryſoſtomus, Artemidorus, Sextus Empyricus, Iamblichus, atque Porphyrius (*c*).

Iis autem hac in re ſancti Patres Eccleſiae Chriſtianae conſentiunt, quos teſtes doctrinae gloria celeberrimos merito rejicere nemo poſſit. Paucos indicare ſufficiat, ut in re ſatis explorata brevitati ſerviamus.

Tertullianus (*d*) = *Animae, inquit, a primordio conſcientia Dei dos eſt, eadem, nec alia, & in Eegyptiis, & in Syris, & in Ponticis* =.

B Cle-

(*a*) Plutarch. *contra Coloten Epic. p. m.* 1125. Ita Graecum authographum: εὕροις δ' ἂν ἐπιὼν, καὶ πόλεις ἀτειχίστους, ἀγραμματοὺς, ἀβασιλεύτους. ἀοίκους. ἀπείρους θεάτρων. καὶ γυμνασίων ἀνιέρου δὲ πόλεως, καὶ ἀθέου, μὴ χρωμένης εὐχαῖς, μηδ' ὅρκοις, μηδὲ μαντείαις, μηδὲ θυσίαις ἐπ' ἀγαθοῖς, μηδ' ἀποτροπαῖς κακῶν, οὐδείς ἐστιν. οὐδ' ἔσται γεγονὼς θεατής. ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι, σύστασιν λαβεῖν, ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι.

(*b*) *Ep. ad Heracl.*

(*c*) Diod. Sic. *l.* 12. Ælian *Var. Hiſt. l.* 2. *c.* 13., Max. Tyr. *Diſſ I. aliis XIV.*, Dion. Pruſ. *or.* 45., Artemid. *L.* 1. *c.* 9., Sex. Emp. *l* 1. *con Phyſ. c.* 61., & *l.* 8. *con. Mathem.*, Jambl. *de Myſt.*, Porphyr. *de abſtin.*

(*d*) *L.* 1. *con. Marcion. c.* 10.

Clemens autem Alexandrinus, more ſuo, copioſiſſime diſſerit, nec paſtorum genus eſſe poſſe, nec ruſticorum quorumcumque, nec civium, quamvis maxime rudium, qui non id ſentiant exiſtere, quod longe naturis omnibus antecellit, ac praeſtat, optimum nempe aliquem, ac praepotentem Deum. Omnes, quotquot ab ortu ſunt ad occaſum, vel ab auſtro ad aquilonem gentes, eodem Clemente teſte, inſculptam in animis, & anticipatam notionem habent, quae ſuadeat hujus rerum Univerſitatis auctorem, ac moderatorem exiſtere, quem tot ipſius praeclara opera manifeſtant (*a*).

Quid autem in hanc rem proferri certius, aut clarius explicari potuit, quam quod Lactantius, Cicero Chriſtianus non abſurde nuncupatus, in ſuis habet de falſa Religione Libris? Ut alia ſileam = *Nec difficile fuit*, inquit ille (*b*), *paucorum hominum prave ſentientium redarguere mendacia teſtimonio populorum, atque gentium in hac una re non diſſidentium* = Graviſſimis hiſce verbis illorum coërcet audaciam, qui cum nullum Deum eſſe colendum, nullam religionem eſſe ſuſcipiendam ipſi ſentirent, eam impietatem incautis hominibus obtrudere conabantur.

Auguſtinus autem & idem teſtatur, quod Ethnici Philoſophi, & idem, quod illi, argumentum urget. Ait enim (*c*) = *Qui vult quinque, vel ſeptem teſtimoniorum vim in teſtamentis evertere rejicitur: publicam autem totius orbis, & univerſam mundi linguam ſolus vult inſipiens evertere, dicendo in corde ſuo: non eſt Deus.* = Idem Auguſtinus alio loco (*d*). = *Exceptis*, inquit, *paucis, in quibus natura nimium depravata eſt, univerſum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem* =

Audiatur jam Chriſtianus Poeta, Patres inter ipſos haud immerito numeratus, nempe Prudentius. Hic enim ita canit (*e*): „ *Non*

(*a*) *Lib. V. Stromat.* non multo ante finem. Uti maluimus clarioribus, niſi fallor, noſtris verbis, atque παράφρασι, quam paulo obſcuriore Gentiani Herveti Aurelii verſione, quam ante oculos habemus.

(*b*) *L. 1. de falſ. Relig. c.* 2.

(*c*) *In Pſ.* 13.

(*d*) *In Ioan. Tract.* 106.

(*e*) *In Apotheoſi contra Unionitas v.* 212.

„ *Non recipit natura hominis, modo quadrupes ille*
„ *Non ſit, & excelſo ſpectet coeleſtia vultu,*
„ *Non recipit, neget ut regimen pollere ſupremum.*
„ *Iſtud & ipſe Numae tacitus ſibi ſentit Haruſpex,*
„ *Semifer & Scotus ſentit cane milite pejor.*

Qui plura ex Patribus cupiat & Auguſtinum Steucum, & Dionyſium Petavium (*a*), & alios conſulere poteſt, qui vel ipſam ſupremi Numinis Unitatem Ethnicis ignotam non fuiſſe Patrum teſtimoniis demonſtrare conantur. Multa enim Patres iis locis interſerunt, quibus non ita leve poſſit huic ſententiae, quam defendimus, robur accedere.

CAPUT III.

Idem quod veteres, etiam Recentiores Auctores, poſtquam non paucae nationes detectae ſunt, antiquioribus ignotae, tradere ſolent.

QUod argumentum antiqui ſummis ingeniis, exquiſitaque doctrina philoſophi promovebant, cum hoc praeclarum quaſi decretum, de aliquo Numine colendo, populorum omnium ſententiis, ac diſciplinis convenire declararent: illud & plerique Recentiores, quibus & magnum ingenium eſt, & magnarum rerum ſcientia percepta, licet plurimae noviſſimis aetatibus gentes, maximis imbutae pravitatis erroribus, innotuerint, minime ſibi deferendum eſſe putaverunt. Nihil hoc loco de ſeverioribus quibuſdam, & antiquioribus Scholaſticis me attinet dicere, quorum teſtimonia, cum potius contortas, atque difficiles illi ſerere quaeſtiones, quam ad hiſtoriam facientia ſolerent populorum, ac gentium monumenta verſare, non multum hac in noſtra cauſa ro-

(*a*) Aug. Steuc. Eugubin. *de peren. philoſ.*, Dion. Petav. *Tom. I. Theol. Dogm. l. 1.*

roboris eſſent habitura. Illi potius igitur conſulendi, qui cum liberales artes, ipſamque liberalium artium procreatricem quamdam, atque parentem philoſophiam impenſe coluerint, aut colant, tum vero germanam eruditionem, elegantiamque doctrinae cum differendi ſubtilitate conjunxerunt.

Inter eos aliqui, ut Auguſtinus Steucus Eugubinus, ut Petrus Daniel Huëtius, ut Radulphus Cudworthus, ut Joſephus Franciſcus Laſitojus (*a*), eam ſibi ſpartam adornandam ſuſceperunt, ut, apud omnes latiſſime populos, religionis aliquando viguiſſe ſanctitatem, & hinc non paucas ejus, ut ita dicam, reliquias, atque veſtigia ſupereſſe demonſtrarent. In eo quidem homines eruditi reprehendi ſolent a multis, quod populis, praeſertim antiquioribus, ſaniores de religione ſenſus affixerint, quam vel eorum moribus illita barbaries, ac totius vitae foeditas, & ſuperſtitio, vel ipſa, quae ſuperant, antiquorum temporum monumenta docere videantur. Attamen in eo certe laudari debent, quod fere cunctas apud gentes Divinitatis notitiam micuiſſe non modo aſſeruerint, ſed magna ſaltem ex parte liquido comprobaverint.

Caeteri, qui hoc idem tractant argumenti genus, moderatius agere conſueverunt. Non enim ſibi plus concedi poſtulant, quam in mentibus hominum aliquam ſemper Divinitatis notionem extitiſſe: Fateri tamen illi ſolent, ita non raro fuiſſe tectam, & involutam, ut non niſi meditatio diligens ipſam detegere, vel explicare poſſit. Sunt autem inter eos, ut nominatim aliquos appellem, Melchior Canus, Dionyſius Petavius, Juſtus Lipſius, Hugo Grotius, Leonardus Leſſius, Joannes Ludovicus Fabricius, Paulus Segnerus, Eduardus Stillingflitus, Leibnizius, Barrowius, Elizaldus, Leſcalopierus, Rapinus, Bruyerus, Thomaſſinus (*b*). Omitto Car-

(*a*) Aug. Steuc. *de Perenn. Philoſ.* Huet. *Alnet. quaeſt. l.* 2. Cudworth. *Syſtem. Intell. Tom. I.*, Lafiteau *Moeurs des Sauvag. Americ. &c.*

(*b*) Melch. Can. *de Loc. Theol. L.* 12. *C.* 4. *p. m.* 353., Petav. *Theol. Dog. To. I. L.* 1., Iuſt. Lipſ. *ep.* 26. *Cent.* 2. *ad Belg. p. m.* 866., Hugo Grot.

Carteſium, & Sylvanum Regium, & Malebranchium, & reliquam Carteſianorum familiam (*a*). Eos enim praeſertim aliquis cauſari poſſet ea dicere, potius quod ita rem ſe habere oportere, petitis a philoſophia rationibus ſibi perſuaſerint, quam quod hiſtoriae monumenta conſuluerint. Quamquam hoc idem nulla poſſe ratione conſtare is demum clare viderit, qui libros illorum inſpicere non dedignetur.

Sed iis, quos citavimus teſtes, adde Gabrielem Sagardum, adde Jacobum Bernardum, adde Richardum Cumberlandum, adde Gaſtrellum, & Hancokium, & Lengium, & Croſaeum, & Magalottum (*b*). Adſtipulantur iiſdem Trevoltienſes Ephe-

Grot. *de Verit. Rel. Chriſt. L.* 1., Leon. Leſſ. *de Provid. Num. c.* 2., Io. Lud. Fabric. *in Apolog. Gen. Hum.*, de quo Leibnizius *in epiſt. a Bruckero edita* (*in lib. cui tit. Miſcellanea Hiſtor. philoſ. litter. crit.*) = *In Anglia prodiiſſe accepi Apologiam generis humani adverſus accuſationem Atheiſmi, cujus auctor Fabricius tueri dicitur, nullam gentem prorſus* ἄθεον *extitiſſe, quod ego veriſſimum judico* =. Paul. Segneri *Incred. ſenza ſcuſa P.* 1. *&c.*, Stillingflitus *in Orig. ſacris*, quod opus inter omnia, quae ſcripſit, praeſtantiſſimum vulgo cenſetur, Leibn. *l. c. & alibi*, Barrow. *To.* 2. *Serm.* 8. quem ſermonem quidem etiam apud Clericum *To. III. Bibliot. Univ.* in compendium redactum legeré potes, Elizald. *forma verae rel. quaer. & inven.*, quem citat Ioannes Hooke, hoc argumentum & ipſe ſatis accurate tractans *Relig. Natur. To. I. P. I. S. I. Prop. III. Arg. II. p.* 11. *& deinceps*, Leſcalop. *in Cic. de Nat. Deor. l.* 1. *p.* 87., Rapin *Compar. de Platon, & d' Ariſtote ch. dern. n.* 11. *p. m.* 245., La-Bruyere *Caracter. de Theoph. &c. au Chap. des eſprits forts &c. p. m.* 670., Ludov. Thomaſin. *Method. d' étudier, & enſeign. chretiennem. la philoſ. l.* 2. *c.* 1.

(*a*) Carteſ. *in Medit. & epiſt. ſaepe*, Sylv. Reg. *in Metaph.*, Malebr. *Inq. ver.*

(*b*) Gabr. Sagard *Hiſt. du Canadà l.* 2. *c.* 30., Jacques Bernard *Nouvell. de la Rep. Letter. a.* 1705. *Fevr. art.* 1. *& alibi ſaepius*, Cumberl. *Traité Philoſ. des Loix Natur. Diſcours Prelimin.* §. 11. Gaſtrell. *La Certit. & la Neceſſ. d' une Relig. en génér.* Extat in *Tom. I. Collectionis Burnetianae*, cui tit. *Defenſe de la Relig. &c. extraité des Ecrits publiés pour la fondat. de M. Boyle. V. a p.* 399. Semel autem moneo me hoc opus intellectum velle, ubi *Collectionem Brunetianam* nomino; quod eam Gilbertus Burnetius adornaverit; Hancok *l' Exiſt. de Dieu prouv. & defend. T.* 3. *Collect. Burn.* Jean. Leng. *l' Obligat. de croire la Relig To. V. Coll. Burn. Vid. II. & III. part. a p.* 26, La Croze *Entretiens ſur divers ſujets d' hiſtoire &c.* Magalotti *in epiſtolis*; quarum ita declarat argumentum Vir doctiſſimus, & elegantiſſimus Angelus Fabronius (*Vitae Italor. doctr. excell. qui Saec. XVIII.* flo-

phemeridum Scriptores, ac praeterea Bruzenus La-Martiniere, Caſtus Innocens Anſaldus, Rodulphus Tertraeus, Joannes Hooke, Antonius Genuenſis, Jacobus Antonius Baccius, Nicolaus Ghezzius, & Jacquierus, & Gerdilus, & Sanſeverinus, & Formeyus, & Nonnottius, & Valſechius, & Nicolajus (*a*). Eos appello, qui ſcribentibus nobis veluti occurrunt. Sed & multo plures, adhibita majore diligentia, produci poſſent probatiſſimi Scriptores, quorum & magna ſint in litteras merita, & magna ex meritis iiſdem gloria comparata.

Huc etiam vocandi ſunt Auctores fere omnes, ſummae impietatis calumniam a barbaris, aut omnibus, aut bene multis, nationibus depellentes, quos immortalis Viri collegit Joannis Alberti Fabricii diligentia.

Sed inter eos, quos teſtes adduximus, plures non magnopere putant in eo laborandum, ut a ſingulis gentibus, immanitate barbaris, divinam aliquo modo naturam agnitam eſſe demonſtretur. Putant enim paucarum gentium, quae ſint ingeniis, ac moribus admodum efferatis, tuto ſuffragium poſſe praeteriri, dum genus humanum, quid ſentiendum

ſloruerunt, Dec. II. in V. Magal. p. 197.) = *Non dubitat neminem aut perpaucos eſſe, qui veri ſint Athei; hos Deum negare, quia illum peccatorum vindicem metuunt, & oderunt, aut quod ipſum intelligere ſe poſſe deſperant. Quod omnium gentium, generumque hominibus perſuaſum ſemper fuerit, Deum eſſe aliquem, id ſatis magnum argumentum cenſeri debere dicit ad convincendos Atheos* =.

(*a*) *Mémoir. de Trév. Iuin. 1705. & Maï 1706.* La Mart. *Dictionn. Geopraph. Art. Braſil*, Anſald. *Ragion della neceſſ. e verità della Relig.* Du Tert. *Entret. ſur la Relig. Tom. I. Entr. I.*, Hooke *l. cit.* Genuenſ. *Tom. III. in Schol. gener. ad C. 1. p. m. 116. & rurſus in Append. ad id. Cap. p. m. 122.*, Bacc. *Ethicae To. III. Lib V. P. I. C. 1.* Nicol. Ghezzi *de' Principj della Morale Filoſofia Dial. 2. & 3.* Franciſc. Jacquier *Inſtit. Philoſ. Tom. II. p m. 189.* Gerdil. *Introduz. allo ſtudio d. Relig. P. 1.* vide praecipue *p. 63* Carol. Sanſever. *della Morale Filoſof. degli ant. Filoſ. &c. I. I. p. 17. 18.*, Formey, e cuius chartis extractus eſt Articulus *Dieu in Encyclopaed Diderot.*, Nonnotte *Les Erreurs de Voltaire To. II. Ch. II. a pag. 30. edit. 3.* Valſech. *De' Fondam. &c. L. 1. C. VIII. ſeq.* Niccol. *Ragionam. ſulla Relig. Vol. II. Rag. II.*

dum ſit de natura divina, conſulitur: quae doctrina, qua veritate nitatur, mox inveſtigabimus. Caeterum, ſi paucos quoſdam excipias, quod aliqua ſit gens prorſus athea potius in medio relinquunt, ne moleſtis quaeſtionibus implicentur, quam ex animi ſui ſententia concedant.

Porro conſenſus humani generis, de quo loquimur, etiam ab impiis bene multis agnoſcitur, licet intolerabili quadam ſuperbia contemnatur. Inter eos eminet infamis auctor libri, qui Syſtema Naturae inſcribitur (*a*), ſed cum Naturae parentem optimum, atque moderatorem e medio tollere nitatur, Naturam ipſam & conſilii expertem, & mancam, & inermem, quin & omnino nullam relinquat neceſſe eſt. Quid plura? Ipſe ille Baylius, qui nobis adverſatur vel maxime, ſatis eam veritatem fateri mihi videtur, ubi ſcribit (*b*): populos omnes etiam ignotos aliquam ſuſcepiſſe religionem, ſibi probabilius eſſe; neque vero plurima, quae contra propoſitionem eam argumenta congeſſerat, alio tendere, quam ut id in rebus omnino certis habendum non eſſe demonſtrarent. Cum Sophiſta quiſquam Pyrrhonicus aliquid eſſe probabilius fatetur, quid ab eo amplius expectes? Certa enim ne vera quidem ea dicet, dum conſtare ſibi velit, quibus & omnis hominum ſcientia, & vitae conſuetudo regitur. Satis eſt, inquam, ſi probabilius aliquid eſſe dicat, ut ipſius teſtimonium ejuſdem fere ponderis, dum caetera paria ſint, atque alterius certum eſſe dicentis exiſtimemus. Nimirum, quod Trevoltienſes, quod Valſechius, quod alii plures adverterunt, ſaepius ab optimo Baylii ingenio, eximiaque doctrina veritas ipſa, ut ita dicam, aliquid exprimit, quod cum erroribus ipſius manifeſtò pugnare videatur.

CA-

(*a*) *Syſtème de la Nature, & des Loix du Monde phyſique, & moral. par M. Mirabaud &c. A' Londres 1770.*

(*b*) *Vid. Bayl. Reponſ. aux queſt. d'un Provinc. P. II. C. 99. p. 702. Tom. III. des Oeuvres diverſes.*

C A P U T IV.

Contra ſententiam, quam tuemur, nullam eſſe difficultatem ex gentibus petitam, quae penitus nobis ignotae ſunt.

QUamquam eo loco, quem innuimus, ea Baylius habeat, aliis tamen locis innumeris, & Veterum, & Recentiorum, qui cauſam hanc attigerunt, flocci facere videtur auctoritatem. Certe genus humanum in cognoſcenda veritate, tum ad agnitionem animi pulcherrima, tum ad moderandam religionem neceſſaria, conveniſſe praefracte negat. Ait enim, inter caetera, quae poſtea exequemur, aliquas eſſe gentes, quas nonniſi temere quivis affirmare poſſit, vim ullo modo ſentire Divinitatis. Itaque valde cavillatur homo, & facetus, & ad ſcribendi licentiam liber, eos reprehendens, qui generis humani concordem de natura divina ſententiam tantopere celebrent, cum tamen aliquarum gentium, in humano genere comprehenſarum, ſententias non facile dignoſci poſſe conſentiant.

Reponi ſtatim poſſet eos auctores de genere humano loqui, ſibi cognito, cuiuſque placita dignoſcere poſſimus, non de qualicumque portione mortalium, terras incolente, quas *Oceano diſſociabili Deus abſciderit*: Ex eo, quod illarum gentium ſenſa nos omnino lateant, effici, ut, ſin minus favere, certe neque officere noſtrae ſententiae dicendae ſint: idem enim de illis judicium eſſe ferendum, ac ſi nunquam in luminis auras evaſiſſent. (*a*) Non aliud illos auctores velle, poterat etiam ex eo Baylius cognoſcere, quod ad hiſto-

(*a*) Recte Iacob. Bernard (*Nouv. de la Rép des Letr. Févr.* 1705.) de hac a Baylio excitata difficultate pronuntiat = *eſt peu importante, parce qu'elle n'eſt fondée, que ſur un peut-être, au quel on peut oppoſer d'autres peut-être, qui ne ſont pas moins aparens. Car peut-être, que ſi les païs, que nous ne connoiſons point, ſont habitez, on'y trouvera, quand'ils ſeront découverts . . . . quelque idée de la divinité* =.

ſtoriam provocare ſoleant adverſarios, ac populorum monumenta legenda, ſi fidem ipſis habere recuſent. Iam quis neſciat ad hiſtoriam ſpectantia monumenta non de genere humano, etiam incognito noſtris hominibus, ſed tantum de cognito verba facere? Atqui, Baylius ait, de toto genere humano, ne gentibus quidem illis exceptis, ſpondere videntur, aut certe ſpondere debent, qui hujuſmodi conſtruunt argumentum: Quod univerſis videtur hominibus verum eſt: videtur autem univerſis aliquis eſſe Deus: Aliquem igitur eſſe Deum, verum cenſendum eſt. Neque enim illud univerſis hominibus videri, quemquam demonſtraturum eſſe putat, niſi prorſus omnium gentium fere omnibus hominibus illud placuiſſe, ac placere probaverit. Mirarer haec a Baylio dici potuiſſe, niſi non raro ipſum, potius quod optat, quam quod intelligit eſſe ſcribendum, litteris mandare didiciſſem. Sane mediocri etiam ingenio vir facile conſentiet, ſuam argumento ſtare vim, etſi de gentibus tantum omnibus nobis cognitis inſtituatur ſermo. Tot enim illae ſunt numero, ac temporibus, regionibus, moribus, artibus, ſtudiis ita diſcrepantes, ut ſi quid univerſis probetur, ipſius naturae voce probari ſatis intelligatur. Si quis autem in ea conſenſione vocem, quam dico naturae, agnoſcendam eſſe neget, idem eodem jure negaverit, etiamſi gentium quarumdam, adhuc incognitarum, acceſſio fiat. Cur igitur de gentibus illis ſolliciti eſſe debuerint Auctores noſtri, plane non video.

Caeterum, ut Baylio reſpondeamus, neceſſe non habemus ad iſta confugere. Non enim ille poteſt oſtendere, cur in hac noſtra controverſia maximam vim habere non debeat Ἀναλογίας, aut inductionis ratio, quae, caeteris in cauſis, & debet, & ſolet valere plurimum. Cum enim gentes univerſae, quarum vel ſtudia, vel mores, & ipſos de Religione ſenſus probe perſpectos habemus, Numen aliquod eſſe colendum, ejuſque mandatis obtemperandum, mirifica quadam, & inuſitata conſenſione doceant, merito, ut dixi,

colligimus hanc eſſe naturae vocem, quam barbarae quoque gentes aliqua tandem ratione non exaudire non poſſint. Igitur ſi de populo quopiam in aliquo terrarum angulo deliteſcente quiſquam dubitet, an ſenſu Religionis aliquo ſe tangi ſinat, merito poſtulabimus, ut dubitandi rationes ipſe proferat; quod ſi non faciat idem de illo populo, quod de caeteris, ferendum eſſe judicium analogiae ratio convincet. Quid? Corpora, quae ſunt in regionibus ignotis an ulli unquam tentamini ſubjeciſti? Negabis. Cur igitur ea gravitate, vel attractione, aut alia quapiam vi pollere, non ſecus, atque ea, quae noſtris oculis uſurpamus, audes dicere? Ratio analogiae docuit. Ergo hoc eadem ratio te non docebit, cum in omnium, quae nobis innotuere, gentium animis Divinitatis notionem, quocumque tandem modo, impreſſerit ipſa natura, idem de caeteris intelligendum, quae longo ſunt a nobis locorum, vel etiam temporum intervallo disjunctae? Etenim falsè illud, ac improbè Baylius (*a*), ut alia plurima, ſcilicet illorum quoque temporum, quae fabuloſa dicuntur a noſtris auctoribus, hiſtoriam fuiſſe diſcendam, ut, quae de conſenſu totius humani generis praedicant, non majori confidentia, quam veritate ſumerent.

Sed id, quod volumus, etiam alia ratione concluditur, cujus, qui pondus non ſentiat, neſcio quidnam ſenſurus, in hoc genere quaeſtionum, eſſe videatur. Nimirum, quo clarius, atque ſincerius barbari, quae taciti ſecum ipſi mente revolvant, aut inter ſe a majoribus accepta conferant, noſtris hominibus aperire non dubitant, eo certius, & evidentius illos ab ἀθεότητος impietate alienos eſſe deprehendimus. Id ex iis, quae de Canadienſibus, Braſilienſibus, Hottentotis, Novarum Philippinarum incolis, aliiſque dicturi ſumus, ſatis conſtare poterit. Quis jam inde non aliquid ſimile, de gentibus neſcio quibus, futurum ominetur, incognitis hactenus, aut, quod eodem fere recidit, noſtrorum ho-

(*a*) *Continuat. des penſ. & Reponſ. aux queſt. plurib. loc.* ut alia, quae hoc capite perſtringimus.

hominum conſuetudinem, & ipſa colloquia refugientibus? Erit, erit fortaſſe tempus, quo tandem quid illae de mundi origine, de bonorum, aut malorum finibus opinentur, Europaeis aperire, & poſſint, & velint. Tunc ab iis non minus, quam a reliquis, communes, & anticipatas notiones, quas hominum generi quodammodo natura indidit, fuiſſe cuſtoditas, aut certe non penitus ab ipſarum mentibus abraſas, tam clare videbimus, ut res in medium vocari nulla ratione poſſit. Eadem conjectura, ut facile quiſque videt, ad homines trahi poteſt ab aetate noſtra remotiſſimos, quos inter nulli ſcriptores extiterunt, qui litteris ipſorum ſententias de religione mandarent. Nimirum, ſi ſenſus etiam illorum innotuiſſent, a ſenſibus reliqui generis humani, nobis cogniti, non admodum, aut etiam nihil, diſcrepare videremus.

Sed jam Baylium audiamus aliqua proferentem, ut ab inductionis argumento ſeſe defendat. Etenim inductionis argumentum Iacobus Bernardus, acerrimus in multis cauſis, & in hac maxime, Baylio adverſarius, pro gentibus incognitis, eidem oppoſuerat (a), licet non eadem ratione, qua nos, illud urgere videatur. Ait enim, quomodo non dubitamus, quin eae gentes humana figura potius, quam alia qualibet praeditae ſint, licet nemo viderit illas ex noſtris hominibus, ita Divinitatis aliqua notitia, ac Religione imbutas, quamvis eas minime noverimus, eſſe judicandas. Reponit Baylius (b), inter ea, quae philoſophi dicunt homini *eſſentialia*, & ea, quae dicunt iidem *accidentalia*, eſſe diſtinguendum: itaque populos incognitos illa, quae ſunt primi generis, non illa, quae ſunt alterius, habere, inductionis argumento colligi poſſe. Iam Religionem non ad hominis eſſentiam, quemadmodum ad humani corporis, eam, qua ſumus, formam pertinere vulgo cenſemus, rationibus aliquibus oſtendere conatur. Equidem inter ea ipſa, quae pertinent ad eſſentiam rei, ſubtilius eſſe diſtinguendum pu-

(a) *Nouvel. Fevr.* 1705.

(b) Bayl. *Répons. &c.* C. 96. *p.* 693.

to. Nam aliqua ita pertinent, ut Eſſentiam ipſam conſtituere intelligantur; aliqua vero ita, ut ab eadem Eſſentia quodammodo neceſſario fluant. Iam haec inter eſſe ponendam arbitror, non quidem Religionem ipſam, quae ſicut libera quadam voluntate ſuſcipitur, ita etiam libera voluntate deponi, quin & prorſus abjici queat: quemadmodum a miſeris aliquibus gentibus abjectam fuiſſe, mox oſtendemus: ſed proclivitatem quamdam, ac propenſionem, ad aliquem cultum ſupremo Domino, a quo noſtra pendeant univerſa, praeſtandum: quae quidem propenſio tanta ſit, ut niſi quadam immani barbarie voluntas, enormibuſque vitiis, omnino detorqueatur, ſemper id ferat, ut aliquam ſequantur homines religionem, aut id, quod ſpecie religionis animos poſſit allicere. Hanc eſſe propenſionem in gentibus ignotis eadem ratione mihi perſuadeo, qua duos oculos, duos pedes, manuſque ambas, hominibus ipſis ineſſe facile intelligo; quamvis & uno tantum pede, vel unica manu, vel altero tantum oculo praediti, fortaſſe & animantes, & rationis participes eſſe poſſent. Nam quemadmodum homines, quos vidi, duobus pedibus, & manibus, & oculis totidem gaudere, niſi forte invida in eos aliqua ſors extitiſſet, ſemper vidi, ita homines omnes, qui ratione non prorſus obruta vitiis uterentur, in id, veluti naturae, ac rationis ipſius ductu ſemper ferri perſpexi, ut Divinitatem & agnoſcerent, & ſibi propitiam cuperent, & precibus, & votis eſſe placandam, ac ſibi, ſuiſque conciliandam exiſtimarent.

Addebat Baylius, per illud argumenti genus non evidentiam extundi, ſed tantum probabilitatem aliquam poſſe. Ut id ſuadeat, Auctorem Artis Cogitandi (*a*) teſtem producit. Sed vel Auctor ille tam praeclarae artis id unice vult; ſcilicet per illud argumentum evidentiam haberi non poſſe, quam metaphyſicam, vel etiam, ſi vis, quam phyſicam appellamus, vel, Auctoribus caeteris artis cogitandi, ſeu

(*a*) L'Auteur *de l'Art de penſer.*

ſeu Dialecticae praeceptoribus, facile conſentientibus, omnino eſt deſerendus. Quod attinet ad rem noſtram, tam non poſſum prudenter dubitare, quin homines, de quibus vertitur quaeſtio; ſi quidem rationem, & humanitatem non prorſus omnem abjecerint; Divinitatis aliqua cognitione ſint praediti, quam oculos habere duos, quibus coelum, ac coeleſtia contemplentur, & terras, & maria circumſpiciant, certò ſcio.

Ridiculum autem id eſt, quod Baylius ſubdit (*a*), ſcilicet inductionem tamdiu non fore completam; quamdiu gentes aliquae nobis ignotae futurae ſint; inductionem vero minime completam non eſſe niſi probabilitati efficiendae parem. Quid? An, ut inductio completa ſit, poſtulas id ipſum notum eſſe, quod quaerimus? An vis earum gentium ſenſa jam nobis aperta eſſe, quae, qualia dicenda ſint, hujus argumenti ope inveſtigamus? An tibi non ſatis eſt omnium populorum, qui nobis probe cogniti ſunt, tenere ſententias, ut, quid etiam alios natura doceat, aſſequaris? Iſta ſi requiras, ut inductio completa cenſeatur, illud neceſſario ſequitur, ut omnis inductio, per quam occultum aliquid quaerimus, numquam ſatis completa dicenda ſit; ideoque fere tota peribit vis argumenti, cui, non modo litteris exculti homines, verum etiam rudes, ipſa quodammodo monente natura, plurimum tribuere ſolent. Mihi quidem inductio illa completa eſt, cui nihil deſit ex iis, quae, cognita nobis, aliquid ad ipſam conferre queant; praeſertim cum, & incredibili quadam ea ſint multitudine, de quibus experimenta capere liceat, & rebus in aliis, niſi quae pertinent ad naturam ipſorum, aut velut ex natura dimanant, longe, lateque diverſa videantur. Sic inductionem completam habeo, quae mihi, caeteriſque, lapides ignotarum terrarum gravitate praeditos eſſe perſuaſit, etſi eos tantum lapides, qui ſunt in noſtris regionibus, tentare potuerimus. Porro mea ſententia eſt, quam his libris probare

(*a*) *Ibid. pag.* 694.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

re conabor: nullam omnino gentem eſſe, quamvis opinionibus, ac moribus maximè depravatis, quam aliqua non imbuerit, ſaltem confuſa, notitia Divinitatis. Satis id hiſtoria docere videtur, ſi de populis loqui velimus, quorum ſententiae nobis, ac placita ſint adeo bene perſpecta, ut certum de illis judicium ferre poſſimus. Hinc ſatis completam eam inductionem exiſtimo, quae poſſit hac in re a populis probe cognitis ad alios, qui fortaſſe ſunt, prorſus incognitos trahi, aut, quod eodem fere recidit, tam parum cognitos, ut potius divinari, quam narrare viſi fuerint, qui de religione ipſorum, aut impietate, aliquid litteris mandare voluerunt. Nam & nobis hiſtoriae ſatis certa monumenta deſunt, quibus, aliquem ipſos vereri Deum, docere poſſimus, & deſunt adverſariis, quibus, prorſus Atheos habendos eſſe, demonſtrent. Conjecturis enim, & auctoritatibus, quas ad eos damnandos ipſi proferunt, reſponſio ſemper aliqua valde probabilis aptari poteſt. Hae gentes, inquam, in re noſtra, mihi ſunt inſtar eorum lapidum, quos in altiſſimo quodam pelago, vel in culmine montis inacceſſi a natura poſitos explorare non poſſim, nec tamen minore, quam reliquos, gravitate, vel attractione pollere putem.

Ad extremum Baylius addebat, ut argumentum illud, a Bernardo propoſitum, elevaret, exempla non pauca morum, quos apud barbaros populos vigere deprehendimus, licet a populorum caeterorum conſuetudine immane quantum abhorreant; ut e. g. quod foeminarum virginitas non maritis, at Sacerdotibus libanda reſervetur, ut, quod non puerperae curentur, ſed, ſtulta quadam ſuperſtitione, patres, ubi primigeni infantes in lucem prodeunt, ut alia bene multa, quae magna eruditione proſequitur. Argumento, inquit, inductionis nemo non collegiſſet, nullas apud gentes, foediſſimos hujuſmodi mores, atque ſtultiſſimos, locum habere poſſe. Cum ergo locum habere viderimns, inde colligendum, quam parum argumento inductionis, in re valde ſimili, fidere debeamus. Equidem, ſi quid ferat inge-

ge-

genium meum probe novi, quod ſentio, quam ſit exiguum, ſi quid hiſtoriarum cognitio, in quibus me non inficior mediocriter eſſe verſatum, argumentis, quae Baylius innuit, non multum profecto tribuiſſem. Etenim inductionis ratio ad ea, quae naturam alicuius rei vel conſtituunt, vel neceſſario comitantur, aut conſequuntur, duci poteſt; non autem, niſi conjecturis quibuſdam, plerumque incertis, accedentibus, ad ea, quae pendent a libera hominum voluntate. Etenim ipſa docet exemplorum vetuſtas, & recentiores hiſtoriae confirmant, nihil eſſe tam immane, tam foedum, tam extra mores cultarum gentium, legeſque poſitum, quod alicujus efferati populi barbaries, maxime ſi virtutis omnis inimica ſuperſtitio cum ea conſpiraverit, ſuſcipere non audeat. Sed, quod ea barbaries audet, nullo modo putandum eſt fieri, ſaltem initio, non interdum reclamante, aut certe neſcio quid in contrarium muſſitante ratione. Conſtat enim, ut alia ſileam exempla, non paucos ex immaniſſimis Americae gentibus, carnes hoſtium ſuorum vorantibus, homines, cum ab Europaeis benigne, & amice corriperentur, oculis humi demiſſis erubuiſſe, ac tanti ſceleris emendationem promiſiſſe, licet ad ingenium deinde brevi redierint. Si Baylius hic probaret, res toto coelo diverſas, quod pertinet ad mores conformandos, ab ipſa ratione, ac natura non omnino perdita, vitiiſque corrupta, diverſas gentes doceri, tum vero contra nos aliquid concludere, non ſine magna ratione, poſſet. At cum tantum doceat mores a ſana ratione alienos, ac caeteris populis improbatos, quibuſdam ſtultiſſimis, & immaniſſimis gentibus placuiſſe, contra Bernardum, qui populis ignotis etiam Religionem, ac Divinitatis cultum eſſe tribuendum probare contendit, aliquid fortaſſe conficiet; contra nos, qui notitiam ſaltem aliquam Divinitatis, a recta ratione veluti ſponte provenientem, & hinc ad religionem, aut religionis aliquam ſpeciem, veluti proclivitatem quamdam naturalem illis tribuere contenti ſumus, aliquid proficere, inani prorſus labore conabitur.

Ex

Ex iis, quae diximus, omnibus etiam efficitur, quod in hac tota controverſia non levis eſſe momenti mihi videri ſolet, ut onus nempe fere totum probandi jam ipſi Baylio, non autem nobis, incumbat. Nimirum, cum non eſſe gentem prorſus atheam & veneranda doceat antiquitas, & recentiorum fere omnium eruditio conſentiat, cum id ipſius analogiae ratio confirmet, jam qui vult aliquam eſſe gentem, quam nulla imbuerit Divinitatis opinio, non debet continuò cum Baylio clamare, nos id probandum ſuſcepiſſe, quod numquam probari poterit, ſed rationes ipſe debet afferre ſatis firmas, atque probabiles, quibus aliquam gentem a reliquis diſcrepare, atque adeo ad ipſius omnium parentis naturae vocem obſurdeſcere pateſiat. Ut Criticorum ipſe Criticum agens vocibus utar, poſitivum argumentum ille debet afferre, ut quod ſcribit, non optare, ſed cum ratione docere videatur.

C A P U T V.

Sententiam noſtram ex eo non poſſe concuti, quod aliquae dicantur eſſe gentes, omnino barbarae, Dei cognitionis expertes.

ARgumentum hujuſmodi poſitivum, quod optimè cuidam reſponſioni non eſſet obnoxium, numquam invenire Baylii vel ingenium omnino magnum, vel ſingularis eruditio potuit. Ille quidem & veteres conſuluit hiſtorias, & orbis recens detecti prope ſcrutatus eſt angulos, ut Atheis, quorum amore deperire videtur, praeſidium aliquod inveniret: neque vero tam populis omni humanitate politis, quam aliis quibuſdam immanitate barbaris, fidere viſus eſt.

Qua quidem in re primum illud eſt, quod admirer, aut non vidiſſe Baylium, aut potius non viſuros eſſe caeteros confidere potuiſſe, quo tandem ille totus evaderet labor.

bor. Demus, quod tamen & ex iis, quae diximus, & ex iis, quae poſtea dicemus, verum non eſſe conſtabit, aliquas eſſe gentes immaniter efferatas, apud quas non modo nullus religioni locus, ſed neque ulla cuiuſque Numinis cognitio ſit. Quid inde conficies? Num eos deceptos eſſe concludes, qui, communi generis humani ſuffragio, quod ſit aliquis Deus, comprobari docent? Parata ſemper ea reſponſio eſſet, quam a Porphyrio adhibitam (*a*), caeteri, qui de his rebus agunt, Scriptores praeſtantiſſimi probaverunt. = *Ex gentibus illis, tam efferatis, & inbumanis*, ait Porphyrius, *non oportet ab aequis judicibus convicium fieri naturae humanae* = Cui ſubſcribens haec ait auctor & ingenio peracri, & accuratiſſima methodo, & eruditione ſingulari mihi probatiſſimus, Ioannes Hooke (*b*) = *Numquid aequum eſſet de corporis humani habilitatibus judicare ex caecis, vel ſurdis, vel mutis, vel contractis, aut dotes animi humani ex idiotis, ſtupidis, vel inſanis colligere? ſine dubio ſpecimen naturae cujuslibet a natura optima ſumendum eſt* = Cum ergo quid humanum genus, aut inſitum habeat ab ipſa natura, aut alia facillima ratione comparatum, inquiritur, de gentibus tantum ſolliciti eſſe debemus = *apud quas*, (ut Hugonis Grotii (*c*) verbis utar.) *ratio, & boni mores, non plane extincta ſunt inducta feritate* =, quae ſcilicet, neque ſtupore, ac debilitate mentis, neque foeditate morum, ac totius vitae corruptione, eas in tenebras ſeſe projecerint, ut fere numquam illis naturae lumen appareat.

Sane, quis inter homines cenſeat Americanos illos, Ἀθεότητος etiam accuſatos, de quibus tam horrenda retulit Georgius Hornius? (*d*) = *In Valle Nova*, inquit, *quae Popajanam adſita eſt, capiunt hoſtium ſuorum foeminas. & prolis cauſa domi alunt, quam vix editam devorant . . . . . Haec jam*

(*a*) Porphyr. *L. de abſtinentia &c.*

(*b*) *To. I. P. I. Sect. I. Prop.* 3. *Argum.* 2. *p.* 13.

(*c*) *De Ver. Rel. Chriſt. l.* 1. *p. m.* 39.

(*d*) *In Hiſt. Univ. p.* 462. *edit.* 1666. *Lugd. Batav.* & apud Genuenſ. *To. III. in Append. ad C. I. p. m.* 124.

jam exempla omnem barbariem exhauſerunt. Tamen reſtant alii juxta Ilheos in Braſilia, quos tum deſcribam, ubi ſupra immanitatem vox reperta fuerit. Ili cum Aymuris bellum gerunt. Praegnantium ventres aperiunt, ac immaturos foetus extractos, ſtatim, ſpectantibus parentibus, ſemicrudos, & ſemivivos deglutiunt =.

Similia de barbaris fere omnibus Americanis (illi autem omnium maxime ſummae illius impietatis ſuſpicione premuntur) paſſim tradunt alii ſcriptores (*a*), quibus efficitur, ut inter belluas potius, quam inter homines, cenſendi videantur.

Americanis, quos deſcripſimus, non valde abſimiles integras eſſe gentes fere omnes, ab aliquibus Auctoribus Atheas habitas, omnis hiſtoria loquitur. Quid ergo eas gentes Baylius producit, cum de humani generis unanimi, concordique ſententia diſputamus? Caeteris quoque in rebus hominum, qui ſint in aliqua natione deſpicatiſſimi, nulla prorſus habetur ratio, cum de nationis illius religione, vel moribus, aut ſtudiis, ſapientes inter homines inſtituitur ſermo. Quis negat bellica virtute valuiſſe Romanos, tolerantia Spartiadas, calliditate Poenos, robore Gallos, quod eas inter gentes aliqui profecto fuerint, nauci homines, & abjecti, qui vitia omnino contraria ſequerentur? Quis bonarum artium ſtudio neget Athenas vel maxime viguiſſe, quod Athenienſes permulti non defuerint, qui tantum divitiis, aut corporis voluptatibus inhiarent? A pluribus aliis abſtineo, quibus ad rem noſtram ſimilibus uti poſſem; eam namque magis claram apud aequos rerum aeſtimatores puto, quam ut clarior ulla fieri oratione queat.

CA-

(*a*) Vide Auctorem Anglum operis in Italicum ſermonem converſi, cum titulo = *Storia degli ſtabilimenti Europei in America* = *P. II. ac praecipue C. IV.* ubi crudelitatem Americanorum graphice deſcribit.

CAPUT VI.

Reſpondetur argumentis, quibus, barbaras gentes non eſſe contemnendas in hac diſputatione, Baylius cenſuit.

QUam bene, ſcriptor & eruditione nobilis, & eloquentia Saurinus (*a*) olim pronunciaverit, argumenta quandoque Baylium afferre, vix illa aetate digna, quae primis, ut ajunt, labris guſtaverit philoſophiam, facile lector ingenuus, ac praejudicatis opinionibus non occupatus, in hujus noſtrae diſceptatione cauſae, videre poteſt. Ecce enim ille probandum aſſumit, dum humani generis expenduntur ſententiae, non tam attendendum eſſe, quid gentes illae doceant, apud quas ingenuae ſunt in honore artes, ac litterae, magnamque ſibi curarum partem & patriae leges, & inſtituta, & omnia, quae civium propria cenſentur, officia ſibi vindicant, quam quid barbarae ſentiant, & incultae nationes, quas neque majeſtas imperii, neque belli, domique parta gloria, neque liberales diſciplinae, neque demum, addere potuiſſet, humanitas ulla commendat. (*b*) Etenim, inquit, ab his multo facilius, quam ab illis, quid vox naturae ferat diſcere poſſumus; neque verendum eſt, ne opinio tandem, ad arbitrium conficta, vocem ipſius naturae imitetur, ac ſimulet. Nempe, ſi Baylium audimus, tales barbaros populos natura genuit, ut eam ipſam intueri, ac perſpicere poſſint, & quid illa maxime velit, ſine ratione, ac doctrina facile ſentiant. At alii populi cultiores habiti, quos parvulos ea dedit igniculos, celeriter tot artibus, tot ſtudiis, tot legibus, & opinionibus inductis, ita reſtinguunt, ut nuſquam amplius naturae lumen appareat.

Quid ad haec veteres philoſophi dixiſſent, qui bene ac beate vivere, non aliud eſſe volebant, quam naturam tam-

(*a*) *In Serm. de Conc. Relig. & Polit.* (*b*) *Vid. Contin. de ſes penſ. §. XVIII. pag. 64. & alibi.*

tamquam Deum ſequi, nihilque aliud eſſe dicebant, Gigantum more pugnare cum Diis, niſi naturae repugnare? Nam ſi barbarae gentes naturae vocem facilius exaudiunt, ſequitur ut ab iis potius, quam a ſapientiſſimis Graecorum, beatae vitae praecepta petenda ſint? Quis ab homine tam docto ſe ludi non putet, dum ea diſſerentem audit, aut potius non id ab eo agi cognoſcat, ut imperitis lectoribus fucum faciat?

Sed, ut paucis ea quaeſtio praecidatur, illud a Baylio peto, ut explicet quae notio ſubjiciatur his vocibus, cum veritatem aliquam ab ipſa natura doceri dicimus. Quoniam ille Carteſianis ideis innatis non mediocriter in eo libro ſeſe praebet infenſum, non aliud afferre poteſt, quam quod philoſophi caeteri probavere. Nimirum ipſa veritatem aliquam natura docere dicitur, cum humana ratio, nativa quadam vi, neque per induſtriam, ſtudiumve comparata, cum primum ſibi proponitur, illam veritatem agnoſcit. Iam ergo. ſi barbari facilius quam caeteri homines, vident quid ipſa natura doceat, ipſorum ratio vim ſibi naturaliter inſitam, neque obtuſam, neque hebetatam conſervare dicenda eſt. Contra vero qui litteris dant operam, & vitam in omni officiorum genere traducunt, vim illam fere perdiderunt, tot artibus, & cognitionibus obrutam. Quis iſta ſobrius unquam probare poſſit? Etenim ſtudio litterarum non obtundi, ſed acui facultatem intelligendi, quam ipſa natura dedit, ac perfici potius, quam perdi, clamant omnes ſapientum libri, clamat hiſtoria, quotidiana demum experientia clamat. Quare ſi quaeſtio ſuboriatur, num animos eſſe immortales, num Divina Providentia res omnes adminiſtrari, vel ſimile quidquam aliud ipſa natura doceat, nemo ſanae mentis eſt, qui non philoſophum, aut virum alium liberalibus diſciplinis innutritum, quam ruſticum non alterius artis, quam agri colendi, gnarum audire malit.

Eadem experientia docet, aciem ingenii nulla re magis, quam inertia, deſidiaque corrumpi: quare illud eſt omnium

nium ſermone celebratum; *arcum frangit intenſio, animum remiſſio*. Quis jam ergo barbarorum ingenia, quamvis in ipſos fortaſſe liberalis natura fuerit, foediſſimum in modum depravata vel ex eo fuiſſe non ſentiat, quod per totum vitae tempus nihil ſibi minus curandum eſſe duxerint, quam ut eadem excolerent, neque mollem illis otioſamque ſegnitiem penitus adhaereſcere paterentur? Iam ſi, quod res ipſa loquitur, melius natura perfecta, quam depravata viget, quis inde conſequi non videat, ut inter gentes humaniores naturae vox, & firmior, & clarior, inter barbaras vero enervatior futura ſit, atque remiſſior?

Sed illa ratio contra Baylium palmaris eſſe debet, quod non modo deſidia naturalem ingenii vim hebetari ſinunt, ſed & in ſumma opinionum perverſitate vivunt, ut pene cum lacte nutricis ingentes errores ſuxiſſe videantur. Non enim, puto, Baylius eo ſeſe diſputationis aeſtu abripi ſinet, ut barbarorum hac etiam in parte patrocinium ſuſcipiat, eoſdemque minus deſipere, quam noſtros, aut dicat, aut ſentiat. Si ita ſe res habet, quid haec liberaliſſima ſtudia, Bayli, tantopere colimus, quid tot auctorum evolutio, quid philoſophia, quid hiſtoriae, quid tanta tot rerum, & noſtrarum, & externarum, memoria utilitatis affert, quid nobis demum litterae proſunt, illae, illae, inquam, tuæ? Iam ſi haec non dicis, ubi eſt acumen tuum? Nam ſi cultiores populi, quod aliqua inficiuntur opinionum pravitate, interdum a natura deſciſcunt, quid de iis futurum exiſtimabimus, quorum nempe mentes, & multo pluribus, & multo majoribus, imbuantur erroribus? Si artes ipſae, quae naturam imitari, atque perficere dicuntur, naturae vocem, ut ais, facile comprimunt, quanto magis id incondita barbaries efficiet, quae mentes hominum ita occupaverit, ut vix ullum ſapientiae reliquerit, ac veritati locum?

Similis ratio duci poteſt a moribus barbarorum, ut apud eos vanitati veritatem, & opinioni confirmatae naturam ipſam cedere cognoſcamus. Si Baylium audias, ritus, ac mo-

mores, certaeque vivendi rationes, ac leges, quae cultiores inter populos obtinent, impedimento eſſe poſſunt, ne ad aures noſtrarum mentium ipſius naturae vox ſatis clara perveniat. Quanto magis ergo mores id importuni praeſtabunt, qui multo magis ab ipſius naturae, quatenus eſt rationis particeps, ſimplicitate, ac bonitate diſcrepent? Num vero dubium eſſe poteſt, an ab hujuſmodi natura, multo magis, quam noſtri, barbarorum mores alieni dicendi ſint? Equidem puto, ne Baylium quidem eſſe dicturum, vel ipſos Catholicorum mores (eos enim praecipue carpit) cum immani ſuos hoſtes vorandi conſuetudine, & in omne crudelitatis, ac libidinis genus effuſa licentia, quam ſibi tam facile barbari indulgent, niſi per ſummam injuriam, poſſe conferri.

At ſcio quo ſe vertere Baylius poſſit, ſiquidem conſentanea velit iis afferre, quae libris ſcripſit his eiſdem, quos impugnamus (*a*): nempe naturam a nobis immerito fuiſſe laudatam: eam namque, per Adae crimen miſere corruptam, non eſſe niſi matrem foecundiſſimam errorum, atque vitiorum: igitur propter hoc ipſum apud barbaros potius vigere, quam noſtros homines, quod majores illi errores, ac foediora vitia ſequantur. Quis non videat Baylium, dum talia loquitur (loquitur autem ſaepe) ambigua voculae ſignificatione moliri, ut ſatis clarae veritati tenebras offundat? Humanam per Adae ſcelus vitiatam eſſe naturam ultro fatemur, ac ſincerius profecto, quam Baylius ipſe, fatemur, qui ſuis in libris id moliri videtur, ut veracis, ac Deo placitae Religionis vel ipſa fundamenta convellat. Id tamen non aliud infert, quam inferiori, ſic enim Theologi loquuntur, appetitui habenas eſſe permiſſas, ex quo fiat, ut rationis, dotibus quibuſdam ſibi non debitis ſpoliatae, imperium detrectet, ejuſdemque praeceptis, ac veluti decretis ſtare recuſet, nec jam ab illa, niſi per vim, in officio contineri poſſit. Nemo tamen aut Iudaeus, aut Chriſtianus intellexerat

(*a*) *Continuat. des penſ. & Repouſ. aux queſt. d'un Provinc.*

rat hactenus, naturam, qua parte rationem inſtruit, ſeu. quod eodem recidit, ipſam, ſua veluti ſponte, naturaque rationem in errores, ac vitia ferre, quaſi mentis ipſa perſtringat oculos, ac fere nullum velit eſſe nobis cum virtute, ac veritate commercium.

At de calumniis quibuſdam humanae naturae a Baylio illatis, alius erit opportunior agendi locus. A miſeris aliis ratiunculis refutandis abſtinemus, quibus barbararum quarumdam gentium ſuffragia contemnentes Baylius arguit; ne jam aut delicato lectori creemus faſtidium, aut erudito non multum tribuere videamur. Ille enim ex iis, quae diximus, aut ex aliis, quae alio loco dicemus, ratiunculas eas veluti per ſe corruere facile intelligit. Sed & Porphyrianae ſententiae veritas, ex iis, quae ſunt hactenus diſputata, ſatis apparet.

CAPUT VII.

Si quae ſunt Atheae gentes, eas rationis uſu deſtitui probabile videtur.

SI quis nationes aliquas Atheas eſſe putat, nec tamen reſponſioni, quam dedimus, acquieſcit, in ſententiam ire poteſt, quae nihil nobis ex alio capite officit. Nimirum, ſi vera ſunt, quae de iis populis aliqui tradidere, non modo Dei cognitione, ſed ipſo rectae rationis uſu carere videntur. Quare *ſemirationales* eos appellat Ulloa (*a*), Metaphyſicus ſubtilis, qui haec fuſe perſequitur. Quemadmodum enim apud nos aliqui homines, quos fatuos, aut ſtolidos appellamus, numquam ad id aſſurgunt, ut libera, & ſana mente potiantur; cur in id calamitatis genus vel integrae nationes non potuerunt incidere? Sane maligni κλίματος, noxiorum alimentorum, peſſimae educationis, atque conſuetudinis ratio multum ad id conferre poteſt.

Ea

(*a*) *To. VI. Diſp. IV. C. IV. n. 62.*

Ea ſaltem illi ex noſtris adverſariis nequeunt improbare, qui Monteſquiaeii libros (*a*), etiam in deliciis habere ſolent. Is enim in eo libro, quem de ſpiritu Legum inſcripſit, τῶν κλίματων varietatem, vel unicam, vel potiſſimam cauſam aſtruit ejus diverſitatis, quam non modo in hominum corporibus, & ingeniis, ſed moribus etiam, ac legibus, & in ipſa religione ſuſpicimus. Itaque non omni prorſus ratione caruiſſe ſcribit Mexicanum illum Imperatorem Montezumam, cum Hiſpanis reponeret, ipſorum religionem ipſorum patriae, ſuae autem ſuam maxime convenire. Nimium ille quidem ei cauſae tribuit. Quis tamen ejus doctrinam ſecutus inficiari poterit, id poſſe intemperiem, & inclementiam coeli, ut omnes per totum vitae tempus fatui maneant, ac ſtolidi, quibus nimirum multo verius, quam Boeotiis, contigerit.

Vervecum in patria, craſſoque ſub aere naſci?

Jam hujuſmodi hominum, quis non videat nullam eſſe rationem habendam, cum inquiruntur opiniones nationum?

At iis temporibus vivimus, quibus ipſum nomen Ulloae faſtidium recentioribus noſtris ingenerare poſſit, ac ſententiae, quam ille defendat, non leve detrimentum afferre. Erat enim Ulloa ex eo genere hominum, qui cum ſpinoſum quoddam, & exile ſequebantur diſputandi genus, tum multo melius ipſi ſecum, quam cum aliis loqui didicerant. Itaque Graeculis noſtris alium jam, quem ſequi poſſint, indicabimus ejuſdem auctorem ſententiae, doctum, elegantem, & ex recentiore ſchola politum, Cl. nempe Formeyum, quem ſemper honoris cauſa nominamus. Etenim ex illius ſcriptis Di-

(a) Dominus de Monteſquieu varia ſcripſit, quibus cum Religionem haud mediocriter laeſerit, morti proximus Chriſtianam poenitentiam agere, ac παλινῳδίαν canere non erubuit. Celeberrimum eſt eius opus *L'Eſprit des Loix*, quod noſtri ſpiritus fortes ad coelum laudibus evehunt. Maximum ingenium, doctrinam ſatis magnam, religionem fere nullam illud opus praeſefert.

Diderotius articulum, ut vocant, encyclopaedicum de Deo decerpſit, in quo eadem fere, quae ſcripſerat ſeverus ille Scholaſticus, elegantiore ſtylo ſubacta reperiuntur (*a*).

Et illa quidem non ad arbitrium excogitata dici poſſunt, ſed veteri jam quorumdam Hiſpanorum accuſationi ſubnixa. Etenim cum P. Monteſinus, ex Ordine Praedicatorum, Apoſtolica Vir charitate, Catholicum apud Regem inſtaret, ut a duriſſimo ſervitutis jugo, quod ab Hiſpanis quibuſdam imponebatur, Inſulae, quae Hiſpanica dicitur, Indigenae vindicarentur, multa illi quidem pro cauſa ſua ſubtiliter excogitata protulerunt. Non enim populos illos nativam in libertatem aſſerendos eſſe dicebant, qui, veluti pueri, vel inviti coërceri deberent. Etenim, cum ad aetatem valde maturam perveniſſent, minus etiam, quam decennes puerulos in Europa ſapere: quod multis argumentis oſtendere conabantur (*b*). Et ii quidem homines, haec aliaque ſimilia dicentes, in Indos humani videri poſſunt, ac mites, ſi cum aliis conferantur, Antillarum incolas, Atheos a quibuſdam exiſtimatos, inter homines potius, quam inter ſimias, aut ſimile genus brutorum animantium, numerandos eſſe negantibus; quod tamen commentum cito diſſipatum eſt Ca-

E tho-

(*a*) *Encyclop. Tom. IV. Art. Dieu p.* 811. *edit. Lucenſ.* = *Pour répondre à la premiere objection de M. Bayle, on y prouve qu'il n'y a jamais eu de nations Athées. Les hommes des qu'ils ſont hommes, c'eſt-à-dire capables de ſocieté, & de raiſonnement, reconnoiſſent un Dieu. Quand même j'accorderois ce que je ne crois pas vrai, que l'Athéiſme ſe ſeroit gliſſé parmi quelques peuples barbares, & feroces, cela ne tireroit point à conſéquence; leur athéiſme auroit été tout au plus négatif: ils n'auroient ignoré Dieu, que parce qu'ils n'auroient pas exercé leur raiſon. Il faut donc les mettre au rang des enfans, qui vivent ſans réflexion, & qui ne paroiſſent capables que des actions animales; & comme l'on ne doit point conclure qu'il n'eſt pas naturel à l'homme de ſe garantir des injuries de l'air, parce qu'il y a des ſauvages, qui ne s'en mettent point en peine, on ne doit pas inférer auſſi, que parce qu'il y a des gens ſtupides, & abrutis, qui ne tirent aucune conſéquence de ce qu'ils voyent, il n'eſt pas naturel à l'homme de connoître la ſageſſe d'un Dieu, qui agit dans l'Univers.* =

(*b*) Vid. *Tom. XLV. de l'Hiſtoire Generale des Voïages T.V. a p.* 481.

tholici Regis, ac Romani Pontificis auctoritate. At de hac reſponſione alii viderint accuratius. Nos enim Baylium non audimus, neque Lokium, neque alios, qui gentes integras quacumque Divinitatis cognitione carentes inveniri putant.

C A P U T V I I I.

Non probari gentem aliquam omni Dei cognitione caruiſſe, quod apud aliquem antiquum auctorem Athea vocitetur.

BAylius huic argumento valde confidit, quod veteres apud aliquos integrae gentes teterrimo Athearum nomine notatae, ac ſuggillatae inveniantur. Facile reſponderi poteſt Atheas eas gentes non fuiſſe dictas, quod omni prorſus cujuſque Dei vel cultu, vel cognitione carerent. Egregii ſcilicet Viri, Spanhemius, Voſſius, Sevinus, Valſechius (*a*), aliique notarunt, quod latius aliquando pateat ejus nominis apud antiquos acceptio, quam vox ipſa ſonare videatur. Equidem id veriſſimum eſſe video, dummodo non de iis antiquorum libris inſtituatur ſermo, in quibus, veluti data opera, quinam veri ſint Athei diligentius inquirunt, aut eoſdem armis, quae Philoſophia ſuppeditat, aggrediuntur. In iis enim non alios eo turpiſſimo nomine notare conſueverunt, quam eos, qui nullam omnino divinam naturam agnoſcerent: qua quidem de re plenior alibi recurret ſermo.

Nunc illud ſtatuamus oportet: eam vocem, de qua vertitur

(*a*) Sphan. *in not. ad Plut. Ariſtoph. v.* 492., Voſſ. *de Orig. Idol. L.* 1. *c.* 1. Valſech. *L.* 1. *de' Fond. C. IX. p.* 207. Sevini verba ſunt omnino digna, quae perpendantur ab aliquibus ſummorum Philoſophorum accuſatoribus. = *Mais comme la pluſpart des hommes, dans le deſſein de groſſir les objets, n' abuſent que trop ſouvent des termes, celuy-cy (d' Athée) quelquefois a eû une acception plus eſtenduë. Combien de gens, quoyque très-convaincus de l' exiſtence d' un Dieu, ont eſté accuſez d' athéiſme, uniquement parce qu' ils ne vouloient prodiguer, ni aux Saturnes, ni aux Iupiters les attributs de la Divinité &c.* = *Recherches ſur la vie &c. d' Euhem. Tom.* 8. *de l' Acad. R. des Inſcript. p. m.* 113. *M.*

titur quaeſtio, ſaepe ab antiquis Scriptoribus, dum non preſſius, & accuratius, philoſophorum more, loquuntur, non ad apertos dumtaxat cujuſque Numinis hoſtes, ſed ad alia etiam impiorum genera ſignificanda uſurpatam fuiſſe. Nam de magno aliquo ſcelere convicti, & quos inde Dii graviter puniebant, ab Atticis praeſertim pöetis, ut Spanhemius optime probat (*a*), ἄθεοι dicebantur. Frequentius autem Atheorum nomine notatos invenimus, quos, veluti ſuorum Numinum contemptores, execrabantur: quod cum Voſſius (*b*) diligenter advertiſſet, plures ex antiquis Philoſophis, qui Athei paſſim audiverunt, excuſari facile poſſe arbitratur, quamvis eoſdem non pauci Chriſtiani Scriptores Atheos appellent = *Nam rationi*, inquit, *magis conſentaneum eſt Atheos vocatos a noſtris, quia ſic apud Gentiles, legiſſent*; *a Gentilibus vero, quia Deos Gentilium pro Diis non habebant* = Ea conjectura validior ex eo videtur, quod Ethnicorum vulgus doctis hominibus, qui non eadem cum ipſo de Diis immortalibus ſentire viderentur, non modo convicia, cum eos Atheorum nomine vexaret, ſed graviores aliquando contumelias ingerebat. Multorum hujuſmodi hominum indicem confecit Joannes Albertus Fabricius. Equidem illud commemorabo, quod Valerius Maximus (*c*) narrat, Daphidem quemdam Grammaticum, cum Apollinis Oraculo Delphico captioſas quaſdam quaeſtiones propoſuiſſet, & Atheum fuiſſe judicatum, & gravibus in eumdem poenis animadverſum. At, quod gravius eſt, Thebanos univerſos, qui minus, quam reliqua Ægyptiorum natio ſuperſtitionibus apprime dedita, deſipiebant, finitimae gentes, teterrimo Atheorum nomine notatos averſari conſueverant (*d*); quod de populis etiam aliis alio loco docebimus. Hinc Flavium quoque Clementem, ac Domitillam, nobiliſſimos Chriſti aſſeclas, ἔγκλημα ἀθεότητος ſubiiſſe, & ob id a Domitiano damnatos ſcribit

E 2 Dio

(*a*) Spanh. *l. c.*
(*b*) Voſſ. *l. c.*
(*c*) Val. Maſſ. *L.* 1. *c.* 13. *p. m.* 123.
(*d*) Vid. Brucker. *Hiſt. Crit. T.* 1. *L.* 11. *c.* 7.

Dio (*a*). Hinc etiam Julianus ille Caeſar, quem noſtri Apoſtatam vocavere, magnum Conſtantinum Atheum vocare non erubuit: hinc paſſim Chriſtiani omnes tantae impietatis ab hoſtibus accuſabantur ſuis, ut ex eorum teſtimonio conſtat, qui pro iis apologeticos libros adornarunt; hinc denique, quod Valſechio emunctae naris homini notatum, gentes, quae vitam in ſylvis, & in montibus diſſipatae, omni prorſus exuta humanitate, traducerent, facile Atheis annumeratas invenimus.

Jam quod de Athei nomine diximus, de aliis quibuſdam ſimilibus vocibus eſt intelligendum. Etenim qui prophanae ſuperſtitionis jugum ferre non poſſent, ab Ethnicis Scriptoribus Deos non curare, Religionum omnem ſanctitatem contemnere, nulla colere ſacra dicebantur. Quas hoc in genere calumnias Socrates, Ariſtoteles, Evhemerus, aliique ſubierint, tacitus praetermitto. Hebraeorum ipſa florentiſſima natio, qua nulla ſanctius, aut purius, antiquas inter gentes, Divinitatem coluit, quod profanas Ethnicorum caeremonias averſaretur, turpiſſimam apud eos impietatis notam effugere non potuit. Hinc illud Plinii (*b*) de Judaeis = *Gens contumelia Numinum inſignis* =; hinc aliae paſſim haud abſimiles Ethnicorum obtrectationes. Haec cum ita ſe habeant, jam Baylii erit animadvertere, ad probandam gentis alicujus ἀθεότητα non ſatis eſſe, quod unus, aut alter Scriptor, quamvis antiquus, atheam vocet, aut Jovem, aut Deos non curare, aut non vacare ſacrificiis aperte teſtetur.

Sed jam aliqua ſolvenda ſunt, quae poſſet ex Baylio facile quiſpiam opponere. Baylius enim (*c*) cum Diagoram, Theodorum, Evhemerum, Nicanorem, & Hipponem, Atheos exiſtimatos, fuiſſe tamen viros optimos perſuadere vellet, Clementis Alexandrini, σωφρόνως βεβιωκότας (*d*) eoſdem

(*a*) *In Domit. L.* 47.

(*b*) *L. XIII. Natur. Hiſtor. C. IV.*

(*c*) *Penſées Diverſes ſur la Comete. V. Tom. II. §. cui titul. = Exemples, qui montrent, que les Athées ne ſe ſont pas diſtinguez par l'impurité des meurs = a 353. IV. edit.*

(*d*) *In Protrep.*

dem appellantis, pugnavit auctoritate. At incommodum id accidebat, quod eoſdem homines eodem loco Clemens Atheos fuiſſe neget, & calumniam illam ab Ethnicis fuiſſe paſſos aperte declaret, quod popularem ſuperſtitionem, & commentitios illos Deos contemnere non dubitarent. Itaque homo acutus, & optimus ſuae cauſae patronus, nihil cunctatus eſt auctoritatem evertere Clementis, quam hac eadem oratione ſtabiliverat. Habet enim Clementem fuiſſe deceptum, quod ea de cauſa viros illos Atheos ab Ethnicis dictos fuiſſe putaverit: Ethnicos probe tenuiſſe quinam Athei dicendi eſſent, & inter eos qui divinam exiſtere naturam inficiarentur, & alios qui tantummodo dubitarent, ac rurſus inter eos, qui nullam Diis tribuerent mundi procurationem, & eos, qui vitam ab iiſdem otioſa quiete duci beatam arbitrarentur, quid eſſet intervalli, optime cognoviſſe. Hinc Sociatem Baylius producit, quem inter Atheos numeratum non invenias, quamvis unicum eſſe Deum ille ſentiret: quin & Lactantium affert oſtendentem (*a*), ipſam unitatem Dei a Philoſophis multis, ab Orpheo, Virgilio, Thalete, Pythagora, Anaxagora, Antiſthene, Cleante, Anaximene, Cicerone, fuiſſe agnitam, nec tamen, inquit Baylius (*b*), Philoſophos eos ab Ethnicis Atheos vel habitos, vel dictos fuiſſe novimus. His inquam, omnibus rationibus Baylius pugnat, ut nulla Clementi fides adjungatnr, dum viros illos, quod fictos odio haberent Deos, Atheos vocitatos fuiſſe teſtatur, & ut ab Ethnicis eos tantum, qui nullos Deos eſſe vellent, ea voce fuiſſe ſuggillatos exiſtimemus. His omnibus ſatis, opinor, reſponſum videtur, ſi diſtinctio, quam capi-

(*a*) *L. 1. de falſ. relig. c. 5.*

(*b*) Bayl. *ib. p.* 354. ait de Lactantio = *il le prouve par des paſſages authentiques tirez de leurs livres: jamais pourtant on n' a diffamé ce gens-là comme des Athées &c.* = Obiter notare potes, quam haec iis contraria ſint, quae ſcribit Baylius in hujus ejuſdem operis *Continuatione*, & *in Reſponſione ad quaeſtiones Provincialis cuiuſdam*, contra Patres, & Recentiores Sapientibus Ethnicis aliquam Unitatis Dei cognitionem tribuentes. Hic certe Lactantium probare videtur id aſſerentem.

capitis initio dedimus, optime teneatur. Quamquam enim Ethnici, dum philoſophos agebant, aut Criticos, Atheorum genus a caeteris impiis optime diſtinguerent, non tamen ubi vulgi praejudicatas opiniones ſequebantur, aut Sacerdotum cupiditati, vel odio ſerviebant, aut certe, non omnibus verbis revocatis ad trutinam, iis nominibus notabant homines, quibus ab aliis notari paſſim audiverant. Quod autem aliqui notam ſummae impietatis effugerint, quamvis vulgares aſpernarentur Deos, multis aliis cauſis potius, quam illi, quam Baylius fingit, tribui poſſe, Lector vel mediocri praeditus ingenio, & eruditione facile videt.

Juvat autem hic Baylio Baylium ipſum opponere, in ejuſdem libri, in quo Clementem ea, qua diximus, ratione carpit, Continuatione (*a*), longe alia ſcribentem. Ait enim Apoſtolos, & Apoſtolorum diſcipulos, quod Πολυθεότητι bellum indixerant, & Deos ubique cultos eſſe Spernendos, ac tollendos e medio populis perſuadere conabantur, & Atheos habitos fuiſſe, &, velut Atheos, gravibus poenis, atque animadverſione publica dignos fuiſſe judicatos. Quod ſcribit hoc loco Baylius Juſtini Martyris, & aliorum, qui pro Chriſtianis illis antiquiſſimis apologeticos libros adornarunt, graviſſimo teſtimonio confirmat. Lectoris judicio non multum confidere viderer, ſi jam hoc loco Baylium Clementis, ac no-

(*a*) *Contin. des penſées &c.* §. *XXVIII. p.* 134. = *Les Apôtres, & leurs diſciples eurent à combattre par tout la pluralité des Dieux. Ils paſſoient pour des athées,* (in *nota: Voyez Juſtin Martyr, & les autres Apologiſtes des premiers Chretiens*) *& ils étoient perſecutez ſur ce pied-là, parce qu' ils prechoient contre toutes les Divinitez, que l' on adoroit alors* = Notandum vero, quod cum hic de Ethnicis generatim loquatur, tum etiam, ubi Clementem carpit, licet Plutarchi, ac Ciceronis, & aliorum mentionem faciat, tamen non de paucis quibusdam doctiſſimis Ethnicis, at de Ethnicis generatim ſermonem inſtituit. Id vel ſola illius capitis lectio docere poteſt. Accedit alia ratio. Nam Clemens Alexandrinus non a paucis quibuſdam doctiſſimis Ethnicis, at a vulgo Ethnicorum Atheos illos homines, quod populares non reciperent Deos, fuiſſe dictos aſſeruerat. Igitur, ſi quis Clementem impugnare velit, generatim Ethnicos Athei nomen ea ratione ſumere non conſueviſſe, demonſtret oportet.

Digitized by Google

noſtram confirmare ſententiam, mihi probandum aſſumerem. Potius hic ingenuum eumdem Lectorem rogabo ut advertere ipſe velit, atque ſtatuere, quid ſit de Scriptore judicandum, qui cum & eximio polleat ingenio, & exquiſita doctrina, & memoria etiam omnino ſingulari, tam facile pugnantia loquitur, ut ex libris ipſius plures ejuſdem refutari ſententiae, ſatis perſpicua ratione, poſſint.

CAPUT IX.

Non facile Viatorum, & aliorum hominum quorumdam eſſe recipienda teſtimonia, ubi gentes aliquas nullo ſenſu Divinitatis tangi referant.

QUI nullam eſſe gentem, aut genus hominum, quod non habeat ſine doctrina quamdam naturae divinae notionem, inficiari ſolent, nationes colligunt, & in medium adducunt, viatorum, ut dici ſolet, ſeu peregrinorum, qui ad eas acceſſiſſe dicuntur, teſtimonio ſummae impietatis inſimulatas. Nos autem fere ſingulas alio loco defendemus accuratiſſime. Nunc illorum levitatem caſtigandam eſſe cenſemus, qui teſtibus ejus generis tantopere fidunt, ut ſanioris Criticae regulas obliti videantur.

Etenim illae poſtulant, ut, praeſertim ubi de gentibus agitur, ad quas e noſtris hominibus omnino pauci penetrare potuerint, non adeo faciles Scriptori cuilibet aures adhibeamus. Vidit hoc optime Strabo, ſcilicet Sciptor non prudentia minus, quam eruditione praeſtans. Itaque cum de India ſcripturus eſſet, ſuis a lectoribus poſtulavit, ne curioſius quidquam, & avidius inquirerent, aut certiora monumenta poſcerent, quam res ipſa concederet. Ratio autem, quam ille ſubdidit, quod nos propoſuimus, mirifice declarat. Ait enim (*a*) = *Nam & longiſſime abeſt, & a non multis ex noſtris viſa, &, ſi qui viderunt, partem viderunt. Pleraque autem narrant*

(*a*) *Geograph. l. XV. ſub ipſum initium.*

rant ex auditu, quamquam etiam ea, quae ab eis profecta dicuntur, in tranſitu quodam militari, & pro diſcurſu deprehenſa ſunt. Quapropter nec eadem ſemper deferuntur ab iis etiam, qui quaſi accuratius perquiſita conſcribunt. Ex iis etiam nonnulli, quamquam ſimul & in exercitu, & in peregrinatione fuiſſent..... perſaepe tamen quiſque cuique contraria dicunt. Quod ſi de viſis tantopere inter ſe diſcrepant, quid de iis putandum eſt, quae ſciuntur ex auditu? = Haec itaque, cum in gentes etiam noſtris aetatibus parum cognitas apprime conveniant, quis adeo deſipiat, ut ſi nationem ex illis aliquam a militibus, aut a mercatoribus quibuſdam, ad eas oras caſu quopiam delatis, prorſus irreligioſam, & impiam vocari audiat, quodque nullas leges, nulla templa, nulla ſacra colat, nullos agnoſcat Deos, accuſari, non certiora, & graviora teſtimonia deſideret? Igitur irrito, caſſoque labore lapidem omnem adverſarii movent, ut hujuſmodi teſtes colligant, & in medium adducant.

In eos etiam optime quadrant, quae ſcribit nobilis Auctor Anglus, (*a*) cujus verba Latinitate donata proferimus. = *Proprio*, inquit ille, *experimento didici peregrinorum hujuſmodi narrationibus non admodum eſſe fidendum Attingunt hi tranſeuntes aliquam oram: populos incognitos vident: obſervant adhibere caeremonias quaſdam, & his illico aliquam arbitrariam interpetrationem donant: & ſi contra nullam inter eos populos hujuſmodi caeremoniam deprehendunt, nullam eos colere ſanctitatem religionis inde concludunt* (*b*). *Sed quomodo poſſunt earum gentium innoteſcere ſenſa, quarum conſuetudines ignorantur, & quarum ſermones minime percipiuntur? Audivi ſaepe ab hujuſmodi hominibus, cum dicerent, Floridae populos nullum cognoſcere Deum, ac nullius Religionis vitam degere ſacris addictam. Equidem cum inter eos decem annos vixerim, revelatam tantummodo Religionem pulcherrimis ipſorum vidi praeſtare do-*

ctri-

(*a*) Titulus operis latine ſonat = *Specimen de Providentia, & Poſſibilitate Phyſica Reſurrectionis* =. Gallicum in ſermonem converſum prodiit Amſtelod. a. 1731.

(*b*) Vide hac de re Laſitau *Moeurs des Sauv. T. I. C. IV. p.* 111. & 112

ſtrinis. Socrates, atque Plato erubeſcerent, opinor, ſi degerent inter vivos, cum viderent ſapientiam ſuam a populis, adeo caetera vel rudibus, vel indoctis, facile ſuperari. Interea ipſi non Simulacra, non Templa conſtruunt, neque aliud quidquam uſurpant, quod Sanctitatem Religionis praeſeferre videatur. Firmiſſime tamen ſibi perſuaſum habent, eſſe Deum unum, qui bonis praemia largiatur; vitam a nobis aliquando beatam cum ipſo Deo, coeleſtibus in ſedibus, ac ſupra ſolem, agendam: virtutem animi neceſſario requiri, ut tanta nobis felicitas comparetur. Etenim improbos aeterni, maximique cruciatus, ex eorum ſententia, manent. Videlicet opus eſt longo tempore inter hujuſmodi gentes verſari, ac probe ſermones ipſarum intelligere, ut ea, quae protulimus & nobis innoteſcant, & aliis referre poſſimus =. Haec ille longa rerum experientia ſatis edoctus. Similia ſaepiſſime notant, ac de Viatorum (ſic enim dici jam ſolent) infidelitate, aut levitate queruntur, cordati Viri, qui de rebus hujuſmodi ſcripſerunt.

Hos inter ſaepe laudandus a nobis, ac laudatus Auctor Joannes Hooke (*a*) de iis merito queritur, qui leviſſimis innixi conjecturis illorum hominum mores nobis retulerunt, cum quibus non audebant, aut etiam non poterant conferre ſermones, neque aliud de regionibus, aut moribus eorumdem ſciebant, quam quod ex ſpecula proſpicere contingeret. = *Hujus generis*, inquit, *relationes ſunt multae, ut le Maire de Inſulis Meridionalibus, Schouten de Inſula prope littus Guinaeae novae. & eorum, qui olim de terra, vel inſula Yedſo ſcripſerunt* =. Similia Genuenſis (*b*); ſimilia Nonnottius; (*c*) ſimilia caeteri fere omnes, qui de hoc argumenti genere litteris cogitationes mandaverunt ſuas. Laſitojus autem (*d*) accuratus auctor, quo nemo fere melius res barbarorum aut ipſe novit, aut ut noſcerent alii praeſtitit, Apoſtolicos etiam Viros, in barbaras oras Evangelii praedicandi

F cau-

(*a*) *Tom. I. P. I. &c. pag. m.* 13.
(*b*) *P. III. App. ad C. I p. m* 27.
(*c*) *Err. de Voltaire T. II. Ch. II.*
(*d*) *Laf. Moeurs des Sauv. To. I. C. I. p.* 5. *&c.*

cauſa profeſtos, aliquantulum carpit, quod ſilveſtrium hominum Americae mores ita non raro deſcripſerint, ut non modo regiminis cujuſque formam, ſed ipſam Dei cognitionem, & omne religionis genus abjeciſſe videantur. Illud tamen, eodem Laſitojo monente, commode accidit, quod ii Scriptores ſuis in iiſdem operibus, aut epiſtolis ſecum ipſi pugnent. Etenim cum Barbaros nullam Divinitatem vereri tradunt, aliqua ſibi patiuntur interdum excidere, quae Barbaros & Divinitatem agnoſcere, & eamdem ſtatutis, certiſque ritibus proſequi non obſcure ſignificent: quod & ipſe Baylius adverterat.

Illud etiam eſt obſervandum, Auſtores, qui producuntur ab adverſariis, aliquos, ne id quidem ipſum affirmare, quod illi vellent, eas gentes religione carere, ſed pauca, vel etiam nulla ſeſe apud illas religionis veſtigia detexiſſe, aut omnino ſimiles ab iis uſurpari ſatis ambiguos loquendi modos. Num eſt hoc illos populos Ἀθεότητος accuſare, an peſſimam potius ejus arguere fidem, qui narrationibus id genus magnopere confidere videatur?

Quid jam ad haec reſpondet Baylius, qui omnia fere, quae diximus, de ſatis exigua Viatorum auſtoritate tum a Io. Ludovico Fabricio, tum a Jacopo Bernardo diligenter animadverſa novit? Ille quidem, cum Criticae regulas optime teneat, non concedere non poteſt, Viatoribus pleriſque non eſſe fidendum. Alio itaque ſe vertit. Ait enim ne Viatoribus quidem eſſe fidendum, cum par ſit de utriſque ratio, qui multas barbaras gentes aliqua frui Divinitatis cognitione teſtati ſunt: id praecipue locum habere, ubi Viatorum inter ſe diſcordia ſunt teſtimonia, cum alii quidem eaſdem atheas faciant, alii vero ſuperſtitioſo cultu divinam ab iis naturam coli narrent: ex hoc autem Baylius infert rem adhuc in medio fore relinquendam, ſaltem donec certiora monumenta proferantur: eos igitur decipi, qui conſenſum humani generis in agnoſcenda Divinitate ſatis probari poſſe arbitrentur.

Equi-

Equidem Baylio reſpondeo: primo quidem me ad barbaras gentes non ita paucas ab ea calumnia vindicandas Scriptores eſſe prolaturum, quibus merito fides adjungi poſſit, ac debeat. Etenim vel ii ſunt, qui per annos bene multos, ut Auctor Anglus, quem laudavimus, inter eas gentes, de quibus loquuntur, verſati fuerant, neque prudentia carebant in cognoſcendis Barbarorum ſententiis, neque in referendis fide; vel ii ſunt, qui cum incredibilem, ad res Barbarorum cognoſcendas, diligentiam attuliſſent, hominum, qui propius eoſdem inſpexerant, imo penitus noverant, teſtimonia inter ſe contulerant, adhibitis Criticae regulis, atque perpenderant. Paucas quaſdam, ac viliſſimas gentes eſſe non inficior, de quibus nihil certi, ſi viatorum tantummodo attendantur teſtimonia, pronunciare poſſimus. At de iis ea dici debent, quae ſunt a nobis jam ſuperioribus capitibus diſputata.

Iam poſtremo loco non omittam, cum de illorum agamus auctoritate, qui populos Atheos exhibuerunt, eam quoque referre plurium Scriptorum reſponſionem, quam Joannes Hooke (*a*) non parum urget. Ita enim ille reſpondet Baylio plures Americae nationes inter Atheos eſſe numerandas acerrime propugnanti = *Pleraeque relationes iſtius generis nullum in initio habuere fundamentum, niſi crudeliſſimorum hoſtium calumnias. Acceptae enim ſunt ab illis, qui inbumane depopulati ſunt regiones illas, & qui, ut invidiam, bonorumque indignationem, quam crudelitate ſua excitaverunt, aliquatenus minuerent, illos miſeros homines alienos ab omni humanitate exhibuerunt. Certe narrat Benzo (Hiſt. N. Orb. l. 10. c. 8.) Hiſpanos, cum continentem invaſiſſent, & multas experirentur difficultates in tanta coërcenda imperio ſuo multitudine, omnibus vitiis apud Regem populos illos oneraſſe, ut edictum obtinerent, quo ad perpetuam ſervitutem omnes damnarentur: & tamen ſcribit illos tantum accuſatos tunc fuiſſe idololatriae:* ne-

(*a*) *Rel. Nat. T. I. P. I. &c. p.* 14.

neque ulla alia cauſa afferri poteſt, cur tanta exiſtat inter varias relationes oppoſitio &c. = Hactenus Joannes Hooke.

Equidem ingenuos Lectores id tantum advertere jubeo: nimirum facile contingere potuiſſe, ut in ejuſmodi monumenta incidentes aliqui paulo antiquiores, licet incorruptae fidei, Scriptores, & ipſi deciperentur, & alios quoque deciperent. Hujuſmodi ſunt Joannes Solorzani Pereira Senator in Supremis Caſtellae, & Indiarum Conſiliis, (*a*) ac Thomas Boſius, qui de Signis Eccleſiae ſcripſit (*b*). Hi non omnes quidem Americanos, ſed tamen plurimos, Dei cognitione prorſus carere ſcribunt; niſi forte dicere mavis eos veri Dei cognitionem barbaris illis, hoc eſt non ita confuſam de prima perfectiſſima cauſa notitiam, omnino denegare; in quam ſententiam ſcripſiſſe videntur, a plurimis Americanis Deum non agnoſci, Petrus Martyr Anglerius (*c*), qui Novi Orbis hiſtoriam conſcripſit, & Alphonſus de Penna Monte-negro Quitenſis Epiſcopus, qui res Indiarum Occidentalium, gentes, gentiumque mores longa ſatis experientia didicerat, (*d*) ac demum, ut alios praeteream, Joſephus Acoſta, Vir Apoſtolicus, Occidentalium Indiarum Oraculum appellatus (*e*). Sane qui, noviſſimis hiſce temporibus, de barbaris Americanis narrarunt, aut ſcripſerunt aliquid, licet ſatis implexam, atque confuſam, aliquam tamen Divinitatis notitiam iis tribuere ſolent (*f*). Quin & ipſe, quem laudavimus, Joſephus Acoſta haec diſerte ſcribit, quibus nihil clarius excogitari poſſit = *hoc commune apud barbaros eſt, ut Deum quidem omnium rerum ſupremum, & ſumme bonum fateantur; ſpirituum vero quorumdam perverſorum non obſcura opinio ſit &c.* = At de populis Americae ſingulis, quos aliquorum hoſtium importunitas, aut viatorum temeritas, impietatis ultimae conſtituit reos, alibi fuſius.

CA-

(*a*) *l.* 2. *c.* 4.
(*b*) *L.* 7. *c.* 4. *& l.* 10. *c.* 14.
(*c*) *Decad.* 1. *hiſtor. N. Orb.*
(*d*) *L.* 4. *Itinerar. pro Paroch. Indor. T.* 1. *c.* 4.
(*e*) *In Prooem. lib. de procur. Ind. ſalute.*
(*f*) Conſule praeſertim Laſit. *Moeurs des Sauvages &c.*

CAPUT X.

Gentem aliquam non eſſe prorſus Atheam ex eo cenſendam, quod omni religione carere dicatur.

MAgnum adverſarii ſuae cauſae praeſidium in eo poſitum eſſe putant, quod aliquae ſint gentes adeo moribus efferatis, ut nullam prorſus Divinitatem vereri, vel colere videantur. Id, ajunt, ſcriptores, quorum auctoritas negligi nulla ratione debeat, ſatis clare loquuntur, dum omni prorſus illas religione carere narrant. Equidem & Scriptores illos magni facio, & ab illis barbaras neſcio quas nationes religionis cujuſque inimicas exhiberi non nego. Sane Maffejus, Bruzenus Lamartinierus, Ludovicus Antonius Muratorius, ac noviſſime diligens auctor, qui ſub Neralci Paſtoris Arcadis nomine latere voluit (*a*), ut non paucos ex eis qui *litteras*, quae dicuntur *aedificantes*, exararunt, alioſque ſileam, nos ea de re dubios eſſe non ſinunt.

Potius igitur illorum confidentiam, ne dicam temeritatem admiror, qui dum haec audiunt, aut legunt, tam aperte Baylio ſuffragari dicunt, ut jam contra illum his de rebus juſto ſacramento contendere nemo poſſit: a quibus ita diſſentio, ut religione carere, ac Deum eſſe nullum exiſtimare, diverſas omnino res eſſe, neque poſſe, niſi per ſummam imperitiam inter ſe miſceri, atque confundi, conſtantiſſime putem. Nam quod populus aliquis religione careat, ad mores; quod nullum Deum eſſe putet, ad opinionem referendum eſt. Quis jam non ſentit maxime corrumpi mores apud aliquam potuiſſe nationem, etſi non ea fieret, qua major eſſe non poſſet, opinionum pravitas, atque perverſitas? Itaque nihil obſtat, quominus aliquae poſſint eſſe nationes, quarum effu-

(*a*) Maff. *Hiſtor. Rer. Indicar. l.* 2. *p.* 77. La Martin. *in Diction Geogr.* Saepe. Murat. *Chriſtian. felice del Par. C. V.* Neralc. *Le quattro parti del Mondo Tom. II. ubi de Amer.*

effuſae in omni intemperantia libidines, atque omnium ſcelerum importunitas, & omnium flagitiorum impunitas omnem religioſi ſacrique cultus curam exterminaverint, ſed tamen aliquam Divinitatis cognitionem utcumque reliquerint, licet craſſiſſimis vel ignorantiae, vel inconſiderantiae tenebris obvolutam.

Agnoviſſe videtur id ipſe Muratorius (*a*), Vir non eruditione modo, ſed & acerrimo judicio nobilis, & clarius etiam ipſe Bruzenus, qui nationes etiam plures, quam Muratorius, nulla colere ſacra pronunciavit. Etenim ubi de barbaris Braſilienſibus verba facit, diſerte ſcribit diligens auctor, atque perſpicuus, inter omnes populos maxime barbaros, apud quos non ſit rationis lumen prorſus extinctum, aliquam ſemper, licet mancam, & imperfectam, cognitionem exiſtere Divinitatis (*b*).

Sed quid conjecturas hoc loco ſequor, cum clare ſatis, quod mihi propoſitum eſt, hiſtoria ipſa confirmet? Integras enim in America nationes eſſe tradit, quae licet Deum, & quidem unicum, eſſe fateantur, tamen eo ſtultitiae devenerint, ut nullum a mortalibus exigere cultum, aut obſequium ſibi perſuaſerint. In hac videntur ſententia eſſe, & Galibes, & Nouragues, & Acoquae, de quibus omnibus Gilletum conſulere potes (*c*), & generatim latiſſimae regionis indigenae, quam primus tenuit ex Europaeis Americus Veſpuccius, inclytae Civitatis, apud quam haec noſtra ſcribimus, gloria non ultima. Ille quidem de barbaris iiſdem retulit, ut eſt apud Rainaldum (*d*) = *exleges eſſe, ab jure extores*,

(*a*) *Il Criſtian. felice &c.*

(*b*) La Martin. *Dict. Geog. Art. Breſil = Pour moi je crois, que par tout, ou il y a quelque apparence de raiſon, il y a auſſi quelque idée, fauſſe, ou vraie, d'un Etre ſuprême: Et, ſi les lumières ne ſont pas aſſez vives pour éclaircir cette connoiſſance, il s'en conſerve toujours quelques principes groſſiers, que les plus bruteaux agencent à leur manière, juſqu'à ce qu'il plaiſe à Dieu de les éclairer des lumières de ſon ſaint Evangile. =*

(*c*) Gillet. *Journal. du Voy. dans la Guyane c. 7. p.* 81.

(*d*) *In Annal. Eccl. ad an.* 1510. ut citat Genuenſis.

tores, templa nec habere, minuſque idola colere = Sed tamen aliquam eos divinae notitiam habuiſſe Naturae, facile probatur vel unius Joſephi Acoſtae, quem Indiarum Occidentalium Oraculum appellatum fuiſſe diximus, graviſſimo teſtimonio. Cum enim ſuis in libris (*a*) barbaros Americae populos frui quadam, etſi tenuiſſima, Dei cognitione tradat, populos innumerabiles, & melius, quam caeteros, dum Peruanos, ac Mexicanos excipias, ſibi cognitos, nempe de quibus poſtremo loco diximus, utique oratione ſua comprehendit. Alios in eamdem rem, fere nullo negotio, teſtes poſſemus adducere, niſi ſupervacaneum opus omnino cenſeremus. Etenim ne ab adverſariis quidem noſtris inter Atheos eoſdem populos relatos facile invenias. Potius hoc loco ſcriptorem alium teſtem damus in eam rem, quam probandam ſumpſimus, omnino locupletem. Stanislaus Arletus is eſt Societatis Jeſu Sacerdos, qui barbaram Caniſianorum in Peruvia gentem, inter Moxos ab Hiſpanis numeratam, Evangelica imbuendam doctrina ſuſcepit. Cum vero de gente illa, cum qua jam pridem verſabatur, in Europam ſcriberet, neque religione ulla, neque ſuperſtitione teneri, neque Deo, neque malignis, ut plurimi ſolent Americani, naturis, aut Geniis ſacra facere tradidit: ſupremae tamen cujuſdam, divinaeque naturae non ita confuſam, ut aliae multae nationes, ac depravatam opinionem habere teſtatus eſt (*b*). Jam populos eadem, qua Caniſianos, dementia, & improbitate corruptos, alibi notabimus (*c*).

Iis

(*a*) *Vid. Hiſtor. natural y moral de las Indias, L. V. c. 3. & al., & in prooem. lib. de procur. Indor. Sal.*

(*b*) *Lettr. édifiant. Tom. 2. in ep. ſcr. an. 1698.*

(*c*) Iacob. Bernard. (*Nouv. de la Repub. des Lettr. Décemb. 1705. p. 620. 621.*) ratiunculas refert, quibus barbarus unus ex iis, quas innuimus, Americae gentibus, etſi Deum, omnium bonorum Auctorem, eſſe putaret, ac libentiſſime fateretur, tamen non eſſe colendum, aut metuendum ſibi perſuaſerat. Ajebat enim = *que Dieu étoit l' Auteur de tout bien; mais que ces biens, procedoient de lui naturellement, & indifféremment; qu' ils pleuvoient abondamment ſur tous*

les

Iis autem omnino ſimiles illi dicendi ſunt, qui tantum inferiora quaedam Numina colunt, quamvis & Supremum unum agnoſcant Dominum, atque Deum, & aliquos non ita pravos de optima illa natura ſenſus foveant, imo quibuſdam in rebus multo meliora, quam vulgus Ethnicorum, credere videantur. Sunt autem inter eos barbari populi, ſi Boſmano fides (*a*), qui vaſtiſſimaę regionis, quae Nigritia dicitur, oras incolunt. Sunt & alii barbari, eodem narrante Boſmano (*b*), regnum tenentes in Africa, cui Fida nomen. Hi quidem de ſupremi Numinis, quod ubique praeſens eſſe non negant, virtute, atque potentia, praeclara ſentiunt; quin & ab illo pulcherrimam hanc rerum Univerſitatem fuiſſe initio conditam, & in ordinem ſapientiſſime digeſtam arbitrantur. At idem dicunt, cum ipſius mundi, maximeque noſtrarum rerum procurationem eſſe videret ſua majeſtate prorſus indignam, Geniis quibusdam multo minoris virtutis, atque conſilii totam demandaſſe. Jam ergo Genios illos, a quibus omnia noſtra pendeant, eſſe colendos, ac precibus etiam infimis obſecrandos. At, ſi de ſupremo illo Domino conſulantur, nos dignos non eſſe dicunt, ut ullum ei cultum, aut ullas preces adhibeamus. Haec ex Boſmano retuli, non quod oblitus fuerim, quid ſit de viatorum narrationibus cenſendum, ſed quod Boſmano fidere videatur ipſe Baylius, contra quem praecipue diſputamus.

Sed & illud hic addere juvat, ſcilicet graves viros non de-

les hommes, & qu'il ne ſe mettoit pas en peine de tout ce qu'ils faiſoient; qu'il leur permettoit de faire tout ce qu'ils vouloient, & de ſe pourvoir autant qu'ils pouvoient des biens, qui procedoient de lui: qu'il étoit donc inutile de le craindre, & de l'adorer = Hujusmodi homines, atque populi, quin Athei ſint habendi, Baylius ne leviter quidem dubitat. At nimirum ille in hac tota controverſia veram, & Critico dignam Athei hominis notionem nunquam tenuit, aut, quod ſimilius vero, tenebris involvere, & ad eos etiam, qui propius ad Atheorum impietatem accedant, transferre conatus eſt, ut multo maior Atheorum, quam revera ſit, numerus eſſe videatur.

(*a*) *Voïage de Guinée par Guillaume Boſman. p.* 148.

(*b*) *Ibid. p.* 394.

defuiſſe, qui dicerent (*a*) barbaros, cultus, ut ajunt, interni curam habentes fuiſſe repertos; barbaros, inquam, adeo ſubtilis diſciplinae alumnos, atque patronos, ut Deo non eſſe niſi cultum quemdam admirationis, aut etiam obſequii, atque precum tribuendum cenſerent, ſed eumdem animo retineri poſſe, neque curandum, ut per ſacrificia, vel caeremonias alias hominibus innoteſcat. Ut in gratiam cum Viatoribus redeamus, unum ex iis hoc loco teſtem producere poſſumus. Ille quidem narrat ex Canadenſibus barbaris unum, cum ex eo quaeſitum eſſet, cur Deo neque preces fundere, neque cultum alium praeſtare ſoleret, reſpondiſſe, non ita ſe rem habere. Etenim, inquit, rerum omnium Dominum, & veremur, & colimus, & ab eo nobis bona, noſtriſque precamur, ſed interius id animo perficimus, ut a majoribus perficiendum accepimus. Equidem, an hujuſmodi reſponſio ſufficere dicenda ſit, ut illorum auctoritati ſatisfiat, qui barbaros plurimos nullam religionem ſuſcepiſſe tradiderunt, docto, ac ſapienti lectori diſceptandum relinquo. Mihi ſaltem illud concedi velim, quod extra controverſiam ea, quae diximus, ponendum eſſe declarant, nempe gentes etiam nullo ſacramento religionis obſtrictas, Dei notitiam vel a natura impreſſam, vel ex ipſa coelorum, ac telluris hujus noſtrae leviſſima conſideratione comparatam, utcumque ſervare potuiſſe.

Sed ex iis, quae dicta ſunt hactenus, facilis ad aliam adverſariorum rationem reſponſio ducitur. Illa quidem ex eo repetitur, quod plures barbarae gentes malum *Δαίμωνα*, quem Diabolum Chriſtiani dicimus, hoc eſt malignam, improbamque naturam, & humano generi noxiam, precibus, ac ſacrificiis tantopere demereri ſtudeant, ut boni cujuſque Numinis oblitae videantur (*b*). Etenim inde quidam effici poſ-

G

(*a*) Ap. Hooke *l. c. Voyag. du S. Champlain. l.* 3. *c.* 5.

(*b*) Vid. *Lettres édifiant. multis in loc.*, P. le Gobien. *Hiſt. Inſul. Latronum, ſeu Marian.* P. Charlevoix *Hiſt. du Parag.* & aliis in libris.

poſſe putant, ut nullam Divinitatis notionem impreſſam animo ſervent. Quaenam, inquiunt, erit illa Divinitas, quae malo principio ſubdatur? aut quis tam parum ſibi conſtans inveniri poterit, ut, cum Diabolum ipſum aliqua natura praeſtantiorem faciat, hanc naturam ipſam eſſe praeſtantiſſimam, ac vere divinam, & dicat, & ſentiat? Quod ſi malum illud principium, ſummae cujuſdam efficacitatis, atque potentiae, Deum barbaris illis eſſe velimus (*a*), non aliud profecto probabimus, quam Deum ab ipſis fortaſſe verbis aliquibus retineri, ſed ipſa re omnino de medio tolli. Quis enim ideam, atque notionem tam pravae naturae, quae non aliud niſi morbos hominibus, & aerumnas cujuſque generis inferre paret, cum praeſtantiſſimae cognitione naturae commune quidquam habere arbitretur?

Haec omnia valde probabiliter dicerentur, niſi populorum illorum vel impietas, vel ſtultitia ſatis cognita nobis eſſet. Nunc illud conſtat, quod ii retulerunt, qui ſenſus illorum diligentius ſcrutati ſunt: non illos quidem barbaros in ea eſſe opinione, quae bonorum omnium fontem, & originem Deum peſſimae naturae ſubdat; verumtamen Deum aut parum curare noſtra, aut inſita quadam bonitate naturae, cum neque preces, & vota praeſtoletur, neque gratia capiatur, bona mortalibus impertiri, Diabolum vero, niſi deliniatur obſequiis, humanum genus maximis aerumnis affligere, ſibi perſuaſiſse. Hinc illius cultum fere negligunt; hujus autem ſacra ſtultiſſimi homines tantopere celebrant. Id in pluribus Americae gentibus, in Caraibis praeſertim, & Gujanae incolis, & Braſiliae, magnaeque Paraquariae partis, & Chiliae, quin & Canadae populis, & Californiae locum habere videtur. Quis negat id totum impietate vel maxima contineri? non tamen, ſi verum fateri volumus, Ἀϑεότης pro-

bris, Morer. *Diction. ſaepe*, La-Martinier. *Dict. Geog. item ſaepe*, praeſertim ubi de Americanis, & *Art. Madagaſcar*, Murator. *il Criſtiano felice C. V.*, Sanſon de Abbeville *Introd. à la Geog. P. II. C. II. §. IV.* & alios paſſim.

(*a*) Audivi doctos quoſdam viros, qui eam reſponſionem uſurparent. Sed ipſa mihi nullo modo probatur.

proprie dicta cenſenda eſt. Nam & aliae gentes, praeter illas ab adverſariis noſtris accuſatas, extiterunt, adeo depravatis moribus, & opinionibus, ut acerrimum Divini Numinis, ac noſtri generis inimicum, ſacris inſtitutis, & poſitis etiam altaribus, venerari non erubuerint (*a*), quamvis optimae, praeſtantiſſimaeque Naturae non omnem prorſus cognitionem amiſiſſent. Inter eas etiam num Aſiae populi, qui Curdes dicuntur, & eam regionem incolunt, quae Curdiſtan appellatur, religionem omnem, atque pietatem in Deum, ac Ieſum Chriſtum, quem ex obſcura quadam traditione agnoſcunt (*b*), exuiſſe videntur; Diabolum vero, cujus magno timore corripi ſolent, impio quovis nefarii cultus, & obſequii genere demulcere, ac placare conantur.

Longius hac in re progreditur vir omni doctrinae genere excultus Chriſtianus Wolſius. Nam in libro, quem inſcripſit *Manichaeiſmus ante Manichaeos* (*c*), Cacodaemonem, neque tantum latentem, ſed omnino cognitum, apud omnes Paganorum ſectas fuiſſe cultum, demonſtrare contendit. Iam populos eos omnes, licet nefaria ſuperſtitione occupatos, nemo prorſus atheos habendos eſſe pronunciabit, qui nolit idololatriae ſuperſtitionem cum oppoſito impietatis genere confundere. Igitur neque populos, de quibus lo-

(*a*) Vid. *To. XXV. de l' Acad. R. des Inſcript.* aureum opus, cui titulus = *Traité Hiſtor. ſur la Relig. des Perſes*, ubi aliqua in hanc rem *Mem. II. p.* 146 *M.* Auctor eſt Cl. Foucher.

(*b*) Vid. La-Martin. *Dict.* Geog. *Art. Curdes*, Morer. *eod. art. & lib cui tit. Voyag. de Michel. le Fevre*, Hyde *de Rel. Perſ. in App. p.* 549. &, cui multo magis fidendum eſt, τὸν κριτικώτατον illum Foucherium, de iis populis ita ſcribentem = *Il eſt inutile d' adorer Dieu, diſent ces peuples: Dieu la bonté par eſſence, eſt incapable de faire de mal à perſonne: au lieu que le Démon, être mal-faiſant, ne peut être trop adouci par les bonneurs; & le reſpect. Ils fortifient cette raiſon par un raſinement ſingulier de politique. Satan, diſent-ils, eſt un miniſtre diſgracié. Que ſavons-nous s' il ne conſerve pas encore quelques intelligences à la cour de ſon Prince, & s' il ne trouvera pas moyen de rentrer un jour en faveur? C' eſt alors qu' il nous ſauroit bon gré de ne l' avoir pas negligé dans le temps de ſon infortune &c.* =.

(*c*) Wolf. *Manich. ante Manich. ſect.* 2.

quimur, ex eo quod mali principium, precibus, ac ſacrificiis proſequantur, Atheis annumerari, veritas, aut iuſtitia ſinit.

CAPUT XI.

Quid praeſtandum eſſet adverſariis, qui gentem aliquam eſſe Atheam demonſtrare volunt.

LOcus hic poſtulare videtur, ut jam adverſarios ipſi noſtros docere velimus, quid praeſtandum iis eſſet, ut aliquam fuiſſe, vel eſſe nationem, nulla Divinitatis notitia gaudentem, liquido demonſtrarent. Nempe non ſatis eſt, quod a ſcriptoribus aliquibus impiam vocitari, vel Atheam, non ſatis eſt quod immani quadam, & inaudita barbarie inquinatos praeſeferre mores, non ſatis, quod omnem religionis curam abjeciſſe ſcribant; ſed alia quaedam, niſi fallor, multo majoris operis, atque laboris, ipſis praeſtanda ſunt: nempe docendum, & idoneis argumentis oſtendendum, aliquam eſſe gentem, quae ita Solis, ac Lunae converſiones, & ratos, perenneſque curſus, ita ſiderum pulchritudinem, ac varietatem, ita telluris hujus noſtrae amoenitatem, atque divitias, dum veſtitur floribus, herbis, arboribus, frugibus, ita fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos antrorum, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, immenſitateſque camporum, ita varia genera beſtiarum, vel cicurum, vel ferarum, volucrum lapſus, atque cantus, pecudum paſtus, vitamque ſilveſtrium; ita corpus hoc noſtrum, cujus omnia membra vel ad commodum, vel ad venuſtatem aptiora eſſe non poſſint; ita demum omnes mundi partes ea ratione conſtitutas, ut neque ad uſum meliores potuerint eſſe, neque ad ſpeciem pulchriores, quotidie contempletur, ut non intelligat ineſse aliquem in hac, ut ita dicam, adeo praeclara, divinaque domo rectorem, & moderatorem, & tamquam architectum tanti operis, tantique muneris. Cum

Cum id Baylius, aut alius quiſpiam confecerit, quod tamen inani labore conabitur, tum illud etiam requiram, an ſaltem ea gens, extra mores, legeſque poſita, *traditione* majorum, aut alia quapiam ratione didicerit, aliquam eſſe naturam, quae hominibus imperare, quae ſontes poenis compeſcere, quae praemiis bonos donare poſſit, quam vereri, quam placare, quam colere, quam ſummis, iiſdemque meritis honoribus proſequi debeamus. Haec autem omnia neque oſtendit unquam magnum illud Baylii ingenium, magnarumque rerum ab eo percepta doctrina, neque vero potuit oſtendere. Sacra potius me docet auctoritas, ut id obiter dicam, docent ipſi libri ſapientum, atque voces, docet exemplorum vetuſtas, recentior ipſa hiſtoria docet, ac ratio, quam vel Athei, vel Pyrrhonici conſulere, videri volunt, nec potuiſſe hujuſmodi gentem inveniri, nec poſſe. Nam, ut alia praeteream, ſi nationes vel maxime barbarae, ſapientem, ac juſtum non metuunt, licet oculis minime ſubjectum, & legum latorem, & ſcelerum vindicem; quid eas aliquando malefactorum conſcientia tantopere torquet? unde impiis illae ſunt aſſiduae, domeſticaeque furiae, quae vix ullam eos inter ſcelera, quamvis occulta, quietis partem capere ſinant?

Sed fingamus ea, quae diximus, omnia ſatis apte ab adverſariis demonſtrari. Num inde concludere jure poteris, ut tota cauſa illis adjudicanda ſit? Minime vero. Etenim non aliud efficies, quam ut illae gentes divinam providentiam non videantur agnoſcere. Error autem ille craſſiſſimus Atheiſmo (ſic enim jam a Philoſophis dici ſolet) ſternere viam ſatis amplam ſine dubio dicendus eſt. Sed tamen alicui, tametſi admodum depravatae, praeſtantis, excellentiſque naturae cognitioni reliquit, ut poſtea videbimus, aliquando locum. Iam ergo probandum ſupererit iis, qui gentibus iiſdem, veluti prorſus atheis dicam ſcripſerunt, hujuſmodi cognitionem a barbaris illis mentibus ne levi quidem ex parte fuiſſe cuſtoditam. Id aſſerere potuit Baylius, & Lockius,

ckius, & alii, cum vellent aut Carteſianas ideas, aut doctrinas alias Philoſophorum, ſive Theologorum evertere. At ea protulerunt momenta rationum, ut optare magis, quam philoſophari, vel Criticos agere viderentur. Sed haec omnia majorem ex iis, quae jam dicemus, lucem accipient.

C A P U T XII.

Quiſnam Athei nomine veniat in ea controverſia, quam agitamus?

QUaenam in hac tota controverſia tenenda ſit voculae, quam ſaepius uſurpamus, videlicet *Athei* ſignificatio, diligenter aliquando ſtatuamus oportet, qui per ſummam injuriam integras eadem voce nationes, hominesque multos nihil tale merentes, notatos fuiſſe defendimus. Duplex autem ejus vocis poteſtas eſſe videtur, ſi veterum libros conſulere, quam recentiores quoſdam, vetuſtis vocibus novas affigentes notiones, audire maluerimus.

Ac primo quidem univerſos, qui Deum Optimum Maximum *in Iudaea notum* ignorarent, aut ejus *cognitionem in injuſtitia detinerent*, Α'θεοὺς ἐν τῷ κόσμῳ merito dixit Apoſtolus, quem non pauci quidem Eccleſiaſtici Scriptores, praecipue vero Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Athanaſius (*a*), imitati ſunt. Nimirum cum Iſraëlis Deus non modo verus, ſed unicus quoque ſit Deus; *Dii* autem *gentium daemonia*, & eorum idola *opera manuum hominum*, qui nulla ratione ipſum agnoſcunt, ſine Deo eſſe, ſeu, quod idem Graeco ſermone ſonat, Α'θέοι dicuntur. Porro gentes, de quibus generatim hactenus locuti ſumus, & eas, de quibus nominatim poſtea loquemur, Atheas ea ratione dici vel poſſe, vel debere, libenti animo confitemur.

Alia poteſtas ejus vocis eſt, cum ad eum indicandum adhi-

(*a*) Clem. Alexandr. *Admon. ad Gentes*, Theodor *de curat. Graec. affect. Serm.* 3. Athanaſ. *Orat. contr. Gent.*

adhibetur, qui neque verum habet Deum, neque commentitium, ſeu, quod eodem redit, nullam vim eſſe cenſet, naturamque divinam. Hoc ſenſu vox illa ſumitur, ac ſumi debet, cum an populus aliquis, vel genus aliud hominum, debeat Atheis accenſeri, diſputatur; quin & a Graecis, atque Latinis, maxime philoſophis, ubi ſaltem verborum laxari ſignificationem, Dialecticae vetant leges, non alii, quam qui nullos omnino vellent eſſe Deos, adeo triſti vocabulo notabantur.

Itaque oſcitanter Platonem legerunt & Baylius noſter, & Ephraimus Chamberſius (*a*). vir caetera doctus, ac diligens, qui tres in claſſes ab illo tribui ſcripſerunt Atheorum genus, ut alii ſcilicet Deos omnino eſſe negarent, alii vellent eos rebus humanis, & iis, quae ſub Luna fiunt, nullo modo intereſſe, alii demum & Deos, & Providentiam agnoſcerent, ſed eos vellent ipſos eſſe, qui nimis facile, ne pro graviſſimis quibuſque ſceleribus meritas poenas repeterent, votis, & ſacrificiis ſeſe placari ſinerent. Haud equidem nego Platonem jubere, ut accurate illas tres impiorum hominum claſſes diſtinguamus: Ait enim (*b*) = *De his autem, quae verbo, vel opera, in Deorum contemptum aguntur, quomodo punienda ſint, deinceps prooemio quodam propoſito dicendum videtur. Hujuſmodi vero prooemium ſit. Qui Deos eſſe putat ſecundum leges, nec facit unquam ſponte impium quicquam, vel loquitur. Faciunt autem, aut dicunt impium aliquid in Deos, vel quia Deos eſſe negant, vel quia, etſi putant eſſe Deos, de rebus tamen humanis curare ipſos minime arbitrantur, vel tertio, quamvis & ſint, & de hominibus curam habeant, facile tamen placari eos votis, & ſacrificiis opinantur* = (*c*). At quonam verbo ſignificat Plato tres illas im-

(*a*) *Rep. aux queſt. d'un Prov. P. III. Ch. XVIII. p.* 949 Ephr. Chambers *Dictionn. Art. Athées*.

(*b*) *De Legib. L. X. ſub init.*

(*c*) Πλατ. Νομ. Διαλ. δικατ. *p. m.* 883. = ὅσα δὲ λόγῳ, ϗ ὅσα ἔργῳ περὶ θεοὺς ὑβρίζει τις λέγων, ἢ πράττων. τὸ παραμύθιον ὑποθεμένῳ ῥητέον ἃ δεῖ πάσχειν· ἔστω δὴ τόδε· Θεοὺς ἡγούμενος εἶναι κατὰ νόμους οὐδεὶς πώποτε, οὔτε ἔργον ἀσεβὲς εἰργά-

impiorum hominum claſſes Atheorum nomine comprehendi? Equidem aliud eſſe video, quod omnes ii dicantur non ſecundum leges putare Deos eſſe, ideſt quales ipſae leges proponunt, & providos mundi moderatores, & juſtos, atque ſeveros ſcelerum vindices, aliud, quod omnes illi Deos de medio ſublatos velle redarguantur: id enim Atheorum eſt maxime proprium. Imo quod ſatis aperte Plato eos, qui negarent eſſe Deos, ab iis, qui Deos humana curare nollent, eo loco diſtinguat, non levi eſt argumento per vetuſtiores philoſophos, cum ad amuſſim, ut illos decet, exigerent verba, non illos, qui Providentiam negarent, ſed illos, qui praeterea Deos e medio ſummoverent, vel habitos Atheos fuiſſe, vel dictos. Etenim, & vox ipſa monet, ſi quid Graece ſcimus, Atheos non eſſe compellandos, niſi quibus non eſſet Deus, & ex eo loco Platonis ſatis conſtat non omnes, qui Providentiam negarent, aut male, ratione quavis alia, de Divinitate ſentirent, eos habitos eſſe, qui Deos omnino negare non injuria dicerentur.

Equidem, ut ad id redeamus, quod propoſuimus, cum ſcriptoribus antiquis malo in hac quaeſtione vel ſentire, vel loqui, quam recentiores quoſdam imitari, qui ſibi Atheiſmi notionem proprio marte cudunt, & in quos illa quadrare poſſit, *ἑκόντας ἄκοντας* in Atheorum collegium referunt. Eos, inquam, Atheos dico, quibus nullus eſt Deus: *negativos*, ſi diſtinctionem hanc expectas in ſcholis ipſo uſu jamdiu receptam, qui Deum omnem ignorant, nihil de ipſo audiverunt, nihil ſuſpicati ſunt; hujuſmodi tamen homines eſſe non puto, ſi de iis inſtituatur ſermo, qui non ſint rationis uſus expertes: *poſitivos*, qui cum eſſe Deum acceperint, & ipſi forſitan aliquando crediderint, jam veritatem illam argumentis oppugnant, vel alia ratione lapidem omnem, ut eſt in veteri proverbio, movent, ut non eſſe Deum

γάσατο ἑκὼν, οὔτε λόγον ἀφῆκεν ἄνομον: ἀλλὰ ἓν δή τι τῶν τριῶν πάσχων, ἢ τοῦτο, ὅπερ εἶπον, οὐκ ἡγούμενος, ἢ τὸ δεύτερον, ὄντας οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων, ἢ τρίτον, εὐπαραμυθήτους εἶναι, θυσίαις τε ϗ εὐχαῖς παραγομένους =

Deum omnino ſibi perſuadeant; & id quidem non ſemper conſequi poſſunt, cum vel ipſis invitis, ut alio loco docebimus, obſtrepat, atque reclamet ipſa natura; conſequuntur tamen aliquando, niſi omnem hiſtoriae fidem denegare velimus.

At quinam illi ſunt, quibus nullus eſt Deus? Non enim haec de voce, ſed de re maximi momenti vertitur quaeſtio, neque omnes, qui Deum eſſe dicunt, vere Deum agnoſcere putandi ſunt. Quis enim neſciat, omnes fere Spinoſae libros magnis, atque praeclaris, de Deo ſententiis eſſe refertos, cum Spinoſam tamen Atheorum fuiſſe facile principem vulgo jam eruditi conſentiant? Eos equidem eſſe dico, qui Divinitatis notionem non modo deturpant, ſed prorſus abjiciunt, quam noſtris impreſſit mentibus, aut alio modo ſuppeditavit ipſa natura. Nam quicumque turpibus, & ingentibus notionem illam erroribus implicant, atque depravant, neque tamen omnino de medio tollunt, Athei dici non poſſunt, niſi Mahummedanos, & haereticos fere omnes, quod nullo modo veritas, aut juſtitia patitur, Atheis adnumeremus. Iam ergo videndum in quo ponenda ſit, vel quid maxime ferat illa notio, ut accuratius, quam ſcriptores aliqui, definire poſſimus, quando prorſus concidere, quando tantum labefactari videatur.

Newtonus quidem arbitratus eſt (*a*), nomen ipſum Dei non ſummam ejuſdem perfectionem ſignificare, ſed ſummum potius in res omnes imperium, atque poteſtatem; ut ea voce Mens intelligatur, quae ſupremum teneat in hanc univerſitatem rerum, abſolutumque *dominium*, nullis omnino limitibus circumcluſum. Sententiam hanc illuſtravit eleganti ſermone Maxvellius, & ex eo Chamberſius (*b*), quem facilius conſulere poteris. Ea, ſi verum fateri debeo, quamvis in philoſophia Newtonum ducem ſequi plerumque ſoleam, non mihi ſatis arridet (*c*).

H Sed

(*a*) *Princip. Mathem. Philoſ. Natur.* in fine.

(*b*) Chambers *Dict. &c. V. Dieu*.

(*c*) Non tamen ita ineptam puto, ut Voltaerio ſubſcribam dicenti (*Réponſ. au Syſt. de la Nat. p. 9.*) = *Sa definition de Dieu peut tenir un peu de ſon apocalypſe* =

Sed quoniam hac aetate multi vel ipſo Newtoni nomine capiuntur, nihil illam opus eſt argumentis hoc loco, rationibuſque convellere. Potius litem omnem, quae moleſta nobis eſſe poſſet, facili diſtinctione componendam puto. Si quaerimus, quid, cum ea vox *Deus*, aut alia ſimilis effertur, concipiatur primum, & obverſetur animo, largiri Newtono poſſumus, idem ab ea voce ſignificari, quod ſupremus hominum, ac ſi vis etiam totius mundi Dominus, totiuſque naturae. At ſi quaerimus quid illud ſit, in quo mens noſtra, dum uſitatas cogitandi, ſeu loquendi rationes ſequitur, illius ſupremi Domini naturam, & Eſſentiam ponere poſſit, ac debeat, tunc alia quaedam aſſerenda ſunt. Quamquam enim quidquid ineſt Deo neceſſario pertineat ad Eſſentiam ipſius, nec minus neceſſario, quam ipſa pertinet Eſſentia, tamen eadem noſtra mens Eſſentiae Divinae nomine, vel etiam notione, tantum id apprehendit, quod eſt veluti divinorum attributorum principium, & radix. Etenim quod nobiliſſimus ille Spiritus, exempli cauſa, ſit Immenſus, ex eo quodammodo ſequi dicimus, quod ei ſit Natura divina, quae ſine perfectione illa eſſe non poſſit; at quod eamdem Naturam habeat non ex eo fluere concipimus, quod idem Spiritus Immenſus intelligatur.

Clarius: cum definitio rei definitae, philoſophis auctoribus, eſſentiam exprimat, id tantum Eſſentiam divinam conſtituere nobis quadam ratione videtur, quod in ipſius Naturae Divinae qualicumque definitione ponimus. Reliqua, rationis lumine nobis cognita, attributa eſſentialia dicimus, aut aliis nominibus appellamus, quae nihil hoc loco perſequi neceſſe eſt. Iam quod ſupremus ille ſit Dominus omnium rerum, non id eſſe, quod Naturae divinae definitionem ingredi neceſſario debeat, facile vides; quamvis de jure loqui fortaſſe velint, qui ſtant a Newtono, quod habet neceſſario Deus, in res omnes imperium exercendi, quas ipſe velit exiſtere. Nam ſi de *dominio* loquerentur, quod pro rerum hoc ſtatu Deus in mundum exercet, abſur-

ſurdum eſſet inde Naturae Divinae definitionem repetere, quod non extitiſſet, ſi mundum Deus nullum exiſtere voluiſſet. Sed quamvis de neceſſario illo, ac perfectiſſimo jure, loqui velimus, illud ineſſe nobiliſſimo Spiritui, quod ſit Deus, non eſſe Deum, quod jus illud teneat, illi facile ſentiunt, qui ſolent accuratius iſta, & acutius inquirere. Praeterea quod ille ſit Immenſus, quod Optimus, atque Sanctiſſimus, quod nihil ei bonitatis, aut perfectionis in ullo genere deſit, non ſatis video, cur in eo veluti radicem, ac fundamentum habere dici poſſit, quod ſummam rerum omnium poteſtatem obtineat. Ut paucis omnia complectar, quae rationes conficerent, ut bona definitio dicenda non eſſet, qua Dialecticus aliquis, hominem id eſſe, diceret, quod in animantia reliqua ſub uno ſummo Deo *dominium* obtineat; eaedem fere probarent, rejiciendam fore definitionem, qua quis Deum *Ens* eſſe diceret, quod ſupremum habeat, & abſolutum, in reliqua *Entia dominium*; niſi forte potius hoc nomen *Deus* explicare, quam divinam eo modo, quo fieri poteſt a nobis, Naturam definire vellet.

Iam ſi teneas ea, quae diximus, etiam quod Deus ſit cauſa prima, quod mundi ſit auctor, quod mundo provideat, veritatem eſſe quidem maximi momenti concedes, ex qua ſcilicet ad illius optimae Naturae perfectionem aliquo modo cognoſcendam aſſurgimus; non tamen id eſſe, quod afferri debeat, ut accurata Naturae Divinae definitio adornetur. Sic neque hominem ex eo ſatis apte definiveris, quod ſit, aut eſſe poſſit, praeclarae orationis, aut carminis, aut ipſarum auctor bonarum artium, atque magiſter.

Quid igitur, inquies, an ea bona definitio dicenda erit, qua quis *Ens a ſe* dicat eſſe Deum, cum *Entia* ſint ab alio caetera omnia? Minime vero. Tametſi enim in ea definitione omnia eſſent optima, certe hoc eſt vitii, quod re definita clarior dici non poſſit. Hujus autem ſatis efficax argumentum ex eo peti poteſt, quod omnes fere, qui negant Deum, *Ens a ſe* non eſſe negant; quin etiam tot *En-*

Digitized by Google

tia dicunt *a ſe* ſubſiſtere, quot atomi ſunt, aut materiae particulae, ingenitae ſcilicet, & increatae. Praeterea plerique philoſophi nobiliſſimi, quos inter non modo Ariſtoteles, qui nutare deprehenditur, ubi agitur de Natura divina, ſed & ipſe Plato, quem Homerum Philoſophorum & habitum, & appellatum fuiſſe novimus, *a quo* nimirum, *ceu fonte perenni, vatum Pieriis ora rigantur aquis:* Illi igitur Philoſophi tam acuti Deum quidem, & optimum, & ſapientiſſimum, eſſe cenſebant, ſed materiam tamen *Ens a ſe* ponebant, ſcilicet increatam, quamvis divinae voluntati vel ipſa naturae neceſſitate ſubjectam. Quis autem ſatis claram dicat eſſe definitionem, quam homines plurimi recipiant, quin rem definitam eſſe concedant, aut ad alia trasferant, quin definitae rei naturam transferri putent?

Itaque definitionem omnium optimam Naturae divinae, ſaltem quatenus a noſtris mentibus, tanta caligine obſitis, in hac vita cognoſcitur, eam eſſe puto, quae pleriſque Metaphyſicis noſtris probari ſolet. Ajunt enim Deum *Ens eſſe ſumme perfectum*; cujus quidem verba definitionis, quo clarior evadat, magis, ut apud Chamberſium (*a*) dilatari poſſunt. Ait enim a philoſophis Deum definiri = *Ens infinitae perfectionis, in quo defectus, ſive carentia rei alicujus eſſe non poſſit, qua quidem re naturam ipſius ad majorem evehi poſſe perfectionem intelligamus* =

Verbis aliquibus, hoc in capite praeſertim, aliquando nos uti brevitatis cogit, at multo magis claritatis amor, quae verba barbarum quiddam auribus fortaſſe latinis ſonare poſſent. At nemo jure nos reprehenderit, cum ipſe Philoſophis Cicero ſaepe fuerit auctor, ut novas voces ad res omnino novas explicandas afferrent. Quanto magis ergo Vir graviſſimus nos, & alios quoſdam ſine reprehenſione dimitteret, cum a vocibus tantum non abhorreamus, quas jamdiu Philoſophorum uſus molliverit, atque ſubegerit?

Sed quod ad propoſitam qualemcumque definitionem at-

(*a*) *Art. Dict.*

attinet, Deus quidem *in genere* non eſſe dicitur, ſed potius *ſupra omne genus* ab acutis quibuſdam Theologis, atque Philoſophis, quorum auctoritatem negligere fas mihi eſſe non puto. Attamen nihil obſtat, quominus in ea definitione, quam optimam dicimus omnium, quas habere poſſimus, non tamen eam, quae ſit nobiliſſimae Naturae clarius, quam omnino fieri poſſit, exprimendae apta: nihil, inquam, obſtat, quominus ea vox per quamdam ſimilitudinem loco generis adhibeatur, cum Deus & habeat, quod exiſtat, & rerum, quas homo definire utcumque poſſit, univerſitatem exiſtere voluerit. Quod vero ſit ſumme perfectum, ſi verba ea tam proprie ſumantur, ut perfectionem omnem involvant, ac leviſſimam quamlibet maculam, aut vitium cujuſcumque generis, excludant, id vero eſt, quod tantum de ſuprema illa Natura, cui vere par eſt nihil, & nihil ſecundum, praedicare poſſimus. Jam vocibus illis, dum rite explicentur, omnia veniunt, quae poſſumus de beata illa, optimaque Natura, vel ſcientiae perveſtigatione, vel diſſerendi ratione comprehendere. Nam quem ſumme perfectum eſſe dicimus, huic nihil boni deeſſe praedicamus, & infinita Sapientia, & Scientia, & Potentia, & Bonitate, & Juſtitia, & Clementia, & Sanctitate, & caeteris, quae dicimus Attributa, pollentem intelligimus. Jam & Auctorem eſſe mundi Deum, & Gubernatorem optimum, eadem rite percepta definitio declarat. Etenim facile de ſumma Potentia Dei, quae maxima perfectio eſt, quin & de caeteris fere omnibus attributis, actum eſſe videremus, ſi mundus non ea ratione penderet a Deo, qua nos Chriſtiani, multo melioribus, quam Ethnici, doctrinis eruditi, confitemur. Quin ſi quidquam attributorum divinorum veluti radix haberi poteſt, nihil obſtat, quominus id in ſumma divinae Naturae perfectione conſtituamus; quatenus eadem ipſa ſumma perfectio, ſine qua Natura divina non modo non eſſe, ſed neque intelligi poteſt, omnino ferat, ut omnia Deus habeat attributa, quibus ipſum beatum eſſe credimus; neceſſitate

nimi-

nimirum non aliunde illata, ſed propria, ac maxime ſua. Sin minus id probes, non aliud extundes, quam non poſſe tam ſublimis Naturae, de qua non tam quid omnino ſit, quam quid non omnino ſit, Theologis monentibus, effari poſſumus, definitionem ad omnes exigi Dialecticae canones, atque praecepta. Id tamen tenebimus, ut ea qualiſcumque deſcriptio, melius quam aliae breves ejuſdem generis orationes, doceat, quid ille ſit rerum omnium optimus moderator Deus, quem colimus atque diligimus, quem veremur, atque metuimus, quem nobis, ac noſtris, propitium fore confidimus.

His animadverſis facile quaeſtioni ſatis fit jamdudum propoſitae. Qui totam nempe doctrinam ea definitione traditam ita recipit, atque tenet, ut nullo unquam oppoſito imbuatur errore, ſatis recte de Natura divina, ſaltem quantum naturae viribus cognoſci poteſt, ſentire dicendus erit. Qui totam rejicit, atque damnat, quamvis fortaſſe Dei nomen in ore verſet, ut peſſimus ille recutitus, de quo mox dicemus, me quidem auctore, Atheus appellabitur. Sed inter eos, qui recte de Deo ſentiunt, & Atheos, non pauci quidem mortales, at innumeri medii ſunt. Ex hoc facile conſequi vides, ut innumeri dicendi ſint eſſe mortales, qui propoſitam doctrinam non recipiant, niſi quadam imperfecta ratione. Ii nempe ſunt maxime, qui cum veritatem eam, veluti per tranſennam praetereuntes, ſtrictim aſpiciant, tantummodo rudem ejus notionem animo informant, & hinc plura Deo tribuunt, quae cum ea veritate componi non poſſe, nullo negotio deprehendimus. Ex hoc genere ſunt Mahummedani, qui Deum in rebus hominum geſtis colligendis, atque deſcribendis bonas horas inſumere docent, peſſimique Rabbini, qui Deum duas in Oceanum fundere lacrymas, quoties Judaici recordatur excidii, & cum Leviathan piſce ludere, quin & thiaris, ac vittis, puerorum more, caput exornare ſuum, & Legi Moſaicae, ſacriſquè Scripturae libris dare operam, in infami ſcriptum Thalmudis volumine re-

reliquerunt. Sed totum illud inſipientum hominum genus in eo ſaltem ab Atheis diſcrepat, quod exiſtere concedit Naturam excellentem, atque praeſtantem, cui neque homines ipſi, neque caetera, quae ſunt in tota rerum univerſitate, comparari poſſint, maxima quadam felicitate, virtute, ac ſapientia praeditam. Eos igitur univerſos aliquam divinae perfectionis, etſi valde mancam, & imperfectam, habere notitiam, magis clarum videri mihi ſolet, quam ut clarius ulla fieri oratione debeat. Quod ſi homines iidem, ut plerumque faciunt, ad eamdem Naturam mundi originem, curamque referant; ſi velint, inquam, res omnes, aut certe nobiliores, numine ipſius adminiſtrari, multo longius inter ipſos, & Atheos intervallum relictum eſſe videbimus. Contra vero quotquot ea ſaltem recipere, quamvis confuſa ratione, nolint, quae primo loco poſuimus, ac praeſertim, qui nolint, immortale aliquid eſſe, homine melius, intelligentia maxima praeditum, neſcio cur apertiſſimis cujuſcumque Divini Numinis hoſtibus adſcribendi non eſſe videantur.

Conſonant haec immortalis Viri Samuelis Clarkii doctrinae (*a*). Etenim totius, inter nos, & Atheos, in eo verti ſcribit cardinem diſputationis, an quod *Ens a ſe* dicimus, & *neceſſarium* ſit, & eſſe debeat intelligentia praeditum: id ab Atheis univerſis aliqua tandem negari ratione, cum tamen *Ens* aliquod eſſe *neceſſarium*, ſcilicet mundum ipſum, ſive materiam ultro fateantur. Hinc ergo conſequitur, ut quicumque Deum intelligentia carere velint, in Atheorum caſtra, quidquid ore concrepent, tranſiiſſe dicendi ſint. Haec, inquam, ex eo maxime probo, quod Naturae illius omnium optimae, praeſtantiſſimaeque, notionem, quicumque Sapientiam illi detrahat, nullam prorſus animo ſervare videatur. Etenim, detracta Sapientia, reliquae omnes animi virtutes, & ipſa felicitas, ac veri nominis potentia, quin & caetera tandem omnia corruant, oportet, ſine quibus, neque melio-

(*a*) *De l' Exiſtence de Dieu To. I. Ch. IX.*

liorem homine Deum, neque fortaſſe praeſtantiorem brutis animantibus, intelligere quiſquam poſſit.

C A P U T XIII.

Quare ſit inter Atheos Benedictus de Spinoſa numerandus?

EX iis quae ſunt hactenus a nobis diſputata, facile intelligitur, cur a nobis Benedictus ille Spinoſa, non minus hac aetate celebris, quam impiae ſectae dux, atque magiſter, inter Atheos habeatur. Nimirum ſatis vel ex hiſtoria, vel ex libris ejuſdem conſtat, cum tam praeclara de *unica ſubſtantia*, quam Deum appellat infinitis praeditum attributis, non raro ſcribit, non aliud, niſi imperitis fucum facere, voluiſſe.

Ille quidem praeter mundum, quem nullus Atheus, nec Egoiſta, dummodo recte vox explicetur, abnuit exiſtere, non aliam agnoſcit ſubſtantiam infinita virtute praeditam, quam & dicere Deum, & habere, non incongrue poſſit. Mundum vero ipſum neque cum Pythagoreis, aut Stoicis, magna quadam Anima regi putat, per omnes partes ipſius commeante, atque diffuſa; ſed veluti ſua mole ſtare, cum nihil ipſum poſſit evertere, ſeu congenita potius, & a nulla mente determinata, neceſſitate naturae. Quare contra genus illud cauſarum, quas *finales* vocant, fuſe diſputat (*a*), neque oculos hominibus ad videndum, neque ad audiendum aures, neque ad eos, quibus aptantur, uſus caetera membra vult a Deo, vel a natura ſuppeditari: hanc vero naturam, quam & *unicam ſubſtantiam* appellat, duobus *attributis*, aut *affectionibus* eſſe praeditam, ſcilicet extenſione, & cogitatione, ſtatuit (*b*): conſequenter ad haec = *mentem humanam partem eſſe infiniti intellectus Dei* = (*c*) quemadmodum corpus pars eſt illius extenſionis certa ratione *modificata*.

Sae-

(*a*) *Eth. P. I. App. ad prop. 36.*
(*b*) *Eth. P. 2. prop. 1. 2. & alibi.*
(*c*) *P. 2. in Coroll. prop. 11.*

Saepius tamen, quia partium diſtinctio varietatis ingratam notionem ingerit, corpus, & mentem, modos extenſionis, & cogitationis unicae ſubſtantiae vocat (*a*). Itaque non alias in hac rerum univerſitate mentes niſi humanas, aliquando videtur agnoſcere, etſi etiam aliquando, quos Angelos, aut Spiritus finitos appellamus, homo totus ex dolo, fallaciaque compoſitus, admittere ſeſe profiteatur (*b*). Neſcio tamen an ea quoque in re ſuis lectoribus illuſerit. Etenim quaecumque de Spectris, aut Lemuribus, quaecumque de *Spiritibus*, qui ſeſe rebus humanis immiſcuerint, a quovis Scriptore narrantur, fabulas inter aniles numerari jubet (*c*).

(*a*) *P. 1. prop. 15. & alibi.*

(*b*) Baylius, quem hoc loco tantum honoris cauſa nominamus, ſatis acutam contra Spinoſam habet diſputationem, (*Dict. Hiſt. Crit.* § *Art. Spinoza, Litt. M. & P.*) ut probet ipſum, cum ſpiritus ab humanis animis diſtinctos, aeternaſque poenas, ac ſimilia negavit, neque conſtitiſſe ſibi, neque recte ſuas intellexiſſe doctrinas. Eam diſputationem his verbis exhibet Buddeus (*Traité de l' Athéiſme &c. a p.* 132. Gallica verſione ſatis accurata utor) in pauciora radactam = *Regardant, comme il fait les Créatures, comme des modifications du Créateur, c' eſt à dire de l' Univers, la penſée, & l' intelligence du Créateur a dû ſe modifier, non ſeulement dans l' homme, mais encore en pluſieurs autres Etres inviſibles; d' où il s' enſuit, que le nombre de ces Créatures eſt infini, & qu' elles ſurpaſſent autant l' homme en connoiſſance, & en malice, qu' il ſurpaſſe lui-même les boeufs, les chiens, & les autres bêtes. Il explique de cette manière, comment l' Ame de l' homme peut être immortelle, & même en quel ſens l' on en pourroit conclure l' exiſtence de l' enfer, c' eſt à dire d' un lieu, où les ames, après la mort du corps, pouſſent être ſujets à divers tourmens. Car ſi l' on ſuppoſe de telles ſubſtances inviſibles, produites par la modification de la nature de cet Univers, ayant beaucoup de puiſſance. & de malice, il n' eſt pas impoſſible, qu' elles affligent de pluſieurs maux, & de calamités les autres ſubſtances d' une même eſpéce qui ne leur peuvent réſiſter &c* = Haec Buddeus, qui cum eſſet natura valde ſuſpicax, ut ex eius ſcriptis apparet, in id valde propendet, ut Baylium putet hoc etiam loco ſuis voluiſſe lectoribus illudere: ſcilicet ea dixiſſe, ut impiam Spinoſae doctrinam non tam eſſe deteſtabilem, ac periculi plenam, quam vulgo philoſophi judicant, ſimplicioribus hominibus perſuaderet. Ea quidem Buddei conjectura omni probabilitate caret. Nam & Baylii rationes, aut argumenta, quae vocant ad hominem, ea ſunt, quibus nihil ſolidi reponere Spinoſa poſſit, & ſatis Baylii ſcripta declarant ipſum Spinoſianae doctrinae ſemper infenſiſſimum animum habuiſſe.

(*c*) Vid. Spinoſ. *epiſt.* 56. 58. & 59.

Digitized by Google

Sed jam Spinoſam interrogemus, quid ſit ipſi Deus? An aliquid eſt quod neceſſario ſumma quadam intelligentia gaudeat, atque ſapientia, quod cum ſe, tum alia, quibus eſt exiſtendi cauſa, agnoſcat, quod hanc voculam *Ego* de ſe uſurpare, vel ideam ſaltem illi voculae ſubjectam poſſit mente concipere? Haec omnia nullo modo Spinoſae doctrina defendi patitur. Nam quidquid ita cognoſcit, ut quidquid ſub ea vocula deliteſcit, intelligere de ſe, vel praedicare queat, non eſt ipſe Spinoſae Deus, ſed una tantum ex infinitis Dei, ſic enim appellat, modificationibus; velut inflexio digiti ipſius admodum inepte digitus vocaretur, cum innumeras alias ille figuras poſſit induere; ea vero figura in aliam tranſire non poſſit. Ea mens eo modo cogitans eſt Dei particula quaedam adeo minuta, ut in ea perfectio ſumma, Deoque digna, neque a nobis, neque ab ipſo Spinoſa deprehendatur. Sed neque ſumma perfectio, quam quaerimus, in tota mentium collectione poteſt ullo modo conſiſtere. Ea namque collectio, cum non aliud ſit, quam *Ens rationis*, cum ipſa nequeat, ut eſt collectio quaedam, ſeſe cognoſcere, a ſumma intelligentia, atque ſapientia, & hinc a ſumma naturae perfectione longiſſime abeſt. Hinc ergo facile concludi licet, Spinoſae Deum eſſe brutam, inertemque *ſubſtantiam*, quae nulla praedita ſit intelligendi vi, quam *Intellectum* Metaphyſici noſtri vocant: Ex quo neceſſario conſecutiones illae fluunt, ut neque velle quidquam, aut appetere poſſit, ac multo minus Libertate gaudeat; neque veri nominis Potentia, neque caeteris attributis ornetur, quae ſunt Naturae divinae, vel Ethnicis fatentibus, maxime propria.

Haec aliquando concedit omnia ſatis diſerte peſſimus Supremi Numinis inimicus, aliquando tot obſcurarum diſtinctionum aculeis, ut ita dicam, ac ſpinis abſurdas, & maxime impias ſepit ille ſententias, ut non facile illas aſſequi poſſint, niſi homines in hoc genere ſtudiorum diu, multumque verſati. Nobis hoc loco, multis omiſſis, illa ſufficiant,

quae

quae Parte prima Ethices (*a*) apertiſſime tradit; = *ad Dei naturam neque intellectum, neque voluntatem pertinere*: = Cum tamen hoc maxime loco ſeſe impietatis poſtulari poſſe facile ſentiret, aliquid homo vaferrimus imbecillioribus lectoribus dare voluit, ut non omnino Deum vel *intellectu*, vel *voluntate* ſpoliare videretur. Sed ita locutus eſt, ut ejus verba non accuſationem noſtram infringere poſſint, ſed potius non leve pondus, atque robur eidem adjicere. Ait enim *Si ad aeternam Dei Eſſentiam intellectus, & voluntas pertinent, aliud ſane per utrumque hoc attributum intelligendum eſt, quam quod vulgo ſolent homines. Nam intellectus, & voluntas, quae Dei eſſentiam conſtituerent, a noſtro intellectu, & voluntate toto coelo differre deberent, nec in ulla re praeterquam in nomine convenire poſſent, non aliter ſcilicet, quam inter ſe conveniunt, Canis ſignum coeleſte, & Canis animal latrabile* = (*b*).

His argumentis, aliiſque plurimis, quae cauſa brevitatis relinquimus, contra Wachterum, & alios, quos Ephraimus Chambers, me quidem diſſentiente, multos eſſe tradit

(*a*) Recte monet Samuel Clarkius, Spinoſiſtas cum Deo tribuunt intelligentiam, non alio ſenſu id facere = *que dans le ſens des anciens Hylozoiſtes, à qui on a donné ce nom, parce qu' ils prétendoient, que toute matiere étoit douée de connoiſſance. C' eſt-à-dire, qu' une pierre, lorſqu' elle tombe, a une ſenſation, & une connoiſſance de ſa chute &c.* = Ita Clark. *To. I. de l' Exiſt. &c. Ch. X.* Docuit idem, quod Spinoſiſtae, Hobbeſius, cuius obiter verba refero, ut hinc etiam appareat, quantopere illorum, qui Spiritus Fortes dicuntur, Principes deliraverint. Ita ille *Phil. C. XXV. Sect V.* = *Scio fuiſſe philoſophos, eoſdemque viros doctos, qui corpora omnia ſenſu praedita eſſe ſuſtinuerunt: nec video, ſi natura ſenſionis in reactione ſola collocaretur,* (ipſe Hobbeſius eſt in ea ſententia) *quomodo refutari poſſint: Sed etſi ex reactione etiam corporum aliorum phantaſma aliquod naſceretur, illud tamen, remoto objecto, ſtatim ceſſaret: Nam niſi ad retinendum motum impreſſum, etiam remoto objecto, apta habeant organa, ut habent animalia; ita tamen ſentiunt, ut numquam ſenſiſſe ſe recordentur .... Senſioni ergo, quae vulgo ita appellatur, neceſſario adhaeret memoria aliqua.* =

(*b*) Chambers, *Art. Ateiſta, To. I. p.* 430. *verſionis Italicae*, qua nunc utor. Sed quamvis ego Wachterum oppugnem, qui Spinoſam verum fuiſſe Atheum negavit, non tamen eos probo, qui doctum illum Virum Spinoſae placitis addictum eſſe, diſertis verbis ſcribere non dubitarunt.

dit (*a*), Benedictum Spinoſam, ejuſque diſcipulos, inter Atheos proprii nominis eſſe numerandos, facile demonſtratur. Tametſi enim, quod urgebat Wachterus, nulla doctrina de Deo vocanda ſit Atheiſmus, aliud tamen eſt Divinitatis ideam aliquam animo gerere, aliud, invidiae declinandae cauſa, voces antiquas, at novis implicitas notionibus, atque confuſas relinquere, cum rem omnino totam e medio removere ſatagas. Id agere Spinoſam facile ſentit, quicumque non partem aliquam, ſod totum, ſi ita loqui fas eſt, aedificium doctrinae conſideret, ac verba cum verbis, ſententias cum ſententiis comparet.

Neque nos ab hoc judicio ferendo deterret, quod ſaepe Spinoſa moneat, ſuum eſſe Deum & infinitis attributis, & ipſa quoque ſapientiae laude perfectum. Etenim hominis impii fraudem facile detegimus. Vult unicam ſubſtantiam eſſe perfectam infinite, quatenus & ejus extenſio terminos neſcit, & infinitorum numero modorum eſt ſubjectum, ut ille ſomniat (*a*). Sed hac eadem ratione imperfectam, & quidem infinite, dicere potuiſſet, quod in ea omnia genera malorum, omnia vitia, tum moralia, tum phyſica, quae dicuntur, ſine dubio recipiantur. Nam niſi ea ſubſtantiam afficerent, nulla eſſent. Si vero ſapiens eſt, & intelligens Deus, quod ſapiant, & intelligant homines, aliique, ſi forte ſunt, ipſius ſubſtantiae modi, craſſiſſima quoque maximarum rerum ignorantia laborabit, quod ea plerique homines quavis aetate laborent; quin & avarus, & ſuperbus, & levis, & libidinoſus, & iracundus dicetur, & omni vitiorum genere coinquinatus, quibus humanum genus non mediocriter premitur. Non is erat Spinoſa, ut quid ex iis, quae poſuerat, nativa quadam conſecutione deſcenderet, ignorare poſſet; ac ſatis eſt ipſius libros legenti manifeſtum, nihil ab illo curari magis, quam ut impietate diſpoſitas quidem hominum mentes imbuat, at eadem opera lubricus adverſariorum manus evadat.

Quae

(*a*) *Eth. P. I. Prop.* 30. 31. 32.

Quae cum ita ſint, ratio patet, quare Spinoſa debeat Atheus vel haberi, vel dici; nempe non quod de Deo peſſime ſentiat, non quod ea dicat, ex quibus, ſi veritate niterentur, totius Religionis ruina conſequeretur; ſed quod dicis cauſa Deum admittat, quem non eſſe tamen & maxime cupit, & ſentit. Si aliquid ſimile de Xenophane, Zenone, Ariſtotele, de Philoſophis aliis, ac de barbaris quibuſdam gentibus adverſarii probent, manus illico dabimus, Atheos fuiſſe fatebimur. At id, ſi non aliud inquirimus, quam ut veritas in his quaeſtionibus appareat, neque factum eſt unquam, neque fieri potuit. Imo plerumque variis argumentis colligere licet, Philoſophos, ac multo magis barbaras gentes, ſerio, cum Deum a ſe coli profiterentur, & ex animi ſententia fuiſſe locutas. Haec ex iis, quae dicemus, ita manifeſta fient, niſi nos omnia fallunt, ut nullus prudenti dubitationi relinquatur locus.

CAPUT XIV.

Formula exhibetur a Baylio requiſita, qua veluti teſſera, quicumque divinam aliquam naturam agnoſcunt, ab Atheis diſtingui poſſint.

QUae diximus hactenus aperte ſignificant, eos qui non modo verbis, ſed etiam rebus ipſis ab Atheorum impietate diſſentiunt, quamquam fortaſſe in magnis de natura Dei verſentur erroribus, tamen huic exploratiſſimae veritati ſuffragari: quod ſcilicet exiſtat optima natura, quae tum humano generi, tum caeteris omnibus rebus excellat, immortalis, atque beata, quin & maxima virtute, ſapientiaque praedita.

En igitur ea, quam tantopere Baylius inquirebat (*a*), aut ſeſe potius irrito labore inquirere ſimulabat, clariſſima formula, cui nemo ſubſcribere, perceptis rite verbis, niſi pror-

(*a*) *Vid. Continuat. &c. §. XXI.*

prorſus Atheus abnueret. Quamvis enim in ea non omnia ſatis declarari fatear, quae de Natura divina, gentibus omnibus conſentientibus, docere poſſumus, tamen hoc loco ſatisfacere nobis debet, non aliud agentibus, quam ut Atheorum peſſimum genus a caeteris etiam impiis diſtinguamus.

Hinc ſatis contra Baylium parati ſumus: licet omnes eloquentiae ſuae, doctrinaeque nervos intendat, ut, quod aliquis exiſtat Deus, veritatem eſſe cognitu valde difficilem, & a multis omnino rejectam hominibus, perſuadeat. Illius quidem oratio facile poteſt non ſatis doctos homines, aut certe non ſatis cautos, in fraudem inducere. Etenim ſimilitudinem elegantem ab iis repetit, quae formulae Fidei dicuntur ab Eccleſiaſticis Auctoribus, ac veluti ſymbola, ſeu teſſerae, quibus ab Orthodoxis Haeretici diſtinguuntur, adhiberi ſolent. Negat autem formulam aliquam de Natura Dei poſſe proferri, quam humanum genus univerſum, communi veluti ſanctione, decretoque recipiat. Etenim, inquit, non ſatis eſſet, quod ea formula Deum aliquem exiſtere pronunciaret; ſi quidem eam vocem *Deus* etiam Athei poſſunt adhibere, brutae materiae, vel alteri, quam agnoſcant, non productae, ſimulque nihil ſentienti cauſae adjunctam; niſi forte, quod ſapientes vetant, quaeſtionem de voce ſatis intempeſtivam excitare velint. Jam vero, ſi formula, quem nos dicimus Deum, auctorem eſſe mundi ſtatuat, catervae venient contradicentium philoſophorum, nec Epicurus modo cum ſuis, ſed Democriticorum familia tota cum caeteris Atomos inducentibus, aut potius quotquot Anaxagorae praeceſſerunt aetatem, praeſtantiſſimi totius Graeciae philoſophi. Si formula Deum eſſe doceat, qui totam hanc Univerſitatem rerum ſapienter adminiſtret, & commoda hominum, vitaſque tueatur, multi ſubſcriptionem detrectabunt homines ingenio clari, de quibus Ciceronem conſulere potes (*a*). An ea formula Deum omnino ſimplicem Naturam ponet, cujusvis extenſionis expertem? Nos quidem

eam

(*a*) Cic. *de Nat. Deor. & de Divin. l.* 2.

eam libenter accipiemus: at pleroſque diſſentientes habebimus inter Graecos, atque Latinos, Sapientiae doctrinaeque laude praeſtantes. An Deum unicum eſſe praeſeferet? Tum vero non modo Sectae philoſophorum, ſed & plurimae nationes litem nobis intendent, contra quas armis tantum ab auctoritate petitis, nullo modo pugnare liceat. Ut paucis omnia comprehendat, quo longior ea formula ſit evaſura, eo plures, qui nolint eidem dare nomen, futuros eſſe pronunciat. Hinc homo magis facetiis, quam quaeſtionibus de Religione tractandis aptus, donec ſaltem, Pyrrhone relicto, aliquid ſcire didicerit, acerbe cavillatur, cum ad quaeſtionem illam explicandam; an ſit omnino Deus; alia multa requiri pronunciet, praeter oculos, quibus coelum, ac coeleſtia ſuſpiciamus: Lucilium Balbum nempe carpens, & innumeros alios, etiam aetate noſtra, cum Lucilio ſentientes, qui nihil eſſe poſſe docent tam apertum, tamque perſpicuum, cum aſtra praeſertim, ac reliqua coelorum miracula contemplati ſumus, quam aliquod eſſe Numen praeſtantiſſimae mentis. quo haec regantur.

Alia perſequitur, & inter ea quaedam eruditione, ingenioque tanto prorſus indigna; ut cum, exempli gratia, praeclaros philoſophos in medium adducit, qui nolentes etiam Atheis arma ſuppeditaverint, & Cudworthum affert, & Grewium, quorum alter cum formas illas plaſticas, alter cum vitale principium aſtruit, Divinitatem funditus omnem ſuſtuliſſe Baylio viſus eſt. *Quorſum haec tam putida tendunt?* Nimirum ut eam veritatem, quod exiſtat Deus, de qua ſapientes illi viri ne leviter quidem unquam addubitare viſi ſunt, valde cognitu difficilem eſſe demonſtret. Etenim per formas illas plaſticas, ac vitale principium, ſi Baylium audias, argumenti praecipui, quo Deum eſſe cognoſcere poſſint homines, vel ipſa fundamenta concutiuntur.

At primo quidem, & vitale principium, & plaſticas illas formas, quotquot cum philoſophis acutiſſimis Cudworthо, Grewioque ſtatuunt, a ſapientiſſima, praepotentique men-

mente fuiſſe creatas, & in ordinem diſpoſitas, ſuiſque legibus conſtrictas, certiſque donatas viribus, & rebus producendis apta natura, quin & ejuſdem admirabili providentia continuo regi, ne caſu quopiam ita concurrant, atque turbentur, ut non leve quoddam huic toti rerum univerſitati detrimentum immineat; haec, inquam, omnia eodem demonſtrant argumento ex ordine, ac pulchritudine mundi petito, quo nos omnino perſuaſi, ſi qui forte mundum a ſapientiſſima mente productum fuiſſe negent, vix eos ſanae mentis exiſtimemus. Neque vero illi viderunt, neque Clericus (*a*), neque alii multi, neque, ut verum fatear, ego videre poſſum, illud idem argumentum, quo mundum neque caſus, neque naturae nulla ſapientia pollentis, opus eſſe probamus, etiam efficere, ut ſingulae res a formis quibuſdam, ſive naturis, quas nulla propria, ſed aliena tantum infinita regat intelligentia, prodire non poſſint. Deinde fac rationes omnes ab admirabili Mundi hujus pulchritudine, atque ordine petitas, non magis Atheos, quam eos arguere, qui formas illas, aut genitrices naturas, ἀσωματας quidem, ſed omnino brutas, ac ſuarum inſcias actionum, tantae rerum, ac tam mirabili varietati producendae praeficiant: non tamen hinc ſequi video, ut aliquid rationibus iiſdem, dum ſapientiſſimam eſſe mundi cauſam oſtendunt, dicendum ſit obſcuritatis ineſſe, ſed tantum, ut aliquid humani nobiles illi philoſophi paſſi fuerint.

At quod vult Baylius neque ratiunculis quas innuimus neque aliis omnino ſimilibus, quas afferre omnes & longa res eſſet, & minime neceſſaria, unquam oſtendit; nempe nullam inveniri de Natura divina ſententiam, cum Atheorum impietate pugnantem, quam totum genus humanum conſtanti quadam, & unanimi conſenſione recipiat. Equidem valde miror, cum Baylius praecipua colligeret, quae de Natura

(*a*) Ex his, quae contra Cudworthum, & Grewium hoc loco ſcripſit Baylius, magna illi cum Joanne Le Clerc controverſia extitit, de qua Bruckerum conſulere potes *Tom. V. H. Crit. &c. p. m.* 595.

tura divina praedicantur a noſtris, ut ſingula pluribus philoſophis, aut etiam gentibus diſplicuiſſe defenderet, pulcherrimam ab eo praetermiſſam fuiſſe definitionem, ipſo jam philoſophorum uſu contritam, quam nos alio capite illuſtrandam aſſumpſimus. Quid enim? An diceret Baylius, vel Baylii defenſor aliquis, ſatis exploratum eſſe quam multa non modo veteres idolorum cultores, de quibus poſtea, ſed plurimae, praeſertim barbarae, nationes de Naturae divinae perfectione detraxerint? Equidem id ultro concedo. At aliud eſt aliquam rejicere veritatem, aliud non ſemper ei conſentanea loqui: ſuper haec aliud eſt veritatis alicujus claram, atque diſtinctam animo cognitionem concipere, atque ſervare; aliud ea confuſa ratione, qua pleraque ſcitu digniora barbari plerique ſolent, attingere.

Iſta ſi teneas, facile credes, quod nos aſſerimus, etiam barbaris mentibus ſummam divinae Naturae perfectionem, veluti per nebulam, illuxiſſe. Nam quod Deos & bonis affluentes, & bonis omnia complentes, & fortes, & pulchros, & ſapientes, & beatos, & immortales, & omni dignos honore putaverint, non obſcure ſignificat bonam iis, atque perfectam, cujuſcumque Dei viſam eſſe naturam. Quod vero longe praeſtantiores humano genere Deos eſſe crediderint, quod in eos non unius, aut alterius tantum, ſed cujuſcumque fere generis bona tam facile contulerint, ac multo magis quod eorum numine cuncta voluerint adminiſtrari, nonne ſatis indicat ejuſdem naturae perfectionem, non qualemcumque, ſed qua major eſſe non poſſit, atque adeo ſummam tam rudibus etiam, & indoctis viſam eſſe mortalibus? Quid autem erit, ſi hoc non eſt, alicujus rei notionem, licet non ſatis explicatam, atque diſtinctam, animo gerere? Non ergo debuit tamquam ſatis notum ſumere Baylius, *Ens ſumme perfectum* non omnibus hominibus, aut gentibus innotuiſſe: imo ſi tantopere palmam in ea controverſia cupiebat, ad id oſtendendum vires ingenii ſui, doctrinaeque totius inſtrumenta convertere.

An vero probant id ea, quae colligit, ut a ſapientibus doceat perdifficilem, atque perobſcuram habitam eſſe quaeſtionem de Natura divina, de qua ſcilicet tam variae ſint, ac fuerint doctiſſimorum hominum, diſcrepanteſque ſententiae? At homo tam doctus ignorare non debuit, quaeſtionem, an ſit res aliqua, ſatis ab ea diverſam eſſe, qua res omnino qualis ſit, inveſtigare volumus. Hinc, ſi loquamur de Deo, duas illas quaeſtiones ab ipſis Ethnicis fuiſſe diſtinctas, ipſi docent, quibus tantopere fidit Baylius, libri Ciceronis de natura Deorum. Jam illa prima quaeſtio nihil fere difficultatis habet, quidquid Baylius non ſatis pio, ac religioſo labore congeſſerit; cujus rei claro ſatis eſt argumento, quod gentem nullam eſſe vel fuiſſe videamus, neque humanam atque doctam, neque immanem atque barbaram, quae non aliquem Deum eſſe cenſuerit. At ne tantum in vocibus quibuſdam genus humanum ſibi totum conſtitiſſe amplius calumniari poſſit, addimus, id etiam gentes omnes agnoviſſe: rem ſcilicet eſſe quamdam, ſive naturam, qua nihil tum in ſapientia, tum in virtute, tum in alio quovis boni genere poſſit excellentius eſſe, imo cui ne conferri quidem caetera poſſint: haec autem omnia, quin & alia jamdudum indicata, quae tenentur etiam a barbaris, dicimus illius ſupremae perfectionis aliquam, licet craſſis obductam tenebris, cognitionem involvere. At cum in quo magis proprie tota ponenda ſit Deo digna perfectio, an ſit, & quale ſit *peculiare* quoddam *attributum*, a quo caetera quodammodo profluant, vel, ut clariora dicam, quid ea perfectio maxime ferat, quid velut oppoſitum omnino rejiciat, aut alia ſimilia, curioſius inquirimus, tum vero & humani ſentimus imbecillitatem ingenii, & claros etiam, doctoſque, praeſertim inter Ethnicos, videmus homines, in maximarum rerum ignoratione fuiſſe verſatos.

CA-

CAPUT XV.

Non recte nobis opponi poſſe, Divinae Naturae perfectionem ab Ethnicis antiquioribus agnitam non fuiſſe.

AT ſcio, quae poſſit hoc loco nobis ſapiens, & eruditus lector opponere. Itaque pauca quaedam notanda breviter eſſe puto. Quid enim? fortaſſe inquies, nonne totum fere vulgus Ethnicorum, inter Graecos, atque Latinos, nonne philoſophi plures de ſuis Numinibus prorſus indigna quaevis, & abjecta ſentiebant, quae a ſumma perfectione divinae tribuenda Naturae longiſſime abſunt? Igitur Athei dicendi tibi ſunt, ſi tibi conſtare velis.

At haec non ita ad vivum reſecari oportet, niſi non modo loquendi, ſed & judicandi rationem omnem vel a ſacris, vel a profanis auctoribus uſurpatam invertere velimus. Nimirum vulgares Ethnici totam eam rem rudi quadam, ut ita dicam, & pingui Minerva aeſtimabant. Maximam ſuis Numinibus perfectionem tribui oportere, quacumque tandem ratione, ſentiebant. Hinc enim Deos & beatos inducebant, & immortales, & ſumma ſapientia, mirabili pulchritudine, perfecta virtute praeditos. Hinc & Jovem dicebant Optimum Maximum, & quidquid in unoquovis genere videretur excellere, divinum appellabant, & eos ferebant, qui fortuna, ingenio, conſilio, bellica virtute praeſtarent; propius ad naturam Deorum immortalium accedere, & a Diis iiſdem immortalibus fauſta ſibi precabantur, ac ſuis. At cum, in quo ſita eſſet ea maxima perfectio, utcumque definiendum erat, tum vero contra ſanam philoſophiam, rectamque rationem, & plurima, & valde gravia peccabant. Nam in rebus & pulchris, & quavis honeſta natura dignis multa ponebant Ethnici, quae nos Chriſtiani perturbationes animi vel in homuncione vituperandas arbitramur. Similis eos dementia cogebat, ut Deos eſſe corpore in-

ſtructos, licet immortali quodam, atque pulcherrimo judicarent. Decorum, inquam, id videbatur ipſis, ac divinae Naturae conveniens, cum non poſſent alia ratione Deos, & pulchros, & robuſtos, & beatos, quin & viventes intelligere. Hanc ſententiam vel ipſe repudiavit Epicurus, quod ſatis clare corpus huic noſtro ſimile miſeriis haud ita paucis obnoxium eſſe debere, non modo philoſophia, ſed & experientia quotidiana declararet. At quis ex ea ſequi dicat, ut illi vecordes homines, atque ſtultiſſimi, nullam eſſe voluerint optimam Naturam, ac praeſtantiſſimam, quae ſacris ritibus, ac caeremoniis ab hominum univerſo genere colenda eſſet?

Sed qui vel ingenii aliqua, vel ſapientiae laude florebant inter Ethnicos, multo clarius non omnem ſe prorſus Divinitatis notionem abjeciſſe monſtrabant, quamvis & ipſi gererent implexam, & obvolutam, ac foediſſimis errorum maculis deturpatam. Etenim niſi excellentem ſuper hominis cujuſque captum, atque praeſtantem, eamdemque beatam, & immortalem, divinam eſſe Naturam ſibi perſuaſiſſent, cur tam multa de Diis narrata tam facile rejeciſſent, quae poëtarum vocibus fuſa ipſa ſuavitate probabantur? Cur, inquam, neque ambroſia Deos, aut nectare paſci crediderunt Homero, neque omnivoli furta Jovis probarunt, aut Apollinis amores, aut iram Junonis, aut furorem Martis, aut pudenda Veneris tum adulteria, tum vulnera? Cur illi cachinnos vix continere poterant, cum apud eumdem Homerum duos exercitus contrarios alii Dii ex alia parte defenderent; aut cum Sol in currum Phaëtontem filium eveheret, ignarus quantum ei pararet exitium; aut cum Neptunus Hyppolitum invitus perderet, quod ter optandi Theſeo feciſſet poteſtatem? (a) Cur non modo, quae diximus, ſed ne-

(a) Paulo ſapientiores inter Ethnicos fabulas poëtarum, ut meras fabulas, accepiſſe, ac magis ſobrie quam vulgus de Natura divina loqui ſolitos, atque ſentire, ſatis ex veterum libris conſtat. Vid. Cicer. paſſim, *e. g. I. Tuſcul.*, *I. & II. de Nat. Deor.* Laërt *in Prooem. & L. VIII. in Pythag. & L. IX in Xenoph.* Dionem Chriſoſt. *Orat. XII. & alios.*

neque leviora quaedam in beatiſſima Deorum vita locum habere cenſebant, ut quod tantopere Columbis delectaretur Venus, aut Juno Pavonibus, aut Diana Canibus, aut Tigribus Bacchus, aut marinis Neptunus Equis, aut demum Aquila Jupiter, *expertus aliquando fidelem in Ganymede flavo?* Haec, inquam, omnia illi Deorum immortalium omni virtute praeſtantiſſimam, atque beatiſſimam dedecere naturam conſtantiſſime ſentiebant; nec deerant inter eos qui de poëtis graviſſime conquererentur, quod ea portenta, & flagitia canentes, hominum vitam omni ſuperſtitione referſiſſent: neque majorem injuriam irrogare potuiſſe Divinitati, aliquando pronunciabant, quam cum eamdem libidine furentem, aut importunitate noxiam, aut ſuperbia elatam, aut ira inflammatam inducerent.

Sed qui philoſophiae diligentiorem dederant operam multo magis, quam reliqui docti homines ea ſpernebant, & improbabant delirantium ſomnia poëtarum, ac multo magis Deorum extollebant excellentiam, atque praeſtantiam. Conjecturam huius rei non obſcuram ex libris Ciceronis de Natura Deorum facere poſſumus. Tres enim ille trium diſciplinarum principes, Vellejum Epicureum, Academicum Cottam, atque Lucilium Stoicum, accurate ſane, & diligenter de natura Deorum diſputantes inducit. Jam ſi prolixas, at elegantiſſimas ipſorum orationes legas, fundamentum hoc totius fere quaeſtionis praeclare jactum videbis; Naturam nempe divinam, & optimam, & praeſtantiſſimam, eſſe ducendam, ac nihil in ipſam cadere poſſe, quod cum eximia virtute, cum perfecta ſapientia, cum perenni felicitate pugnare videatur. Labuntur illi quidem tam boni philoſophi, tam ſaepe labuntur, atque tam turpiter, ut jam illos adoleſcens, aut mulier Evangelicae doctrinae luce perfuſa, redarguere facile poſſit. At id quidem temporum, atque ſectarum dari debet, non ingeniorum, vitio. Caeterum, quod magis ad rem noſtram facit, illam praeſtantiſſimae Naturae notionem, tamquam heraclium, aut lydium lapidem adhibere videntur,

tur, ad quem ſententiae cujuſque bonitatem explorent. Hinc enim & ſua placita ſaepe confirmant, & adverſariorum opiniones plerumque refutant, atque concutiunt. Eamdem Naturae divinae notionem a Platone ſervatam, eamdem ab Ariſtotele, caeteriſque Philoſophis Ethnicis invenies, ubi velis ipſorum, quae ſuperant adhuc, ſcripta conſulere. Sed & illud ex iis diſces, quod praecipue nobis hoc capite propoſuimus, eam veritatem, de qua loquimur, a ſtultiſſimis etiam Idolorum cultoribus, aliquo tandem modo, fuiſſe receptam.

Habes autem ex his omnibus quid Baylio reſpondeas, modo ſpeciem eſſe Idololatriam ſub Atheiſmi genere comprehenſam probare conanti (*a*), modo cultores idolorum a Patribus Atheos fuiſſe dictos, modo deteriores ipſis Atheis habendos, modo non ſecus, atque Atheos eoſdem, unius veri Numinis inimicos. His omnibus tantum imperiti capiuntur. Sane quae profert Baylius, ad ipſius magnitudinem ſceleris, quod admittebant Ethnici, cum Numinibus commentitiis & preces, & ſacra facerent, nec non ad repugnantiam, quam ſcelus idem contra virtutem Religionis haberet, declarandam, pertinere fortaſſe poſſunt. Caeterum, ſi opiniones ipſas inter ſe comparemus, nemo eſt, qui facile non videat intereſſe plurimum inter Atheos, qui nihil velint eſſe homine melius, divinis honoribus, obſequiiſque dignum, & Idololatras, qui notionem aliquam Divinitatis relinquant, licet ad res etiam ſordidas, atque deformes, transfer-

(*a*) *Contin. des penſ.* §. 83. 84. *Tom. IV. & alibi ſaepe Répon. aux queſt. &c.* Caeterum ipſe Baylius, quo loco Athenienſem civem cum hoſpite de natura Deorum colloquentem inducit, ut non minus, illum, quam Cafrum quemvis deſipere, Jacobo Bernardo oſtendat, ſummam ab illo Naturae divinae perfectionem agnóſci concedere videtur, quamvis turpiſſimis eumdem erroribus implicitum, & eadem ratione, qua poëtae, de Diis differentem exhibeat. Ita enim *Rep. aux quaeſt. &c. C. 98. p. m.* 697. = *L' Etranger. Avez-vous l' idée de Dieu? L' Athénien. Ouï ſans doute. L' Etrang. Dites moi, je vous prie, ce que vous vous repréſentez par cette idée. L' Athén. La plus excellente eſpece d' Etre, qui ſoit dans la nature des choſes* =.

ferre non dubitent, & ficulnos etiam, & ſaxeos Deos ſibi pie, ſanɛteque colendos exiſtiment. Haec enim eſt non modo verborum, ſed & rerum permagna diſſenſio.

Itaque nullus fere, praeſertim inter Athenienſes, caeteroſque Graecos, extitit inanium Deorum cultor, quin ſemper contra Atheos, tamquam contra hoſtes patriae, maxime pernicioſos, pro aris, ac focis, ſibi pugnandum arbitraretur. Quin etiam, ut quiſque maxime ſuperſtitione occupatum gerebat animum, ita videbatur in Atheum quemvis infenſiſſimus; ut profecto plurimi Pacideiani Gladiatoris illius odium imitari viderentur, quem ita de ſuo loquentem adverſario Lucilius inducit.

„ *Occidam illum equidem, & vincam, ſi id quaeritis, inquit.*
„ *Verum illud credo fore, in os prius accipiam ipſe,*
„ *Quam gladium in ſtomacho, ſura, ac pulmonibus ſiſto.*
„ *Odi hominem, iratus pugno, nec longius quidquam*
„ *Vobis, quam dextrae gladium dum accommodet alter,*
„ *Uſque adeo ſtudio, atque odio illius efferor ira.*

Itaque dementes quidem Idolorum cultores, & ſceleratos, & impios, non tamen prorſus Atheos, eo ſenſu, quem in hac noſtra controverſia prae oculis habere debemus, fuiſſe conſtat. Quae vero de veteribus tum Graecis, tum Latinis diſſerimus, ad eos, qui nunc etiam in vaſtiſſimis Indiarum plagis exiſtunt, transferri facile poſſunt.

CAPUT XVI.

Oſtenditur quanti referat veram Atheiſmi tenere notionem, & Auctores aliqui refelluntur, qui nimis eamdem amplificant.

CUM tam multa de vera ſcribam, accurataque illius impietatis notione, quam proprie Atheiſmum a Graeca voce ducto nomine Recentiores appellant, ſubinde vereor ne mul-

multis, in explicanda quaeſtione, ut ajunt, de voce, non mediocrem videar operam, curamque conſumere. Id enim, inquiunt, quid aliud eſt, quam rixari de lana caprina, quod Horatius vetat, atque adeo cavillandi materiam quaerere?

Sed qui nobis haec objiciant, ex eorum erunt fortaſſe numero, qui de rebus ad haec liberaliſſima ſtudia pertinentibus judicare non poſſint. Etenim homines in arte Critica diu, multumque verſati, potius queri ſolent, illius, atque ſimilium vocum genuina ſignificatione, multis ab auctoribus, vel noſtrae, vel ſuperioris aetatis, fere neglecta, ſeu magis, quam par eſt, dilatata, clariſſimis rebus tenebras offuſas, ipſamque totam hiſtoriam Atheiſmi, quam expoliendam ſibi ſuſceperant, innumeris implicitam fuiſſe controverſiis, atque turbatam. Etenim Atheorum teterrimo nomine plures eſſe cenſendos opinati ſunt, quos ab Atheorum impietate ſatis abhorruiſſe, vel ipſa nominis, niſi fuiſſet ab iiſdem contorta, genuina ſignificatio declararet. Neque vero tantum in verbis illi lapſi ſunt, ſed in ipſis rebus. Etenim non ſatis clare, atque diſtincte percipere potuerunt, quid eſſet Naturam divinam, alicujus perverſitate opinionis, omnino de medio tollere. Itaque prorſus eamdem ab iis negari dixerunt, qui cum ipſam aliquo modo relinquerent, non tamen ei notioni conſentanea videbantur afferre, quam Scriptores ipſi, cum Dei nomen audiebant, animo verſare conſueverant.

Jure igitur Scriptores ejus generis reprehendit Antonius Genuenſis. = *Si ſemel conſtituamus*, inquit (*a*), *inter Atheos eos referre, qui nec plene, nec, ut Dei perfectiſſimam naturam decet, de Deo opinantur, aut loquuntur, quum ſit ſuprema illa natura incomprehenſibilis, ignoreturque melius, quam ſciatur, nimium, ac ſtulte Atheorum hiſtoriam augebimus* = Vidit etiam id Jacobus Bruckerus, Vir & eruditionis, quam ſemper prodit, & artis Criticae, quam plerumque praeſefert, laude celeberrimus. Hominem ſaepe laudabo, qui ſe cum infenſum Catholicis, tum Italis iniquum non raro praebet.

(*a*) *In Elem. Metaph.*

bet. At laus, ut Societati ſuae non ſatis addictum Melchiorem Canum extollens ſcripſit Pallavicinus, judicii munus eſt, non voluntatis, & merito, non amori, rependitur (*a*). Itaque Bruckerus, cum de Jordano Bruno Nolano ageret, & diligenter monuit (*b*) = *Impietatis, ſive Atheiſmi crimen a profanarum opinionum ...... colluvie diſtinguendum eſſe* = & vehementer doluit, quod = *fecerit neglecta haec obſervatio, ut multoties in hiſtoria Atheiſmi laberentur Viri docti* =.

Sed jam, ne videar auctoritate potius alicujus recentioris, quam ratione pugnare, non omnino nullum eſſe periculum, in illarum vocum, ſeu potius notionum, Athei, vel Atheiſmi, tanta perturbatione pronuncio. Etenim Athei, hoc eſt, ſi vim vocis attendas, homines qui Naturam divinam, amenti quadam impudentia, non eſſe calumniantur, ſi plurimi dicantur eſſe, ſi litterarum gloria florentes, ſi cujuſdam etiam, utut inſanientis, ſapientiae conſulti, quales ex Epicureis non paucos fuiſſe legimus, verendum eſt, ne tandem, vel numero, vel auctoritate ſua, poſſint efficere, quo minus in eam veritatem, quam impiis oſtendere maxime cupimus, univerſum humanum genus conſpiraſſe videatur. Hujus autem incommodi nullum periculum ſubeſt, ſi, quamvis impii fuerint in Deum, aliquem tamen eſſe Deum diffiteri nequiverint, quem colere, quem diligere debeat, quicumque ſanctitatis illius, & honeſtatis, ad quam ipſius naturae voce informamur, & incitamur, evadere cupiat laude perfectus. Tametſi enim abſurdiſſima quaeque de Natura divina comminiſcantur, dummodo beatam ponant, & immortalem, & intelligentia quadam ſingulari praeditam, atque virtute, quae captum humanum omnino ſuperet,

L quae

(*a*) Egregius Auctor Agatopiſtus Cromat[illegible] in praefatione operis elegantiſſimi, atque doctiſſimi, cui titulus = *Della Iſtoria, e della Indole di ogni Filoſofia* = meritis Jacobum Bruckerum laudibus extollit, quamvis in eo quaedam vitia notet, partium praecipue ſtudium, & ea, quae nos curſim, ac ſtrictim attigimus; quae nulla ratione ſatis excuſari queant.

(*b*) *Tom. IV. H. C. Phil. Per. III. P. II. L. I. Cap. II. a p. 13.*

quae merito nos in admirationem ſui, amoremque convertat, quae genere quovis honorum a mortalibus coli debeat; uno verbo, dummodo Deum eſſe aliquem & dicant, & ſentiant, mirifice noſtram contra veros Atheos optimam cauſam juvare poterunt. Etenim cum & ipſi homines vel moribus, vel opinionibus adeo depravatis, aliquem optima, praeſtantiſſimaque natura Deum exiſtere, non audeant inficiari, aliquem hujuſmodi Deum revera exiſtere, communi generis humani veluti decreto ſancitum libenter accipimus. Hinc paucis quibuſdam Atheis perſuadere conamur, ut, ſi velint inter homines potius, quam inter pecudes recenſeri, etiam ipſi, praeter ea, quae ſenſibus uſurpamus, aliquam pie, ſanĉteque colendam, excellentem, praeſtantemque Naturam eſſe fateantur. Id ſi nobis ex voto ceſſerit, tum multo facilius hanc eamdem Naturam, iis, ut vocant, attributis praeditam eſſe demonſtrabimus, ſine quibus neque immortalem illam eſſe, neque nullius egentem, neque ſumma virtute, vel perfeĉtiſſima fruentem beatitate, poſſet intelligi.

Hac etiam ratione veteres Philoſophi ſolebant Epicureos urgere, & ad incitas redigere, ut illis, ſiquidem conſtare ſibi vellent, longe alia de Deo ſentienda eſſe, quam quae ſenſerant haĉtenus, clariſſime demonſtrarent. Et eos quidem Philoſophos Epicureos non video cur aliqui Recentiores, veluti ſuo jure, ſumant, non modo ſtultos, & impios, ſed prorſus Atheos eſſe vel cenſendos, vel appellandos. Multo minus eos Auĉtores probo, qui, ut Epicureis, licet invitis, inter Atheos locum invenire poſſint, Atheos eſſe ſine cunĉtatione pronunciant, quotquot Divinam Providentiam e medio ſuſtulerunt. Ex hoc numero eſt ille Canephius (*a*), qui, nulla ſatis apta ratione reddita, ſcripſit, quotquot Dei Providentiam vel ad ſingulos paſſeres, aut capitis noſtri crines deducere recuſarent, nec minus proprie, nec minus vere, quam eos, qui Divinitatem omnem aperte negarent, Atheos eſſe dicendos.

Nol-

(*a*) Baruch Canephius *p.* 23. *de ſon Atheomachie, edit. de Geneve* 1582.

Nollem iis auctoribus ulla ratione adhaeſiſſet, qui tamen aliqua tantum ex parte adhaeſit, Scriptor & ingenio, & doctrina magnus Hiacynthus Gerdilus. Etenim Atheos appellat, quotquot doctrinam oppoſitam illi praeſetulerunt, quam nominalem, ut ait, Dei definitionem ipſe in medium adduxit. Pronunciat autem ea definitio Deum eſſe = *Ens aeternum, ſuprema intelligentia, potentia, & bonitate praeditum, & a quo ordo, & adminiſtratio Univerſi pendet* = (*a*) Hinc tres Atheorum conſtituit claſſes. In prima ſunt qui Deum exiſtere, ſine tergiverſatione ulla, inficiantur. In altera, qui Deum cum Natura confundunt. In tertia, qui Providentiam negant (*b*). Fatetur tamen accuratus auctor non eſſe dicendos Atheos, qui Providentiam, ut ajunt, *immediatam* ad Coelos tantum, aut ad *Species generales* deduxerunt. Etenim hi videntur eidem Divinitatis notionem aliquo modo ſervaviſſe.

Haec omnia, ut ingenue fatear, mihi videntur ad arbitrium poſita, quamvis multo moderatior fuerit Gerdilus, quam ſcriptores quidam omnino rejiciendi, qui novem, aut decem, aut plures etiam (*c*) Atheorum claſſes diſtinxerunt, & in eaſdem philoſophos nobiliſſimos, homineſque alios doctrinae gloria nobiles, haud levi quidem injuria, compegerunt. Sed ſi poteſt, fatente Gerdilo, non Atheus eſſe, qui Deum humana per ſe curare negat, cur non etiam eo crimine liberari poſſit, qui coelorum quoque converſiones, ac motus, totamque mundi machinam ab eodem regi inficietur? Paritas enim rationis ei, qui primum illum errorem admiſerit, alterum ſuadere facili negotio poterit. Scilicet, ut humanarum rerum procurationem non eſſe Deo dignam primus ille ſtatuerat, idem fere alter de mundi totius admi-

(*a*) Gerdil. *Introduz. allo Studio della Relig. P. I. p.* 189. = *Intendo adunque per nome di Dio un Ente eterno, dotato di ſuprema intelligenza, poſſanza, e bontà, e da cui dipende l'ordine, e 'l governo dell' Univerſo* =

(*b*) *V. p.* 191. *&* 192.

(*c*) Conſule doctum virum, qui Cudworthum in Etruſcum ſermonem vertit, in Praefatione Operis, ubi etiam de illis merito conqueritur.

miniſtratione ſtatuit. Utrique certe falluntur, & non modo cum Chriſtiana fide, ſed cum ratione ſatis perſpecta utrique pugnant. Utrique tamen aliquid animo ſervant de notione Divinitatis, ſi reliqua in Gerdiliana definitione poſita libenter ampleſtantur. An vero, qui Deo praeſcientiam rerum futurarum, aut Immenſitatem adimat, aut ſimile quodpiam Attributum, non continuo Atheus vocabitur, ut melioris notae conſentiunt Auctores; is vero qui minus aliquid adimere videtur, hoc eſt quod rebus humanis interſit, & ipſum Mundum gubernet, propterea quod cum ipſius id majeſtate, vel perfecta beatitate pugnare putet, non modo impius homo, non modo peſſimus philoſophus, (nam has in eum quadrare notas ultro fatemur) ſed etiam Atheus omnino cenſendus erit? Invitus equidem facio, ut ab homine de philoſophia, & Religione optime merito magnopere diſſentiam. Sed cum ille nullam attulerit ſui pronunciati rationem, malo cum veteribus, quam cum ipſo, in re maximi momenti loqui, atque ſentire.

C A P U T XVII.

Atheiſmi definitio, vel declaratio ab uno ex Encyclopaedicis Auctoribus allata rejicitur.

FAcilius inducor, ut Auctorem deferam ex Encyclopaedicis (ſic enim dicuntur) unum, qui cum in ipſis duorum articulorum frontibus, quiſnam Atheus, vere, opinor, ac proprie dictus, ſit cenſendus, ſtatuere vellet, atque deberet, eum eſſe, qui Deum aliquem Mundi auctorem nollet agnoſcere, ſine ulla cunctatione pronunciavit. (a)

Ra-

(a) *Diction. Encycl. To. I. Art. Athées p. 667. edit. Lucenſ. a. 1758.* = *On appelle Athées ceux qui nient l' exiſtence d' un Dieu, auteur du Monde* = *& Art. Athéiſme p. 692.* Atheiſmus definitur = *c' eſt l' opinion de ceux qui nient l' exiſtence de Dieu, auteur du Monde* = Ratio affertur, cur addita fuerint ea poſtrema verba = *j' ai ajoûté ces mots, auteur du*

Rationem addidit, qua ne leviter quidem dubitare viſus eſt, quin Epicurus, atque adeo grex totus Epicureorum Atheis, vel maxime manifeſtis, adſcribendus veniret. Ait enim ea poſtrema verba propter Epicureos addita fuiſſe, qui cum Deos, & quidem plurimos, eſſe crebris ſermonibus uſurparent, eos tamen molli, otioſaque ſegnitie diffluentes, nihil curare, nihil agere tradiderunt..

Equidem hominis, cui laus ingenii perſpicacis, & orationis perſpicuae denegari non debet, confidentiam in eo maxime admiror, quod ſibi exploratiſſimum eſſe ſignificat, quod vix aliquando Peripatetici, vel etiam Stoici ſcriptis, aut voce protuliſſent, cum in Epicureos, contra ſeveriora Zenonis, vel Chryſippi ſui praecepta, maxime ſtomachati eſſent. Neque enim, ſi philoſophiae conſulamus hiſtoriam, fere omnes Epicuri diſcipulos, ſimul cum eodem Epicuro, priſcos apud Philoſophos, ſummae impietatis ſuſpicione laboraviſſe videbimus. Sane apud Ciceronem invenimus Epicurum ejus fuiſſe criminis inſimulatum; Vellejum, Torquatum, Caſſium, Zenonem, Phoedrum, alioſque non item. Auctores alii, ſi nomen Epicuri Atheorum συλλάβω, vel indici inferunt, non continuo celeberrimos homines, qui ſunt Epicurum ſecuti, ſubjiciunt. Quod magis ad rem facit, qui Deum eſſe aliquem ex communi generis humani ſuffragio probare ſtudent, potius barbaram aliquam, efferatamque gentem objicere ſibi ſolent, quae viſa fuerit omni Divinitatis cognitione vacare, quam celeberrimam ſectam Epicureorum, Graecos inter, atque Romanos, longe, late-

que

du Monde, parce qu' il ne ſuffit pas d' adopter dans ſon ſyſteme le mot de Dieu, pour n' être pas athée. Les Epicuriens parloient des Dieux, ils en reconnoiſſoient un grand nombre, & cependant ils étoient vraiement athées, parce qu' ils ne donnoient à ces Dieux aucune part à l' origine, & à la conſervation du Monde, & qu' ils les réleguoient dans une molleſſe de vie oiſive, & indolente = Auctor Articuli Athées eſt Cl. Abbas Yvon. Eadem ipſius nota, qua ille a reliquis diſtinguitur Encyclopaediae Diderotianae auctoribus, ſubjicitur articulo *Athéiſme*; ſed ad calcem hujus additur = *Cet article eſt tiré des papiers de Mr. de Formey Secretaire de l' Acad. R. de Pruſſe* =

Digitized by Google

que diffuſam, ac non ſolum hortulos illos Atticos, ut quondam, ſed & nobiliſſimas domos, & caſtra, & forum, & ſubſellia, & roſtra, & Curiam ipſam jampridem obtinentem.

Scilicet apud antiquos illos, ſit verbo venia, Criticos longe temperantiores, quam plurimi ſint ex noſtris, non idem erat aliquid ſtatuere, unde Naturae divinae, ſi fieri poſſet, ruina conſequeretur, & hujus ipſius Naturae, vel religionis ruinam, impia voluntate, moliri; niſi forte quibuſdam ex aliis indiciis id adeo clarum videretur, ut res in medium vocari vix poſſet. Itaque, ſi de Epicuro verteretur quaeſtio, vix eorum aliqui poterant cogitatione conſequi, quanam ratione tot ridiculorum *δόγματων* fabricator, & artifex, ea fuiſſe omnino ad arbitrium, ac ſine ratione, ſine auctoritate conficta non videre potuiſſet. Quare cum maxime infenſum animum ab eo geri contra Divinam Providentiam viderent, prona erat illa ſuſpicio; quaecumque docuiſſet de Diis immortalibus, invidiae declinandae cauſa dixiſſe. At, ſi de caeteris Epicureis (praeſertim ſi principes quidam exciperentur, in irrigandis Epicuri hortulis maxime omnium occupati) res ageretur, facile videbant genus hominum minime malitioſum, ut illos Cicero vocat, pluribus omnino rationibus decipi potuiſſe. Quamquam autem ea deceptio ridiculos eoſdem philoſophos ab impietatis crimine immunes praeſtare non poſſet, id tamen efficiebat, ut non omnem prorſus ex animo perfectiſſimae Naturae notionem exterminaviſſe viderentur.

Caeterum quod ipſe fuerit Atheus Epicurus, tum ſi Veteres, tum ſi Recentiores Criticos conſulere velimus, omnino non liquet. Ille quidem Poſidonio Stoico, acerrimo ſcilicet adverſario, viſus eſt, ne in offenſionem caderet Athenienſium verbis reliquiſſe Deos, re ſuſtuliſſe. Hanc accuſationem, cùm caeteri Philoſophi Epicuro infenſi, tum maxime Cicero magna quadam arripuit aviditate; qui Cicero quidem Epicureae Sectae, vel ſaltem Epicuri, tanto flagrabat odio, ut multis ab eo celebrem philoſophum calumniis one-

oneratum fuiſſe, doctiſſimi viri Gaſſendus, Bruckerus, atque alii conquerantur.

At Epicurus non modo ſemper cum ſuis faſſus erat ſe Deos agnoſcere beatos, & immortales, ſed palam gloriabatur, ſe pie, ſancteque colere naturam excellentem, atque praeſtantem. Hujus autem praeſtantiae non minimam in eo partem poſitam eſſe cenſebat, quod ejus aſſecla Lucretius notiſſimis verſibus expreſſit (*a*). Canit enim de Natura divina.

„ *Nam privata dolore omni, privata periclis,*
„ *Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,*
„ *Nec bene promeritis capitur, neque tangitur ira.*

Addebat ipſius Dei beatitatem cum hujus rerum Univerſitatis tanta procuratione non poſſe conſiſtere.

„ *Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe eſt,*
„ *Immortali aevo, ſumma cum pace, fruatur,*
„ *Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe.*

Quare ſe tantum non agnoſcere clamitabat omnia curantem, ac providentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, operoſum, ac plenum negotii Deum.

Itaque fuerunt etiam inter antiquos accurati Scriptores, qui potius inter Philoſophos de Natura divina peſſime differentes, quam inter Atheos proprie dictos Epicurum recenſendum eſſe putarent. Inter eos Stoicorum illud lumen Seneca videtur eſſe ponendus, qui culpat ſaepius Epicurum, quod inermem fecerit Deum, & extra mundum projecerit, ne cuiquam timendus eſſet (*b*); numquam tamen quod cum Critia, vel cum Diagora nullos Deos eſſe docuerit: imo ponit inter eos, qui = *Deum colunt nulla ſpe, nullo pretio inducti, ſed propter majeſtatem eximiam, ſupre-*

(*a*) *Lib. I. v. 59.* (*b*) *De Benefic. L. IV. C. 19.*

premamque naturam = Idem videntur de Epicuro ſenſiſſe alii veteres, qui dum eos proferunt, qui nullos Deos eſſe voluerunt, Epicurum omittunt, quamvis, ob conditae Sectae celebritatem, primo fortaſſe loco memorare debuiſſent; hujus autem placita referunt, dum, quid philoſophi de Natura divina ſenſerint, diligentius exponunt; cujus rei luculentiſſimo poteſt exemplo eſſe Plutarchus (*a*), quem teſtem certe nimis Epicuro faviſſe, nemo vel leviter eruditus cauſari poterit; etiamſi idem Plutarchus (*b*) alibi carpat Epicurum, quod precationes, adorationes, omnemque Deorum cultum non ex animi ſententia praeſtiterit, ſed prae multitudinis metu ſimulaverit.

Caeterum, quod delicatus ille molliſque philoſophus (*c*), non omnibus, imo neque pleriſque prorſus Ἄθεος fuerit, nihil neceſſe eſt pluribus oſtendere, cum ipſius adverſarius apud Ciceronem, Cotta (*d*) ſatis id aperte docere videatur.

Orationis Cottae particulam exhibeo, quod aliqua contineat, in hac de veris Atheis a caeteris, licet maxime impiis, rite diſtinguendis quaeſtione, notatu digniſſima. Itaque Academicus Cotta, cum ſtultas C. Velleji, Senatoris Epicurei, de Natura divina, ridiculaſque ſententias, eximia quadam eloquentia perſtringeret, eo uſque provexit orationem, ut Vellejo, ſi conſtare ſibi vellet, omnino Deos eſſe negandos, clariſſime demonſtraret. Tum illum a ſapientia laudat, quod id non audeat; ſed inde, non populum eo loco, quo diſputabatur, ab ipſo metui, ſed ipſos Deos, adeoque non ex animi ſententia contra divinam Providentiam locutum eſſe, concludit. Confirmat id ipſum ex eo, quod noverit Epicureos omnia ſigilla numerantes. Tum ſubdit = *Quamquam*

(*a*) *Lib. I. de Placit. Philoſoph. C. VII.*

(*b*) *Adverſ. Colot.*

(*c*) Nimis injuſtus eſſet, qui nos, quod Epicurum fuiſſe prorſus Atheum negemus, & ad eum defendendum multa colligamus, ipſius impiae doctrinae favere ſuſpicaretur. Nos enim non modo non favemus, ſed quae contra Epicurum ſcripſit Cl. Gauchat (*To. VI. Lettr. Critiq. Lettre LV. ſur Epicure*) impium Auctorem Analyſeos Baylii confutans, maxime probamus.

(*d*) *Lib. I. de Nat. deor.*

quam video nonnullis videri Epicurum, ne in offenſionem Athenienſium caderet, verbis reliquiſſe Deos, re ſuſtuliſſe. Itaque in illis ſelectis ejus, brevibuſque ſententiis, quas appellatis κυρίας δόξας, haec, ut opinor, prima ſententia eſt: Quod beatum, & immortale eſt, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium. In hac ita expoſita ſententia, ſunt qui exiſtiment, quod ille inſcitia plane loquendi fecerit, feciſſe conſulto. De homine minime vafro male exiſtimant. Dubium eſt enim, utrum dicat aliquid iſte beatum, & immortale, an, ſi quod ſit, id eſſe immortale. Non enim animadvertunt, hic eum ambigue locutum eſſe: ſed multis aliis locis, & illum, & Metrodorum, tam aperte, quam paulo ante Te = Tum Cotta repente ſuſpicioni dat locum, quae ſibi ſuboritur, ipſum videlicet Epicurum vidiſſe Deos eſſe metuendos; quod certe ſtare non poterat, niſi homo impius non id quod ſentiret, ſed id quod optaret, de divina Providentia locutus eſſe diceretur. Ait autem Cotta = *Ille vero Deos eſſe putat, nec quemquam vidi, qui magis ea, quae timenda eſſe negaret, timeret, mortem, dico, & Deos, quibus mediocres homines non ita valde moventur.* = quibus graviſſime dictis, & nimia Epicuri timiditate correpta, uberrimum orationis filum eo uſque deducit, ut ſolis ipſa luce clarius oſtendat, male inſtitutas ab Epicuro rationes exitum reperire non poſſe. Ad extremum vir eloquentiſſimus, in Epicurum juſta ira commotus, cum librum ab ipſo de ſanctitate ſcriptum commemoraſſet, qui omnem a Deo gratiam ſuſtuliſſet, neminem ab eo amari, nec Deum, nec hominem, neminem diligi vellet, eo tandem protrahi ſe finit, ut omnino ludi reliquos philoſophos dicat ab homine, non tam faceto, quam ad ſcribendi licentiam libero = *Quae enim*, inquit, *poteſt eſſe ſanctitas, ſi Dii humana non curant? Quae autem animans natura nihil curans? Verius eſt igitur nimirum illud, quod familiaris omnium noſtrum Poſidonius diſſeruit in libro V. de natura Deorum; nullos eſſe Deos Epicuro videri: quaeque is de Diis immortalibus dixerit, invidiae deteſtandae gratia dixiſſe.*

Neque enim tam deſipiens fuiſſet, ut homunculi ſimilem Deum fingeret, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu ſolido, membris hominis praeditum omnibus, uſu membrorum ne minimo quidem, exilem quemdam, atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem = Inde Cotta concludit Epicurum, qui videret, haec omnia nulla poſſe ratione conſiſtere, Deos re quidem tollere, oratione tantum relinquere.

Liceat hic obiter interrogare Cottam. Quid ſi, vir eloquentiſſime, quod tu facile vides, ille non tam acuta inſtructus ingenii acie non vidit? Nonne tota iſthaec argumentatio, quam tanta verborum optimorum copia proponis, Epicureis nullius momenti rationibus ſimilis erit? An vero neſcis, quid homo homini, non modo fortuna, ſed & ingenio, judicioque praeſtet, ut alicui denſiſſimis obvoluta tenebris appareant, quae pura quadam alter ſub luce colluſtrat? Nimirum Epicurus, cum veritatis omne judicium in ſenſibus conſtitueret, nihil aliud cogitabat, quam quod aut ſenſibus obverſari poſſet, aut quamdam cum eo ſimilitudinem gerere putaret. Itaque cum & Deos aliqua forma pollere, quae fuit apud Ethnicos vulgaris inſania, & humanam inter caeteras formas praeſtantiſſimam eſſe ſtatuiſſet, eam ad Deos transferre non dubitavit. Verum illos habere voluit, non corpus, at quaſi corpus, non ſanguinem, at quaſi ſanguinem, aliaque commentus eſt, quae perficere formam illam homini ſtultiſſimo videbantur. Quod ſi Numinibus rerum, quae ſunt in mundo, curam adimit Epicurus, inde eſt, ut diximus, quod, quaſi pueri delicati, nihil ceſſatione melius exiſtimat. Idem cum imbecillitatem eſſe gratificationem, & benevolentiam poneret, negat apud Deum locum habere gratiam. Si vero quiſpiam interroget; quam ergo vitam negotiis omnino vacuus Deus ille traducat, nihil cunctatur Epicurus. Etenim vitam agere docet exquiſitiſſimis voluptatibus, & omnibus cujuſcumque generis, ſine ulla mali mixtione, bonis affluentem. Illud etiam narrare ſo-

ſolebat ſuis, noſtrum hunc mundum dignam Deorum ſedem eſſe non poſſe, ſed qualem poëtae deſcribunt Olympum, tales eſſe, ubicumque ſint, beatas Deorum, quietaſque ſedes,

„ *Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis*
„ *Aſpergunt, neque nix, acri concreta pruina,*
„ *Cana cadens violet, ſemperque innubilus aether*
„ *Integit, & large diffuſo lumine ridet.*

Errorum (*a*) haec portenta tantum in caput tribus Anticyris inſanabile cadere potuiſſent. Nonne tamen oſtendunt Epicurum, non omnem prorſus ex animo voluiſſe Divinitatis cognitionem expellere? Quid autem illum ſuorum errorum abſurditatem ſatis vidiſſe putem, cum non videret, quam pudendum eſſet iſta proferre, & omnibus ſe, praeterquam ſuorum hortorum meretriculis, & aſotis, ridendum praebere? Quare quod tu invidiae deteſtandae cauſa ſcripſiſſe dicis, cum Deos fateretur (*b*), cur ego non poſſum ſim-

 pli-

(*a*) Vid. Gaſſendum *in Syntagm. Philoſoph. Epic.* C. 3. *in To. III. edit. Florentin.*

(*b*) Quae dicunt in hac controverſia de ſimulatione Epicuri tum Buddèus tum Moshemius, rejiciuntur a Bruckero *Tom. I. p.* 1293. qui recte notat = *nec ſufficere ſolam ſuſpicionem ad Atheiſmi maculam inurendam, rationibus in contrarium praeſentibus, nec videri laudatam Epicuri integritatem tam impudentem hypocriſim admittere . . . . . . Epicuri theologiam tantum judicamus talem, qualem nobis eam expoſuit* = Fatetur tamen, quod adverſarii dicunt, non ut rem, quae nullo modo eſſe potuerit, eſſe rejiciendum. Id & nos fatemur. Sed adverſarios monemus, hujuſmodi quaeſtionum ſolutionem non hominibus, ſed καρδιογνώστῃ Deo, qui *revelabit* in die judicii *abſcondita tenebrarum* eſſe ſervandam. Idem Bruckerus ad Epicurum defendendum advertit, numquam apud Athenienſes impietatis accuſatum fuiſſe, quod Anaxagorae, quod Socrati, quod Ariſtoteli, quod aliis bene multis contigit. Hoc indicio eſſe putat, eum id moribus executum, quod in ſcholis proponebat, de pie, ſanctequé colenda natura excellenti, atque praeſtanti. Sed ex iis, quae ſcripſit Bruckerus in hac quaeſtione, nos ea maxime probamus, quae habet *p.* 1240. ubi indicatis Epicuri erroribus = *Nec nega-*

plicius interpretari, eum id feciſſe naturae voce (id enim ipſe prae ſe ferebat) vel ſaltem omnium gentium teſtimonio convictum?

Caeterum non eſt hic orationem Cottae fuſius refellendi locus, neque plura congeremus, ut Samueli Parkero, (*a*) qui ſcilicet omnium vehementiſſime preſſit Epicurum, aut Ioanni Franciſco Buddeo, vel Moshemio (*b*) reſpondeamus. Nam quaecumque illi attulerunt ex iis, quae contra Cottam diſputavimus, facillime refelluntur.

Equidem eadem ferme ratione inter Atheos Epicurum habendum eſſe nego, qua craſſiſſimum Ethnicorum vulgus ab Atheis eſſe diſtinguendum fere omnes eruditi conſentiunt. Etenim, ſi rationes paulo diligentius inire velimus, dubium eſſe videbimus, utrum ille magis, an iſti, cum de Natura divina loquerentur, inſaniviſſe dicendi ſint. Nam ſi Deos a mundi procuratione removet Epicurus, hi turpiſſimis animi motibus, atque perturbationibus agitatos, modo ira, modo invidia, modo libidine furentes inducunt. Uter fuerit error aut major, aut pernicioſior, aequi lectoris eſto judicium. Unum illud ego poſtulo, ut, ſi vulgus Ethnicorum Polytheiſtis, non Atheis proprie dictis a Criticis emunctae naris accenſetur, ne durius quam par eſt cum Epicuro, qui ſuis ingentibus erroribus quaedam praeclara miſcuit, a noſtris Criticis agi videatur. Sin minus id impetravero, ſaltem illud orabo, ne tamquam rem ſatis certam, & exploratam Ἀ᾽θεότητα ſumant Epicuri, ut non illam velint ex Atheiſmi definitione, ſed potius Atheiſmi definitionem ex illa pendere; quod Encyclopaedico Auctori, quem impugnamus, forſitan exprobari non injuria poteſt. Il-

gamus, ait, *graviter ita impegiſſe Epicurum in doctrinam de Deo, eumque, falſo beatitatis divinae, & motus mechanici conceptu deceptum, reddidiſſe inermem, & attributis primariis deſtitutum; nondum tamen inde ſequi, quod adverſarii ejus urgent, ſuſtuliſſe omne Numen ex rerum natura, quilibet videt, qui diſtincta Atheiſmi notione utitur* =

(*a*) *De Deo Diſp. I. Sect. XII. ſeqq. p.* 30. *ſeqq.*

(*b*) Bud. in *Tract. de Atheiſm. &c.* de quo ſermo recurret, Moshem. *ad Cudw. Syſt. Intell. C. II. §. 7. p. 77. N. 5.*

Illud autem notari maxime velim, quod ex oratione Cottae veluti ſua ſponte deſcendit; non ex eo tantum, quod auctorem Mundi Deum eſse negaret Epicurus, aut divinam a Mundi machina providentiam ablegaret, dignum eſse viſum, qui Divinitatem prorſus omnem e medio tollere diceretur, ſed quod ridicula nimis, & abjecta de praeſtantiſſima Natura ſentiret, ſeu verius, non tam quod illa ſentiret, ſed quod illa non poſse ratione ulla conſiſtere, philoſophus, quamvis pingui Minerva, non videre non poſset (*a*).

Quae cum ita ſint, nemo non videt, Encyclopaedicam illam Atheiſmi definitionem, ſive declarationem, quam impugnandam aſsumpſimus, multis ex partibus facile labefactari.

C A P U T XVIII.

Methodus redarguitur, quam Scriptores nonnulli ſecuti ſunt, Atheis eos accenſendi, quorum ex doctrinis Deum non eſſe conſequeretur.

CUm de Scriptoribus multa conqueſti ſimus, qui notionem Atheiſmi transferunt ad errores ab Ἀθεότητος impietate ſatis alienos, locus ipſe poſtulare videtur, ut eos, qui nihil tale merentes homines inter Atheos referunt, gravius etiam & acerbius reprehendamus. Illi nempe claros quoque philoſophos Ἀθεότητος inſimulare ſolent, qui de Deo ſenſerint aliquid, quod non eſse de Deo ſentiendum, opti-

(*a*) Notatu dignum mihi videri ſolet, quod a veteribus auctoribus Democritus, e cujus fontibus Epicurus hortulos irrigavit ſuos, inter apertos Numinum hoſtes, aut Atheos referri non ſoleat; quamvis a Cicerone funditus religionem ſuſtuliſſe, quin & nutare dicatur in natura Deorum, propter incertas nimirum, & obſcuras hac de re, quas protulit, variaſque ſententias. Ille tamen curam omnem hujus rerum Univerſitatis Numinibus adimebat. Ex quo efficitur, niſi nos omnia fallunt, ut non idem eſſe veteres illi putaverint Providentiae Deorum bellum indicere, ac nullam eſſe Divinitatem ſentire.

Digitized by Google

optime deducta ratio convincit ; cum tamen iidem & ſe Deum colere tota oratione, tum etiam tota vita praeferant, & multa etiam aliquando de divina Natura praeclara ſcribant: quae μέθοδος quidem, aut ratio vel cogitandi, vel loquendi, tam anceps mihi videri ſolet, atque adeo tam aperte fallax, ut aegre poſſit alio, quam ingentes in errores deducere. Etenim = *Quotidie videmus*, ait in hanc rem optime Fabricius (*a*), *homines contra principia dogmatum ſuorum agere, aliiſque dogmatis ea refellere ; itaque nec concluſionum quarumcumque impietas, quae ex ſententiis quibuſdam elici poſſe videtur, auctoribus illico tota videtur imputanda* = caeteraque graviſſime.

Nimirum, ut ad vivum magis iſta reſecemus, Atheiſmus (de poſitivo loquor) eſt animi vitium, quo non eſſe Deum quiſpiam ſibi perſuaſerit. Si cui ſit igitur contraria perſuaſio, quod nempe ſit Deus, non hominibus ille poterit eo vitio laborantibus, niſi per injuriam accenſeri. At ea contraria perſuaſio cur ei tandem ineſse nequeat, ex cujus doctrina, ſi rite quidquid ex ea conſequatur elicere poſſimus, divinam non eſse Naturam facile probaremus?

Concluſionem hanc nemo, niſi fallor, infirmare poterit, niſi forte majus aliquid Buddeo, ſcilicet Auctori maxime omnium ea methodo, quam improbamus, delectato, pauciſque Buddeo ſimilibus, quam doctis fere omnibus tribuat. Sane Buddeus, dum paſſim Atheos vocat, quos in ſui *Tractatus de Atheiſmo, & ſuperſtitione* prooemio conceſſit, non vidiſse conſecutiones e ſua doctrina dimanantes, quibus non eſse Numen probari poſset, manifeſte ſignificat, ſibi non paucos Atheos eſse, qui Deum eſse putaverunt. At, ſi quid videmus, ea quae ſcripſit in illo prooemio Buddeus, invidiae tantum declinandae cauſa ſcripſit, & ut aliquid iis dare videretur, qui tam ingenti numero Atheorum per ipſum in alio opere, nempe *Diſſertatione de Spinoſiſmo ante Spi-*

(*a*) *De ver. Rel. Chriſt. c. 8. n. I. II.* Vide Wolfii *Diſſertationem de Atheiſmi falſo ſuſpectis.*

Spinoſam, inducto, non mediocriter commoti fuerant. Igitur ejus auctoritatem hoc loco jure negligimus, praeſertim cum in hoc toto negotio pugnantia loqui videatur. Ipſe (*a*) Atheiſmum ita deſcribit = *Atheiſmus eſt maligna ſpiritus atque perverſa diſpoſitio, qua ſcilicet, nihil conſcientiae motus, ac voces attendens, id aliquis agit, ut ſurdas ipſius monitis, & objurgationibus aures praebeat, & hinc nullum eſſe Deum ſibi perſuadere nititur, aut ſaltem approbat, ac magna pervicacia defendit opiniones, ex quibus naturali quadam, ac neceſſaria conſecutione, quae non poteſt ignorari, nullum Deum eſſe concluditur* = Altera definitionis parte, quos vocat Atheos ſecundae claſſis complectitur (*b*), de quibus omnino contraria ſcripſiſse videtur in Tractatus Prooemio. Ait enim ibi ſecunda claſse Philoſophos illos eoſdem comprehendi, = *propterea quod odioſas hujuſmodi conſequentias non admitterent* = (*c*) quod nempe non ſit Deo Libertas, non Providentia, atque adeo non ipſe Deus. Si conſecutiones hujuſmodi non concedebant philoſophi, quomodo jam Buddeus adeo clare ſignificat, eos ignorare non potuiſse, ſi ſtarent illae doctrinae, non eſse Deum?

Equidem non video, qua ratione Buddeus defendi poſſit, niſi dicamus, de ejuſdem ſententia, qui tam abſurdas opiniones tuebantur, dicis gratia faſſos eſse Deum, quem revera ſuis doctrinis e medio ſublatum & viderent, & vellent. Id ſi Buddeus forte vult, iterum pugnantia loquitur. Erunt enim ii philoſophi in eadem navi nimirum, in qua Spi-

(*a*) Latina fecimus verba Gallicae interpretationis, quam habere potuimus, ſatis accuratae, in qua ſic (*Ch. II. §. I. p. 98.*) = *L' Athéiſme eſt une diſpoſition maligne, & perverſe de l' eſprit, par la quelle, ſans faire attention au mouvement de la conſcience, l' on en étouffe les inſpirations, & les remords, & l' on tâche de ſe perſuader par-là qu' il n' y a point de Dieu, ou l' on approuve, & l' on defend opiniâtrement certaines opinions, des quelles il ſuit par une conſéquence naturelle, & néceſſaire, que l' on ne peut ignorer, qu' il n' y a point de Dieu* =

(*b*) *Vid. ibid.*

(*c*) *Pref.* = *parce qu' ils ne convenoient pas de ces fâcheuſes conſequences* =

Spinoſa, qui verbis etiam aliquando magnificentiſſimis Deum relinquebat. De Spinoſa tamen Buddeus eodem loco, & quidem continuo ſubdit = *Nos hac indulgentia non utemur erga Spinoſam, qui monſtruoſas ſuae malae doctrinae conſecutiones optime intellexit* = (*a*) Spinoſam primae claſſis Atheum eſſe vult a noſtris philoſophis ſeponendum, quod non, ut illi, conſequentias ex animo negaret, quibus nullum eſse Deum, ex impia, quam tuetur, doctrina demonſtratur. (*b*) Num clarioribus verbis Buddeus ſignificare queat, ſecundae claſſis Atheos ignorare potuiſse quid ſuis ex placitis contra divinam Naturam exprimeretur? Quomodo igitur, cum Buddeus idem ignorare non potuiſse ſignificat, non ſecum ipſe pugnat, ſuiſque ſe armis confodit?

Sed eligat ipſe tandem utram ſententiam defendere malit. Veteres, inquam, tot impiarum doctrinarum auctores, aut certe patroni, num Divinitatis notionem utcumque retinebant, an prorſus totam abjiciebant ex animo, cum ſimpliciori populo verbis illuderent? Si primum amplectatur, Athei dici non poterunt, niſi, quo nihil abſurdius afferri poteſt, Athei dicantur, qui fortaſſe malint pugnantia loqui, quam omnem ex animis vel ſuis, vel alienis notionem Divinitatis abradere. Alterum ſi velit Buddeus, jam contra ipſum omnia facient, quae fuſius hoc toto capite, aliiſque perſequimur.

Illud praeſertim contra hujuſmodi ſcriptores eſt advertendum, quod ut eſſe Deum quiſpiam ſibi perſuadeat, neceſſe non eſt omnia videre, quae propoſitionem eam antecedant, aut conſequantur; quemadmodum ut prima, quae vocant, cognitionum noſtrarum principia teneamus, neceſſe non eſt omnia cognitione conſequi, quae in ipſis, tamquam

in

(*b*) *Ib.* = *Nous ne ferons pas la même grace a Spinoza qui a fort bien compris les monſtrueuſes conſequences de ſon méchant ſyſtême* =

(*c*) Quae de Spinoſa Buddeus, etiam de Epicuro, aliiſque dixit. Nos libenter occaſiones aliquas amplectimur oſtendendi, quis Buddeus ille fuerit, qui, cum aliis quibuſdam ejuſdem furfuris Auctoribus, Italiam, ac Romanam maximo Curiam, Atheis complet.

in ſeminibus, continentur, neque omnia memoria cuſtodire, ex quibus eadem nobis, ſi non ipſa doceat ſine experientia Natura, comparavimus. Si res ita ſe haberet, aut brutis animantibus, quin & lapidibus, & arborum truncis omnino ſimiles eſſemus omnes, aut pectus omni doctrina completum gereremus, & incredibili quadam varietate rerum, & copia. Itaque ſi quis, praeter omnia quae ſenſibus uſurpamus, Naturam agnoſcat a nemine conditam, excellentem, atque potentem, ac proinde beatam, & immortalem, & omnibus generis cujuſque bonis affluentem; hunc ego ſi vel invitum in Atheorum ſocietatem compingere velim, vel injuſtus omnino, vel amens ſim.

Sed adverſarii noſtri, multorumque philoſophorum accuſatores, ſunt ex eorum genere hominum, quos *Conſequentiarios*, parum latine, ſed non parum urbane, magnum illud Germaniae lumen Leibnitius appellabat, & a quibus ut maxime caverent viri docti, qui ſuo nomini conſulere vellent, auctor erat. Sane ſi haec argumentandi ratio inter homines litteris deditos magis obtineat, vix jam Theologus erit, aut Metaphyſicus, quin facillime reus Divinae Majeſtatis laeſae conſtitui poſſit. Etenim illud in ſcholis uſu venire videmus, ut aliorum opiniones alii rejiciant, quod ex iis divinae perfectionis alicujus diminutio conſequeretur. Non raro etiam illud accidit, ut ea conſecutio non contorta, non probabili obnoxia reſponſioni, ſed omnino facilis, atque prona, & ex opinione, quam rejectam volumus, veluti ſua ſponte fluere videatur. Iam quis eſt adverſarius tam inurbanus, ac tam parum in diſputando clemens, ut hinc proditae pietatis, ac fidei reum opinionis illius patronum facere velit, niſi manifeſta quaedam alia ſuppetant indicia, de quibus alienus hic eſſet diſputandi locus? Cui notae non ſunt Dominicanos inter, & Ieſuitas, olim quidem acerrimae, ſed jam a multis annis mitiores de Divina Gratia concertationes? Illi Ieſuitas impugnant, quod eorum placita videantur, ut ipſi putant, ad eas declinare ſenten-

tias, quas in Pelagio tantopere coarguit Auguſtinus. Hi contra Dominicanis ex eo, praeſertim capite ſunt moleſti, quod phyſicam inter praedeterminationem, ac decretum Calvinianum quid medii, detracto verborum cortice, relinquatur, intelligere non facile poſſint. Num tamen Dominicani Ieſuitas Pelagianae ſuperbiae, vel hi Dominicanos Calvinianae impietatis accuſant? (a)

Equidem tam parum huic argumentorum generi confido, ut non mediocriter eum reprehendendum eſſe putem, qui Buddeum ipſum, & Religioni, & Patriae meae acerbiſſimum hoſtem, hac ratione premeret. Tu, cum non modo ſis unus e Proteſtantium numero, ſed ad alendas Proteſtantium diſcordias cum Eccleſia Catholica factus videare, magnam Chriſto Domino ac Servatori noſtro injuriam profecto irrogas. Tu non improvidum modo, ſed & mendacem facis, & perfidum; quod, cum ille perpetuo ſeſe adfuturum ſuis diſcipulis diſerte promiſiſſet, non modo, ſi verae ſint doctrinae tuae, fidem ſuam non liberaverit, non modo diſcipulos per multa ſaecula deſeruerit, ſed & Eccleſiam, cujus incredibili charitate ſeſe teneri profitebatur, ab hoſtibus proſterni ſuis, quin & pudicitiam ſuam proſtituere permiſerit. Aliqua reſpondes quidem, ſed ita infirma, ut neque te ſcelere ſolvant, neque alios, plerumque decipiant homines (ſi quoſdam excipiamus mediocriter a doctrina inſtructos, anguſtius etiam a natura) quam qui ſcientes, atque prudentes decipi velint, & falli. Ergo neque Chriſtum agnoſcis Deum, neque fidem ullam Evangelio adjungis, neque jam es inter Chriſtianos, ſed inter Iudaeos, aut Ethnicos, aut ſimiles alios homines numerandus. Eum, inquam, qui carperet ea ratione Buddeum, cordati fere omnes homines nullo modo poſſe probari faterentur. Quamquam enim Buddeus & Chriſti Domini laedit auctoritatem, quum nolit ejuſdem verbis credere, quae non audire non poteſt, & Chriſti

(a) Exemplum hoc in egregiis operibus Benedicti XIV. ad rem omnino ſimilem huic, de qua ſcribimus, confirmandam allatum legimus.

ſti fidem ſupernaturalem, atque divinam, ita enim Theologi vocant, prorſus omnem abjecerit, non hinc tamen ſequitur, ut Chriſtum Dominum fuiſſe mendacem hominem, apud animum ſuum ille ſtatuerit.

Non injucundum erudito Lectori fore arbitramur, ſi noſtram in cauſa maximi momenti ſententiam aliis exemplis confirmemus. Satis autem ad hanc rem appoſitum illud eſt, quod controverſia quaedam inter Boſſuetium, & Huetium, viros longe doctiſſimos, ac ſummae litteratos inter homines exiſtimationis, mihi ſuppeditat. Tuebatur Boſſuetius Carteſii doctrinas. At Huetius acerrimum ſeſe Carteſio praebebat adverſarium. Hic eo progreſſus eſt etiam, ut putaret Carteſianis opinionibus ipſum Catholicae Religionis jugulum peti. Num cenſes idcirco veniſſe Huetium in eam opinionem, ut familiariſſimum ſuum Boſſuetium erga Catholicam fidem alienum animum gerere ſentiret? Etenim in hunc modum, ſi Buddeana illa methodus in ſcholis obtineret, argumentari poſſemus. Huetius Boſſuetium ſcit Carteſianis placitis addictum eſſe: putat autem Carteſiana placita fidei Catholicae integritati oppoſita: vult igitur Huetius Boſſuetium doctrinam fovere Catholicae contrariam. Quicumque doctrinam hujuſmodi fovet, non eſt in fide Catholica ſatis firmus. Nutabat igitur in fide Catholica Boſſuetius, Huetio auctore. At hic non adeo deſipiebat, ut quidquam ea ratione concluderet. Imo datis ad ipſum Boſſuetium litteris ea ſcripſit, quae totidem ipſius verbis afferimus, quo majorem auctoritatem habeat oratio = *ſubjeci ſtatim per aliam epiſtolam, perſpectum habere me, quam recti eſſent, & integri, ipſius de fide ſenſus, quos & ſcriptis, & dictis, tot jam ante annos declaraſſet, neque plus me voluiſſe, aut potuiſſe detrahere ex eis, cum Carteſio favere eos dixi, quam detrahitur ex integritate fidei ſancti Doctoris Thomae Aquinatis, cum Platonis dicuntur ſequaces fuiſſe* = (a) Satis ne contra *Conſequentiarios* noſtros declaravit ea oratione, ac probavit Huetius,

 non

(a) Huet. *De Vit. ſua* apud Brucker. *To. IV. P. II. p.* 279.

non idem eſſe doctrinam tueri aliquam, & conſequentias omnes in ſe recipere, quas rite forſan ex illa deducant adverſarii, dummodo ne ipſius doctrinae patronus eaſdem agnoſcat, & amplectatur?

Similem moderationem Leibnitius adhibuit, cum Newtonum, ejuſque diſcipulum Clarkium impeteret, quod ille Spatium Dei ſenſorium, hic proprietatem eſſe ſtatuerat. Argumentis enim eo compellebat adverſarios, ut de ſimplicitate divinae Naturae actum eſſe fateri deberent, ſi nollent a ſententia diſcedere. Non tamen illos hoſtibus Divinitatis adjunxit.

Sic etiam Wolfius ab inurenda impietatis nota Britannis Philoſophis abſtinuit. Tantum dicit Newtonum celeberrima ſua de Spatio ſententia ſe in magnas anguſtias, ac difficultates, quae non poſſint ullo modo reſolvi, conjeciſſe (*a*).

Magiſtro ſimilem nobilis alter philoſophus Leibnitianus ſeſe praeſtitit Ludovicus Martinus Kahle. Hic probat Newtonum, &, qui Newtoni doctrinam expolire ſibi viſus eſt, Voltaerium, dummodo ſibi conſtent, in Spinoſiſmum vergere (*b*). Fatetur tamen auctor ingenuus ſibi perſuaſum eſſe, neque Newtonum, neque Voltaerium Spinoſae favere voluiſſe: quin adeo ſeſe praebet humanum, ut utrumque potius in verbis, quam in ipſis rebus lapſum eſſe facile credat,

(*a*) Vid. *Theol. Natur. p. 1. c. 5.* §. 792. & *Ontol. p. 2. ſect. 1. c. 2.* §. 599. Hic obiter notandum, Antonium Genuenſem, Scriptorem ſcilicet, & acuto ingenio, & eximia doctrina, ſed qui mihi quandoque diſplicet, quod ſummos viros, quorum non ſemper ſententias aſſequitur, nimis facile carpit; notandum, inquam, in philoſophum omnium fere nobiliſſimum iniquiorem videri, dum, quod ex Newtoni hac in re, quam obiter attingimus, ſententia fluit, ipſi tribuit, tamquam auctori. Ait enim (*Elem. Metaph. P. I. §. 86. p. 165. edit. Ven. an.* 1753.) = *Subſtantia ſpatii vacui, ſecundum Morum, Nevvtonum, & Clarkium eſt ipſe Deus* = At ille numquam id faſſus fuerat, ſed tantum eſſe Spatium ſenſorium Dei, & quamquam non ſit Deus, ab ipſo Deo ubique exiſtente conſtitui.

(*b*) Edidit librum, quem *Examen* vocat, quo Newtoni Metaphyſicam a Voltaerio litteris conſignatam exagitat. Prodiit iterum hoc opus in Gallicum e Germano ſermone converſum Hayae an. 1744.

dat, & Voltaerium inter eos ponat, = *Qui, ut ait Seneca ep. 59. alicujus verbi decore placentis vocentur ad id, quod non propoſuerunt ſcribere* =

Acrius Voltaerium ex alio capite premit Nonnottius (*a*), praeclarus Auctor, ac de Hiſtoria, quin & de Religione optime meritus. Ille ſcilicet eam demonſtrationem, quae ex mirabili ornatu mundi, ac pulcherrima partium diſpoſitione repetitur, unicam in ſua philoſophia producit, ut Deum eſſe doceat. Idem tamen Voltaerius edito famoſo libello, quem ſomnium Platonis (*b*) inſcripſit, plura contra mirabile Creatoris opus obloquitur, plura in hac tellure noſtra ſibi deprehendere viſus eſt, quae nullum conſilium, nullam ſapientiam architecti praeſeferant, non modo reprehenſione, ſed & cachinnis, & contumeliis in ipſum Conditorem maxime digna. Hic impietatem Voltaerii Nonnottius arguit, ſuiſque coloribus pingit, at non minus vere, quam faecete, ſuum adverſarium non magis Atheum, quam bonum Chriſti cultorem, habendum eſſe, declarat.

Scilicet probe perſpectum erat & his, quos produximus, & aliis, quos nullo negotio producere poſſemus, homines etiam optimis, & acutiſſimis ingeniis praeditos non omnia quibuſdam in diſputationibus controverſiiſque videre, quae forte caeteri vident, non iiſdem anticipatis opinionibus imbuti, neque iiſdem argumentorum laqueis irretiti. Cur hac humanitate non utitur in graviſſimos Philoſophos Buddeus, & alii quidam in aliorum ſcriptorum verba jurare ſoliti? Cur adeo moleſti ſunt iiſdem, ne dicam ſaevos, atque crudeles, ut impietatis omnino damnari velint, a qua ſeſe abhorrere vel maxime, qua ſcriptis, qua voce, qua totius vitae genere profitebantur?

CA-

(*a*) Nonnotte, *Erreurs de Voltaire To. 2. Ch. 2. p. m. 34. 35. &c.*
(*b*) *Songe de Platon.*

CAPUT XIX.

Reſponſioni cuidam occurritur, quae fieri poteſt ab adverſariis, & argumenta quaedam ejus generis, quod improbamus, examini ſubjiciuntur.

NEque vero cauſam Buddei quidquam juvat, quod Atheos tantum eos haberi jubeat, qui doctrinam foveant, e qua per *conſequentias directas* nullum eſſe Deum veluti ſponte fluat. Ille quidem duabus iis vocylis totam viſus eſt ſuorum argumentorum vim, atque pondus velle complecti.

At primo illud quaero: quid *conſequentiarum directarum* nomine Buddeus intelligat? Si eas intelligit, quas nos recepta quaedam ἀξιώματα, ſive pronunciata adhibentes ex ipſa poſſumus exprimere doctrina, de qua vertitur quaeſtio, tota contra Buddeum hactenus habita recurret oratio. Si vero non difficiles intelligit, non nimis alte repetitas, ſed, ut Dialectici dicunt, *immediatas*, & uſque eo claras, ut vel mediocre ingenium eaſdem poſſit elicere, turpiſſime in re noſtra fallitur. Nego enim hujuſmodi conſequentias eſſe, quas ex aliorum ille doctrina deducit: quin aliqua eſt, quam, ſi totis connitatur viribus, numquam fortaſſe trahet. Sane, quod mundus, auctore Ariſtotele aliiſque, fuerit aeternus, non id concludit, quod ille putat, nullum ab iiſdem Creatorem agnoſci; cum multi quoque Chriſtiani Philoſophi, quibus equidem faveo, mundum ab aeterno per Divinam Omnipotentiam produci potuiſſe conſentiant.

Caeterum hac in re maxime tenendum illud eſt: non omnia, quae nos Evangelica luce fruentes, quin & ſanioris auxilio philoſophiae ſatis inſtructi facile videmus, cum praeſertim de Natura Divinitatis agitur, ab antiquis illis Ethnicis videri potuiſſe. Quis enim neſcit Platonem ipſum aliqua protuliſſe Naturae divinae vel Simplicitati, vel Omnipoten-

tentiae, vel Immenſitati tantopere contraria, ut facile poſſint a noſtris adoleſcentibus rejici, qui Metaphyſicam a primo, quod ajunt, limine ſalutaverint? Itaque mala eſt illa Buddei ratiocinatio: Ex hac doctrina manifeſto ſequitur non eſſe Deum: ergo qui eam tradidit, Atheus dicendus eſt. Ut rite illa procederet, hoc ipſum eſſet probandum, quod nobis in hac tanta Religionis, ac litterarum luce ſatis eſt manifeſtum, etiam illi, cujus agitur cauſa, non potuiſſe niſi manifeſtum eſse. Quamdiu hoc non probas, malus erit ille mihi Dialecticus, ac Philoſophus, non prorſus tamen irreligioſus, & impius.

Quid igitur, ais, numquam ne conſequentias ab alicujus doctrina derivare poterimus, ut Atheum fuiſſe vincamus? Nam id contra Spinoſam & ab eruditis Viris fieri ſolet; & a te quoque factum videtur. Poterimus, inquam, ſi quaedam indicia, vel adjuncta concurrant, ut non temerarium, ac leve, ſed certum poſſimus, ac prudens ferre judicium; de qua re certae regulae, ſive κανόνες aegerrime ſtatuentur. Oportet enim & hominis ingenium, & ſtudia noſse, & ipſa, quibus ſcribit, tempora inſpicere, & accuratiſſimo non partem aliquam doctrinae, ſed potius eam totam, examini ſubjicere; &, ut paucis omnia complectar, aequo, ac pacato animo ſtatuere, an aliquid inveniri queat, quod philoſopho, de quo loquimur, ut conſecutionem illam evaderet, praeſto eſse potuerit.

Hanc argumentandi rationem adverſarii noſtri non ſatis tenere mihi videntur; quod pluribus exemplis demonſtrari poteſt. Materiam, inquit aliquis, plurimi veterum aeternam fuiſse, quin & ingenitam opinati ſunt. Et male quidem. At quid hinc in rem tuam? Ergo materiae negaverunt auctorem, quod nihil eſt aliud, quam Deum ipſum e medio tollere. Nimirum, ſi praeter materiam nihil aliud fuiſse ab aeterno tempore agnoverint, quod ejus inertiae longiſſime praeſtaret, excellentiſſima quadam mente praeditum, atque virtute; cui quidem vel ipſa materia obedire

omni-

omnino, ac parere, naturae neceſſitate compelleretur; vel ſi minus id agnoverint, inde fuerit, quod quidquam in materiam agere ejuſdem beatiſſimae mentis quieti, ac felicitati a negotiis omnino vacuae repugnet. Iſta enim qui dicit (dicit autem illud Plato cum plurimis aliis, hoc Epicurus cum ſuis) inter deceptos philoſophos, ac decipientes, non tamen inter Atheos recenſendus erit. Argumenta ſimilia ſimili ratione ſolvuntur.

Arguere ſolent magnum illum Thaletem, & Jonicos ante Anaxagoram univerſos, quod, cum rerum originem explicent, nullam Dei, ſeu Mentis infinitae, quae cuncta molita fuerit, atque digeſſerit, mentionem faciant. Hinc Atheos fuiſſe colligunt; cum tamen aliqua fuerint ab illis, praeſertim ab auctore Philoſophiae Thalete, de Natura divina non modo graviter & copioſe dicta, ſed etiam acute inventa, & ſubtiliter diſputata. At cauſa, quamobrem Jonici mentis infinitae mentionem non fecerint, non alia fuit, quam quod ſtudium omne ſuum ad cauſas rerum naturalium, quas vocant ſecundas, conferendum eſſe cenſerent, & indignum philoſopho non minus, quam tragico poëta, judicarent, ſi Deum intereſſe vellent, niſi quando dignus vindice nodus incidiſſet. Cauſam itaque primam non illi quidem negabant, ſed ſupponebant; quod Radulpho Cudwortho, quod Samueli Parckero, quod Jo. Alberto Fabricio notatum. De Jonicis quidem uberius alio loco. Nunc illud tantum adverto; non rectam eſſe argumentandi rationem eam, quam Critici quidam uſurpant. Si Deus fuiſſet Jonicis, Dei meminiſſent, cum rerum explicarent originem: non autem meminerunt: Deus igitur Jonicis non erat ullus. Propoſitio, ex qua reliqua fluunt, non ideo vera cenſenda eſt, quod ex iis, qui Deum venerantur, plurimi, ac praeſtantiſſimi, cum rerum ortum declarant, magnificis ſane verbis extollunt ipſarum conditorem, atque gubernatorem Deum. Quot hominum capita, tot ſententiae, ut eſt in veteri proverbio. Cur igitur fieri non potuiſſe cenſes, ut Deum quidem

dem Jonici rerum omnium Dominum eſſe ſentirent, ſed naturales omnes effectus a quibuſdam *immediatis*, ut ajunt philoſophi, vellent pendere cauſis, quae philoſopho eſſent explicandae vel maxime?

Oleum quoque perdit, & operam, ut aliud proferamus exemplum, ipſe Buddeus (*a*), dum validiſſimum argumentum ſeſe moliri confidit, ut Epicureos, & alios divinae Providentiae adverſantes, Divinitatem prorſus omnem funditus tollere doceat. Nam quae rationes, inquit, Deum eſſe probant, eaedem, ut Providus ille ſit cenſendus, aperte conficiunt. Ergo qui negat alterum, & primum illud negare cenſendus eſt (*b*). Optima conſecutio, ſi quod praemiſit, ut per ſe verum eſt, ita verum ab Epicureis agnoſcatur. Jam cum voluntatem tam facile intelligentia ipſa ſequatur, quis affirmare audeat, non potuiſſe vitiorum illecebras efficere, ut ratiunculas aliquas Epicurei, vel ſimiles homines, inveſtigarent, quibus adeo clarae veritati veluti cimmeriae tenebrae tandem obducerentur? Epicurus quidem cum aſſiduam tantae rerum molis curam tranquillae, beataeque vitae non parum officere cavillaretur, monogrammos illos Deos nihil prorſus agentes commentus eſt. Putabat ergo ſtultus homo non eadem, qua divinam Providentiam evertere ſe poſſe confidebat, ratione veritatem aliam, quod aliqua exiſteret Natura divina, concuti poſse. Hanc autem inde ſuadebat, ac perſuadebat ſuis, quod ea veriſſima eſsent, de quibus innatas, ac velut inſitas a natura notiones accepimus. At loquax idem Graeculus, nihil tale de Providentia Deorum anticipatas a natura cognitiones ferre, tota voce clamitabat. Profanus igitur Epicurus, & impius; non tamen eo impietatis genere, quod proprie Atheiſmum philoſophi noſtri vocant. Neque mirum nobis accidit, aut novum, eos, qui Naturae voces una quidem in

O re

(*a*) *Traité de l'Athéis. Ch. III. p.* 116.

(*b*) Etiam Blountius (Blount) *Ant. Mundi*, & Vaninius *Amphit. Provid.* putant eos qui Providentiam negant Atheos eſſe proprie dictos.

re vel non audiunt, vel potius audire detrectant, in alia ſatis dociles aures praebere, fortaſse quod non aeque ſit ipſis incommoda.

At quod Epicuro Buddeus fuerit ſubiratior, ignoſci facile debet. Quis illum ferat cum turpiſſimam Atheiſmi notam, leviſſima de cauſa, Stoicis inurit, in quorum ſcriptis tam illuſtria, tam certa, illius quidem, quae in homine poſſit Ethnico eſse, pietatis veſtigia reperimus? At quis non Atheos putabit, inquit Buddeus, qui Divinitatem brutae materiae conjungebant? Putabit ſcilicet, ſi eoſdem eam conjunctionis hujuſmodi notionem habuiſſe convincas, quae cum idea Divinitatis vel ipſis fatentibus ſtare non poſſet. Illi autem, licet mala argumentatione decepti, decepti tamen, ſeſe Divinitatem tum maximis laudibus extuliſſe putabant, cum eam veluti Mentem infinitae virtutis, & efficacitatis, quae moveret mundum ac regeret ſingulis ejus partibus inſerta, veluti quaedam anima corpori, deſcripſerant. An vero Divinitatem omnem illi negabant, quando cum Seneca (*a*) dicebant = *Non ſine aliquo cuſtode tantum opus ſtare; nec hunc ſiderum certum diſcurſum fortuiti impetus eſſe, ſed hanc inoffenſam velocitatem procedere aeternae legis imperio* =?

Magis etiam inefficax eſt illa ratio, quam ſupra nos indicavimus, qua ſaepius pugnat Buddeus, ut Ariſtoteles in ſocietatem Atheorum compingendus eſſe videatur. Ariſtoteles, inquit, eum aeternis antea temporibus mundum fuiſſe cenſet, qui nunc eſt: ergo cum Atheis ſentit: ergo Atheis eſt annumerandus. Ridiculum profecto argumenti genus, quo, quid ſentiat aliquis, cum eo, quod ſentire fortaſſe deberet, ſi non poſſet pugnantia loqui, confunditur.

Equidem hac eadem ratione, Deum totius auctorem mundi, tametſi ab aeternis antea temporibus exiſtentis, cognitum ab Ariſtotele fuiſſe demonſtrabo: quam vere, modo non diſputo, ſed certe verius, quam philoſophorum, quos Graecia edidit, excepto Platone, facile principem cum

(*a*) *L.* 1. *de Provid. C.* 1.

cum deterrima Atheorum turba eſſe miſcendum. Ariſtoteles itaque faſſus eſt, pluribus locis, eam philoſophos fere omnes amplecti ſententiam, ut mundum fuiſſe productum arbitrentur. = *Omnes quidem*, ait de Coelo libro primo (*a*), *mundum generant* = Jam, Buddei more, ex illius hoc ἀποφθέγματε argumentemur, ut quod ex eo ſequitur tamquam ejus doctrinam accipiamus. Idem ſentit Ariſtoteles (*b*); = *quod univerſis videtur, verum eſſe* = ergo genitus mundus illi videbatur. A quo autem genitus? Num a caſu? At ille opinionem Democriti de mundo, quem temerarius athomorum concurſus efformaverit, ebrio potius homine, quam philoſopho, dignam fuiſſe ſcribit (*c*). Num genitus a Natura, vel a caeca neceſſitate mundus Ariſtoteli videri potuit? At id Ariſtotelis patria eſſet, quam ingenio, dignius. Cum enim ea mundo neceſſitas non ſit, Atheis auctoribus, extranea, genitus ipſe mundus a propria deberet natura dici: quo quid abſurdius excogitari poteſt? Itaque neque Spinoſa, neque Tolandus genitum ipſum mundum a ſe, verum quaſdam ejus partes ab ipſo mundo genitas, ſive etiam creatas induxerunt. Quis magis Ariſtotelem, quam Spinoſam, aut Tolandum deſipuiſſe calumniabitur? Num vero progreſſum, quem vocant, cauſarum in infinitum probavit Ariſtoteles, ut hac qualicumque ratione genitum mundum poneret, ſed ab alio, qui mundum alterum ab altero genitum, & ſic deinceps, parentem agnoſceret? At id eſt Ariſtotelis doctrinae omnino contrarium, qua primum illud Movens Immobile poſuit, τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον. Praeterea cognita quibuſdam eſt, & omnino digna, quae ab omnibus cognoſcatur, Ariſtotelis argumentatio, qua praeter haec, quae noſtris obverſantur ſenſibus, naturas alias, nempe ſuas, ut ego interpretor, Intelligentias agnoſcendas eſſe concludit. Nam = *ſi non alia ſunt*, inquit, *praeter haec ſenſibilia, quae dicamus exiſtere, non erit Principium, & Ordo*, *ſed ſemper principii princi-*

 pium

(*a*) *Textu* 102. (*b*) *L.* 10. *Ethicor.* (*c*) *L.* 1. *Metaph. C. IV.*

pium = (*a*) nimirum, quod ſemper principii principium inveniri poſſit, adeo putat abſurdum, ut res confutatione non egeat. Ex his concluditur, ut mundum ille putaverit a praeſtantiſſima cauſa ſummo conſilio praedita genitum. Quid enim, niſi quid aliud afferas, quod ex ejus, quas attulimus, doctrinis facillime refutatur, jam reſtat aliud? Agnovit ergo Ariſtoteles Mundi conditorem, Deum. Si mundum igitur ille ſtatuit aeternum, quod tamen Angelico Doctori D. Thomae perſuaderi non potuit (*b*), mundi aeternitatem cum ipſius ortu compoſuit. Praeſtantiſſima ſcilicet cauſa, de qua diximus, cum ſemper fuerit, effectum ſemper habuiſſe ſuum Ariſtoteli videbatur: ea ferme ratione, ut ſimile afferam Platonicis Recentioribus, aut Alexandrinis, valde probatum, qua ſi Sol aeternis antea temporibus extitiſſet ne momentum quidem temporis, quo lucem non emitteret, effluxiſſe conciperemus.

Totam hanc argumentationem bonam eſſe non dico: hoc tantum dico; ſi ea bona non eſt, multo minoris argumenta roboris eſse, quibus tot machinae conſequentiarum admoventur, ut in collegium Atheorum nolentes etiam, & inviti, plures antiqui, recentioreſque philoſophi cum Ariſtotele compingantur (*c*). Quod enim in Ariſtotele fecimus, qui

(*a*) Ariſt *in Metaph.* = Εἰ μὴ ἔςαι παρὰ τὰ αἰσθητὰ ἄλλα, οὐκ ἔςαι ἀρχὴ, ϗ τάξις, ἀλλ' ἀεὶ τῆς ἀρχῆς ἀρχή. =

(*a*) *In Summ. I. P. q.* 46. *art.* 1. *in C.*

(*b*) Favet nobis Samuel Clarkius, ut alios omittam, qui ſapienter, ut alia plurima, duas monuit quaeſtiones, *de Supremi Numinis exiſtentia*, ac *de Mundi aeternitate*, eſſe diſtinguendas (*Demonſtr. de l' Exiſt. de Dieu &c. Tom. I. Ch. IV.*) Plurimi ſcilicet, ut idem monet, ex ultima antiquitatis memoria Philoſophi, cum ſemper extitiſſe mundum arbitrarentur, eidem tamen praeficere Mentem, ſummo conſilio, ſumma virtute praeditam, nulli dubitarunt. Et alii quidem, eodem Clarkio teſte, non aliud volebant, quam ab infinitis retro ſaeculis rem ſemper fuiſſe aliquam, cum negarent ex nihilo mundum prodire potuiſſe: In hac, inquit ille, videtur Ocellus Lucanus opinione fuiſſe. Alii mundum opus eſſe ponunt ab eſſentiali, ſic enim ajunt Metaphyſici, & immutabili divinae Naturae Omnipotentia neceſſario conditum. Id Ariſtoteli placuiſſe putat Clarkius. Alii demum libera voluntate ſapientis ac praepotentis Dei res omnes

qui tam ingens ducit agmen philoſophorum ſane nobilium, in aliis, praecipue qui litteris cogitationes mandaverint ſuas, nullo negotio praeſtare poſsemus. Nimirum, ſi quidquam aſseruerint, unde peſſima poſſit Atheorum cohors aliquid praeſidii petere, multo plura, & multo clariora protulerunt, quae confodiant Atheos omnes, ac porro conficiant. Quare ſi quis mentem alicujus Philoſophi velit ex doctrinae conſecutionibus aeſtimare, ſaepius haerere ſibi aquam experietur, & ancipitem illam, ambiguamque rationem exitum reperire non poſse: quin etiam injuſtum fore videbit, qui velit eumdem potius Atheis accenſere, quod Atheorum doctrinae conſentanea quaedam excidere ſibi paſsus fuerit, quam Divinitatis cultoribus, quod alia quaedam divinae Sapientiae, Poteſtati, ac Providentiae declarandae aptiſſima protulerit.

CAPUT XX.

An Pantheiſtae ſint inter Atheos numerandi?

SI, quae diximus omnia teneantur, jam valde numerum Atheorum, quibuſdam a Scriptoribus in hoc opere noſtro confutandis inductum, imminui ſentiemus; quin & illud conſequi videbimus, ut impii generis hominum, niſi monſtra potius appellentur ex omnium ſcelerum colluvione nata, nulla ſit prorſus habenda ratio, ubi cum adverſantibus non auctoritate modo, de qua re poſtea, ſed multitudine ipſa, vel numero conferantur.

Sed ut majorem omnia lucem accipiant, alia quaedam ſubdere juvat; ac primo loco quaeſtionem; an Pantheiſtae

Atheis

omnes ab aeterno tempore fuiſſe productas: & hanc Platonicorum ſane multorum fuiſſe doctrinam Clarkius veriſſime monet. Ii nempe ſunt, de quibus Auguſtinus (*de Civ. Dei Lib. II. C. IV.*) ſcripſerat = *Qui autem a Deo quidem factum* (Mundum) *fatentur, non tamen volunt eum temporis habere, ſed ſuae creationis initium, ut modo quodam vix intelligibili ſemper ſit factus* =.

Atheis ſint adjungendi? Fuerunt enim inter antiquos non modo, ſed & inter philoſophos recentiores, qui non alium Deum, praeter hanc Univerſitatem rerum, quam Mundum dicimus, eſse voluerunt. Eos autem, non modo plurimi *Conſequentiarii* conſtituunt impietatis ultimae reos, ſed & Tolandus, & Angli quidam Athei cum Tolando ſentientes, magna quadam confidentia ſibi vindicant univerſos. Quid enim? ajunt. Nonne illi Mundum, ſive τὸ πᾶν, Deum eſse volunt, quod nos etiam ſumimus? Jure igitur illos tamquam noſtros repetimus, ſive nos potius in illorum ſocietatem venimus.

At accuſatio tota facili diſtinctione eliditur. Non enim verborum controverſiae torquere nos debent, cum de re maximi momenti naſcitur quaeſtio. Pantheiſtae recentiores, qui cum Spinoſa, vel Tolando ſentiunt, Athei ſunt univerſi. Pantheiſtae veteres, qui cum Pythagora, cum Xenophane, cum Zenone ſentiebant, aut Athei nulli ſunt, aut certe non omnes. Illi rerum Univerſitatem, quam nos Mundum appellamus, Deum vocant, ut fucum imperitis faciant. At Deum ſuum attributis omnibus ſpoliant, ſine quibus nullo modo divinam intelligere Naturam, neque poſsumus neque debemus. Praecipue vero Deum ſuum Intelligentia carentem exhibent, ſine qua naturae perfectio major humana neque eſse poſſit, neque fingi. Igitur a reliquis Atheis non re, ſed verbo diſsentiunt. At Pantheiſtae veteres Mundo notionem illam Divinitatis, etſi mancam & imperfectam, affigebant, quam hauſerant a natura, vel ſtudio ſibi pepererant. Etenim & hunc mundum vivere cenſuerunt (*a*) & eum-

(*a*) Eruditiſſimus Moshemius (*ad Cudvv. Syſt. Intell. C. IV. §. 29. N. 1.*) dubitat, an Mundum philoſophus ullus verum, ac proprie dictum animal eſſe crediderit. Hunc ſenſum tamen pluribus ex adverſariis ſuis tribuere videtur Lucretius, dum (*L. 1. v. 145. ſeq.*) contra eos illud infert de mundi partibus, aut de iis, quae mundum conſtituunt.

„ *Haud igitur conſtant divino praedito ſenſu*,
„ *Quandoquidem nequeunt vitaliter eſſe animata*.

Sed ea quaeſtio valde pendere mihi videtur ex ea, quam nunc agitare non ſatis opportuna res eſſet, nimirum, an Deum eſſe animam ipſius mun-

eumdem eſse ſapientem, nec non omni ex parte beatum, & immortalem. Ejuſdem in ſingulas ſui partes vigilantiſſimam Providentiam eſse volebant, praeſertim in homines, quorum animos plurimi dixerunt divinae particulam aurae, & quaſi rivulos totidem ex immenſo illo conſilii, rationiſque pelago dimanantes.

Hinc illa Zenonis Stoicorum principis, qui, Cicerone teſte (*a*), quamdam rationem per omnium naturam rerum pertinentem, ut divinam eſse affectam, putavit; hinc apud ipſum Cleanthes tum ipſum mundum Deum dicebat eſſe, tum totius naturae menti, atque animo tribuebat hoc nomen; hinc, apud eumdem Chryſippus ajebat, vim divinam in ratione eſse poſitam, & univerſae naturae animo, atque mente; ipſumque mundum Deum dicebat eſse, & ejus animi fuſionem univerſam, tum ejus ipſius principatum, qui in mente & ratione conſiſteret, communemque rerum naturam univerſam, atque omnia continentem. Hinc denique illud eſt, quod refert Auguſtinus (*b*), Varronem cum reliquis Ethnicis a popello diſsentientibus putaviſse, Deum eſse animam hujus totius, quod mundum dicimus, & ideo ſingulis ejus partibus tamquam divinis, ſacrificia, preceſque adhiberi potuiſse.

Quod ut facilius intelligatur, probe tenendum eſt, illos veteres maximam in eo difficultatem expertos eſse, ut mentem ſine corpore per ſe ſubſiſtentem agnoſcerent. Diſcimus id

mundi fuerit inter Philoſophos recepta ſententia. Nos obiter hoc in capite quaedam afferimus, quae ſententiam eam, ſin minus omnibus, aut pleriſque, certe multis placuiſſe demonſtrant. Verba praeſertim adhibemus, cum veterum ſententias explicamus, quae M. Tullius Cicero adhibet, gravis in hiſtoria philoſophiae habitus auctor, dum placita philoſophorum de Natura divina perſequitur; qui & illud ſaepius habet diſertis verbis, animantem a Stoicis mundum induci. Itaque aut Moshemii dubitatio illa debet evaneſcere; aut oſtendat, oporteт, quomodo mundum non eſſe animal ii putare potuerint, qui mundo nobiliſſimam animam, atque divinam ineſſe arbitrabantur.

(*a*) *De Nat. Deor. L.* 1.

(*b*) Aug. *de Civ. Dei l.* 4. *c.* 31. *& l.* 7. *c.* 6.

id ex primo Ciceronis de Natura Deorum, aliiſque monumentis ſane plurimis. Cum ergo Deum eſse Mentem, Sapientia, Virtute, caeteriſque dotibus ornatam, quae captum ſuperent humanum, facile cognoſcerent, huic etiam Menti corpus aliquod eſse quaerendum plures arbitrabantur. Nullum autem ea Mente dignius eſse corpus ajebant aliqui, quam Mundum ipſum, cujus pulchritudine capiebantur, cujus admirabiles converſiones, atque viciſſitudines magnopere ſuſpiciebant.

Quis jam negat eos philoſophos in turpiſſimo fuiſse errore verſatos? Non tamen hinc illi dicendi ſunt nullam ſenſiſſe vim, Naturamque divinam. Etenim, ſi velis id conficere, non modo tibi probandum eſt, tot errorum monſtra cum recta, perſpicuaque notione Divinitatis non poſſe componi, ſed neque philoſophos illos haec omnia inter ſe componere voluiſſe. Atheus enim, quod ſaepe ſignificavimus, non is eſt, qui peſſime de Deo diſſerit; non qui notioni Divinitatis obſcuritatem, ac tenebras affert. Nam ſi id velimus, non aliud agemus, quam ut Ethnicos omnes, atque omnes fere ſuperſtitioſos, Atheos appellemus. Atheus, inquam, is eſt, qui Divinitatis omnem ideam, ſive formam abradere curat, & abradit ex animo, ac nullam cenſet eſſe naturam, quam religioſis inſtitutis, ac ritibus colere debeamus, aut etiam jure poſſimus. Hanc videlicet impietatem philoſophis pleriſque Graecis, aut Romanis, qui Mundum aſſeruerunt Deum, placuiſſe non inde conſtat, quod conſequentiarum machinis, ad eamdem impietatem fovendam ipſorum doctrina trahitur.

CAPUT XXI.

Quid ſit cenſendum de Atheis practicis?

ALiquibus etiam ingenii, doctrinaeque gloria florentibus, fere quavis aetate, Scriptoribus ſolemne fuiſſe deprehendimus, ut homines quoſdam, in turpiſſima ſeſe quaevis in-

ingurgitare flagitia ſolitos, non modo Dei vel timorem, vel amorem omnem, ſed cognitionem ipſam, atque notitiam, prorſus abjeciſſe ſuſpicarentur. Hinc apud Scriptores eos numerus Atheorum magis augeri videtur, quam res, aut veritas ipſa concedat.

At, ſi verum fateri volumus, ea conjectura, dum potius aurificis lance, quam populari quadam trutina examinatur, non tam grave pondus habet, quam videtur. Etenim ex impietate tum doctrinae, tum morum, niſi aliae quaedam rationes accedant, non aliud extundes, quam aſotos plurimos religionis odio flagrare, nihil eſſe de morum honeſtate, nihil de altera vita ſollicitos, nihil de Deo cogitare, cujus Providentiam, ſi vis, atque Juſtitiam, cum non eſſe maxime cuperent, ſibi ſaltem, ſuique ſimilibus non eſſe perſuadeant. At plurimos ex iiſdem aſotis in illud etiam impietatis prolabi barathrum, ut non modo cum ſcelerum ſuorum ſociis, ſed etiam *dicant in corde ſuo: Non eſt Deus*, non eſt tibi adeo facile ſumendum, ſed idoneis argumentis demonſtrandum. Equidem vere ſapientis, ac vere docti Lectoris ea, quae dicam, judicio committo. Facilius eſt a nefariis hominibus quoſdam errores recipi, quibus juſtiſſimi ſcelerum ultoris iram nihil, aut parum, vereri doceantur, quam omnem penitus ab ipſorum mentibus, Entis, ut ajunt, ſumme perfecti, vel, ſi mavis, primae rerum Cauſae, conſilio, ſapientiaque praeſtantis, notionem evelli. Hanc enim ſuis quodammodo manibus inſerit, aut quacumque tandem ratione ſuppeditat ipſa natura; quam in fugam aliquando vertere poteris; at illuc, unde facile recurrere nequeat, exterminare non poteris.

Quid igitur, inquies, nulli ne tibi Athei practici videntur eſſe? Videntur quidem, dummodo poteſtas ejus vocis rite declaretur. Nam alii quidem eos adeo turpi vocabulo notant, qui, credant Deum, aut non credant exiſtere, certe ita vivunt, ac ſi nullus Deus eſſet, de quo ſcilicet ne cogitare quidem videantur. Atheorum hujuſmodi ſatis ingentem cater-

tervam exiſtimo poſſe produci. Sed hoc hominum genus quis anteſtabitur, ut non omnibus hominibus videri Deum eſſe perſuadeat?

Practicos etiam Atheos eo ſenſu quoſdam eſſe recipio, quem Jacobus Bruckerus habet (*a*): ſcilicet = *quorum ſine Dei timore, cultuque, ob Atheiſmum vita eſt* =. Eos accuratus auctor ſignificat, qui non modo Dei vel timore, vel amore omni vacuum animum gerunt, ſed ideo gerunt, quod aliquem exiſtere Deum inficientur. Igitur, ſi Bruckerum audimus, practicus Atheus a Theoretico diſtinguetur, quod impiam ille, quam fovet, opinionem moribus ipſis, ac toto vitae genere, praeſeferre non dubitet, hic vero modeſtius agere videatur.

Ea quoque fere omnia ſatis arrident, quae ad eam vocem declarandam attulit auctor Encyclopaedicus Yvo (*b*): nempe practicos Atheos eſse declarat, qui Deum exiſtere vel inviti ſentiunt, ſed ita vivunt, ac ſi Deum nullum eſse putarent; quin & eas a mente cognitiones abradere conantur, quae Deum eſse non obſcure ſignificant (*c*). Subdit illud poſse contingere, ut obmurmurantis naturae voces aliquando comprimant; ſed & ipſam identidem obſtrepere, ut non ſatis tranquillam, atque ſecuram inter ſcelera vitam eos agere ſinat. Sapienter idem monet non eſse facile cuiquam, quamvis homini flagitioſo, notam eam inurendam, ut practicus Atheus appelletur. Etenim, inquit, fieri poſse videmus, ut etiam qui Deum colant, ingentia ſcelera admittant. Eos igitur practicos Atheos appellandos, qui cum innumera patrare flagitia conſueverint, tum nullum a ſe Deum agno-

(*a*) *H. C. Phil. To. IV. P. II. p. m.* 668.

(*b*) *Diction. Encyclop. Dider. Art. Athées*. Baylius (*Contin. des penſ. Tom. IV. ch. 99. p. 465. & 466.*) deſcribit ex communi ſententia practicos Atheos eadem ferme ratione, qua deſcribit Yvo.

(*c*) *Ibid. p. 678. edit. Luc.* = *Ils ne ſont pas perſuadés qu' il n'y a point de Dieu, mais ils vivent comme s' ils l'étoient, & tâchent d' effacer de leur eſprit toutes les notions, qui tendent à leur prouver une Divinite ...... Ce caractere ne convient, qu' à ceux, qui vivent dans l' habitude du crime, & dont toute la conduite ne paroit tendre, qu' à nier l'exiſtence de Dieu* =

agnoſci tota vitae ratione declarant. Si quod poſtremis hiſce verbis forte voluit Yvo, clarius aliquanto propoſuiſset; ſcilicet practicos Atheos non tantum ex magnis criminibus, quibus aſſueverint, ſed etiam quibuſdam ex aliis indiciis, atque veſtigiis, quae non facile poſſimus omnia oratione complecti, eſſe judicandos, nihil eſſet, quod verius dictum, aut accuratius explicatum afferre potuiſſet. Equidem non temere practicis Atheis, eo ſenſu, quem ex Yvone retulimus, illum aſcribi cenſerem, qui, cum neque pietatem ullam, neque religionem colere vellet, tum ſermones illos, quibus de perfectiſſima rerum omnium cauſa fieret mentio, refugeret, quin & eos, qui cauſam eamdem eſſe probarent, pene odio proſequi videretur.

Jam illa, quae de practicis Atheis Buddeus ſcripſit, omnia fere cenſeo repudianda. Si recte nobis Buddei ſententias interpretatus eſt Philo (a), practicus Atheus ille dicendus eſt, auctore Buddeo, cujus adeo corrupti ſint mores, ut hinc nullum ab eo timeri Deum ſcelerum vindicem judicare poſſis. Quid vocis illius, quam proprie ſumi jubet hoc loco, definitione minus proprium dici, vel fingi queat? Etenim ſcire velim, ubinam gentium homines deliteſcant, quorum tam foeda vitiorum colluvie vita coinquinetur, ut ex ea tantum, quamvis alia quaedam indicia deſint, Deum ab iis non agnoſci, prudenti judicio definiri poſſit?

Celeberrima eſt aſſertio Baylii, hominem, dum aliquid agit, non illa plerumque ſequi morum, ut ajunt, principia,

 quae

(a) Ludovicus Philon gallicum fecit opus Buddei latine ſcriptum, qua interpretatione nos uſos fuiſſe ſignificavimus. Is (*Cb. II. §. VI p.* 105.) haec habet = *L' Athéiſme proprement dit eſt ou théorétique, ou pratique. L' on appelle ordinairement un Athée pratique celui, dont les moeurs ſont ſi corrompues, qu' il donne par-là lieu de juger qu' il ne croit pas un Dieu, qui le puniſſe de ſes crimes. Que s' il affirme, & qu' il ſoutient cette impieté par ſes diſcours, ou dans ſes ecrits, obſervant néanmoins dans ſa conduite les debors de l' bonnêteté, & de la vertu, nous l' appellerons un Athée Théorétique.* = paulo poſt inde inſert, nihil practicum Atheiſmum a ſpeculativo differre, niſi penes rationes, aut argumenta diverſa, quibus innoteſcit.

quae ratio monſtrat, ſed potius eo ſeſe deferri ſinere, quo ſuo veluti pondere vergit ipſa natura. Hinc infert ille, quod Supremi Numinis cultor ſcelerum vereatur ultorem, non ſatis validum nobis argumentum ſuppeditare, ut meliorem altero, qui neque Deum, neque homines timeat, eſſe arbitremur. Negant plerique quidquam a Philoſopho, vel Critico dici potuiſſe ſtultius. Recte, opinor. At iidem fere omnes aſſentiuntur, illam propoſitionem, ex qua tam iniqua ratiocinatio deducitur, ſi magis arctis limitibus coërceatur, ut non plerumque, ſed tantum non raro id uſuvenire praeſumat, veriorem eſſe non poſſe.

Quamobrem, ſi quemquam, ex eo tantum, quod perditis, ac flagitioſis moribus inquinatus, neque pietatem in Deum, neque religionem ullam colere videatur; nullo unquam divinae Juſtitiae timore corripi, nullo divinae Providentiae ſenſu tangi concludas; quin & mundum ipſum alia quavis ratione, quam a ſapientiſſima mente, factum ab eodem exiſtimari arbitreris; levis, & vix aliquando prudens ſuſpicio eſſe poterit; certum, ac bene firmum judicium hominis vere docti ſapientia dignum eſſe non poterit.

CAPUT XXII.

Temeraria Baylii de pluribus Atheis occultis ſuſpicio rejicitur.

NON is erat vel ingenio vel doctrina Baylius, ut plus juſto numerum Atheorum a Scriptoribus nonnullis augeri, non facile perciperet. Itaque & multa eodem de Cometa opere, quod impugnamus, egregie ſcripſit, ut hac in re ſibi modum cordi eſſe declararet (*a*), & Merſenno, & De-

(*a*) Vid. *Contin. des pens* §. 34. *& ſeq.* Eo. §. 34. *p.* 164. haec habet = *Le nombre des athées n'eſt ni auſſi petit que le fait le* P. *Rapin, ni auſſi grand, que le fait le* P. *Merſenne. C'eſt la coutume de ceux qui écrivent ſur l'exiſtence de Dieu, ou ſur la Divinité de l'Evangile, de repreſenter, que l'impieté ſe deborde, & qu'une neceſ-*

Derodonio, pluribuſque aliis ſeſe praebuit infenſum, quod oratione ſua numerum Atheorum nimis exaggerarent (*a*).

Quidquid Baylius voluerit, cum illa ſcriberet: (etenim homo verſutus, & callidus rem ſuam per cuniculos agere mihi videbatur, quod fuſius hoc loco perſequi nihil neceſſe eſt): ſed tamen quidquid voluerit, brevi rediit ad ingegium, ac non ſatis certo conſtare ſignificavit, numerum Atheorum, qui nullum eſſe Deum per argumenta ſibi perſuaſerint, a ſapientibus hominibus excedi, qui non modo populum metuant, ſed ipſum Deum, & eumdem ex animo vereantur, & colant (*b*). Ait enim, cum ejus generis Athei non aliud antiquius habuerint, quam ut animi ſui veriora ſenſa celarent alios, nullam ſuppetere nobis rationem, qua numerari poſſint.

Quid eſt aliud, amabo, niſi hoc eſt, a ſanctioribus Artis Criticae legibus aberrare, ut cum Pyrrhone deſipias? Etenim omnes Critici concedent, cum animi ſenſus innoteſcere per ſe nulla ratione poſſint, ex verbis, aut ſimilibus indiciis aeſtimandos. Igitur, quod quiſque verbis affirmat, praeſertim ſi conſtanter affirmet in omni vita, id ipſum ex animi ſui ſententia credam affirmare. Si vis aliud a me credi, gravia quaedam, & idonea proferas, oportet, argumen-

ceſſité preſſante les a engagez à s'oposer à ce torrent. (P. 165.) *Soiez ſûr qu'ils groſſiſſent les objets, ils prenent pour des athées quantité de gens, qui ne le ſont pas, mais qui auront ſeulement propoſé quelque objection avec trop de feu, ou qui ſe ſeront donné la licence de debiter des railleries profanes.* =

(*a*) Vide praeſertim de Davide Derodonio §. 35. & 36.

(*b*) Confer. §. 33. *cum* 37. Hoc autem *in* §. 37. de Atheis illius generis, quod innuimus, haec habet || *Il ſe peut faire qu'il y ait eu de telles perſonnes en tout tems, & en tout païs, mais où les chercheroit-on? Quel moïen de les trouver? Je vous avoüe que ſi vous me faites cette objection, & s'il vous vient des ſcrupules là-deſſus, je n'y ſai aucun remede* = Hinc autem Baylius idem, qui tam ſapienter Auctores quoſdam Atheorum numerum, leviſſimis ex cauſis, magis, quam par eſſet, augentes reprehenderat, infert humanam auctoritatem ad quaeſtionem ſolvendam, An Deus exiſtat? non poſſe vocari, cum de valde exiguo numero Atheorum, qui Dei cultoribus opponantur, nunquam conſtare poſſit.

menta, quibus ipſum adeo mendacem, ut aliud conſtanter ſentiat, aliud perpetuo loquatur, eſſe cognoſcam. At ſi, nulla prolata ratione, fidem omnem dictis illius detrahere velis, id ages, ut omnis humana fides concidat, cum qua ſimul & contractus, & ipſa publica judicia tolli neceſſe eſt; quibus ſublatis perturbatio vitae ſequitur, & magna confuſio: atque haud ſcio, an, humana fide ſublata, ſocietas ipſa generis humani conſtare poſſit. Hiſtoria certe, lux illa veritatis, teſtis temporum, vitae magiſtra, nuntia vetuſtatis, locum ſuum, atque dignitatem nullo modo tueri poteſt. Jam ſapientes fere omnes (omnes dicerem, niſi quaeſtionem hoc loco non ſatis opportunam declinare vellem) illi fere omnes, inquam, quos neglecto populo Baylius audiendos eſſe putat, & divinam ultro fatentur eſſem Naturam, & ab ejus numine rerum omnium originem repetunt, & eodem numine mundum adminiſtrari, regique dicunt, & bona omnia tribui humano generi praedicant, & ingratos proinde nos, & injuſtos, & impios eſſe futuros, niſi purum, atque caſtum eidem praeſtantiſſimae Naturae cultum, & honores, & preces adhibeamus. Si quis forte dubitat, an eae ſint ſapientum voces, conſulat ipſorum libros, conſulat hiſtoriam, conſulat demum quoſcumque novit, a ſapientia commendatos homines, atque doctrina. Jam ergo aut ſapientes eos mentiri putabimus, quod, ut vidimus, recta ratio non ſuſcipit, aut ſapientes fere omnes ab Atheorum impietate abhorrere ſentiemus (*a*).

At

(*a*) Huc optime quaedam faciunt, quae Scriptor accurati, profundique ſermonis, Joannes Maria Maſnata difficultati reponit, ejus, quam ex Baylio retulimus, omnino ſimili: quippe ex eo petebatur, quod Catholici fortaſſe doctrina clari, qui ſuperioribus aetatibus extiterunt, rationes optime viderint, quibus in medium Religio, quam profitebantur, jure vocari poſſet. Ait autem Cl. Maſnata (*La ſola Ragione natur. int. alla Rel. Catt. To. I. p. 74.*) *In ſimili affari ogni uom prudente argomenta dalle eſteriori apparenze le interne diſpoſizioni. Altrimenti io dirò, che ogni più acceſo impugnatore della Religion Cattolica la riconoſce per vera nel ſuo cuore, e ben ſente di non avere motivo alcun*

At licet illi mentiri fortaſſe voluerint, aut velint; vero ſimile profecto non videtur, praeſertim ſi de pluribus loquamur hominibus, plura non prodidiſſe, vel prodere tantae impietatis indicia. Conjecturam hujus rei poſſumus ab iis petere, qui Spiritus fortes hac aetate dicuntur. Nam plerique latere volunt, ſaltem qui ſunt in Catholicis civitatibus, ne Magiſtratuum animadverſionem, aut certe proborum hominum reprehenſionem incurrant. Attamen ea ſolent, aut crebris uſurpare ſermonibus, aut ſaltem, cum ſeſe dat occaſio, ſuſurrare, quae certe faciunt, ut quid illi de Religione ſentiant, aut ſentiri velint, hominibus etiam non admodum emunctae naris aliqua ratione ſuboleat. Omnino verum illud, quod aſſenſu omnium Seneca ſcripſit „ *Nemo perſonam diu fert* „ neque fieri poteſt, ut qui ſemper cum Ariſtippo ſentiat, aut cum Epicuro, idem cum Socrate ſemper, aut cum Zenone loquatur. Numquam igitur mihi perſuaderi poterit, Diagoras multos, aut Teodoros, aut Critias extitiſſe, quin aliquam tantae impietatis ſuſpicionem vel nolentes injecerint.

Sed Sophiſta Pyrrhonicus hoc loco me fortaſſe redargueret, quod de Sapientibus verba faciam, quorum ſenſa ſcrutari poſſumus. Etenim diceret ſe de ſapientibus moviſſe ſuſpicionem, qui nulla ratione nobis innotuerint.

At primo quidem: Num hi Sapientes ne Scriptoribus quidem innotuere, qui cunctis a Sapientibus divinam Naturam agnitam eſſe ſcribunt? Num cordatos etiam homines feſellerunt, quorum fidem illi Scriptores ſecuti ſunt? Deinde non video, cur hac etiam in re argumentum illud inductionis, de quo jam ſatis multa diximus, locum habere non poſ-

cun ragionevole di dubitare. E' vero che per noſtra infinita diſavventura non truovaſi careſtia di doppj uomini, e infingitori, che altro ſentono, e altro dicono, nè in veruna coſa più vagliono, nè più affinano il malvagio talento loro, che nel meſtier d' ingannare. Contuttociò noi non dobbiamo a capriccio creſcere e moltiplicar de' Zingani il numero, nè figurarci, che ad ogni tratto il sì della lingua venga diſdetto dal nò della mente. =

poſſit. Nam cum omnia corpora, in quibus, ut ajunt Phyſici, experimenta capere liceat, viribus quibuſdam, aut proprietatibus, conſtanter gaudere videamus, etiam ea, quae tentare non poſſumus, ejuſdem generis corpora proprietatibus iiſdem praedita eſſe cognoſcimus. Quin ergo ſimiliter, quando Sapientes omnes, quorum nos, aut legendo, aut colloquendo, ſententias aſſecuti ſumus, Dei notitiam alte inſculptam animo ſervant, Sapientes etiam, vel magnis locorum, vel temporum intervallis, a noſtra cognitione disjunctos, eadem fere cum illis in re omnium graviſſima ſentire arbitrabimur?

At Baylii omnes ineptias proſequi, neque vacat, neque neceſſe eſt. Habuit enim magnum illud ingenium, at Pyrrhonica ſtultitia depravatum, hoc maxime proprium, quod cum Saurino jam indicavimus, ut ad veritatem tenebris offundendam, generis cujuſcumque, nullo fere diſcrimine, aut delectu adhibito, argumenta colligeret. Hinc ſaepe rationes ipſius quaedam vera petere videntur, quae tantum inſanus homo concuti poſſe arbitretur.

CAPUT XXIII.

An ſint Athei Speculativi?

Scriptores haud ita pauci, quorum aliquos nominat Baylius noſter (*a*), ac non ſine aliqua fortaſſe ratione carpit, numerum Atheorum, qui communi generis humani de Natura Dei ſententiae poſſint opponi, non modo extenuant, ſed omnino de medio tollunt. Ajunt enim nullos eſſe ſpeculativos Atheos, quorum tantummodo ſententias, practicis Atheis omnino praeteritis, eſſe colligendas, dum humani generis conſenſus inquiritur, ipſe faſſus eſt adverſarius noſter; quem, cum ingenio, doctrinaque abundet, honoris aliquando cauſa nominamus.

Sunt

(*a*) Bayl. *Contin. des penſ. §. C. Réponſ. aux queſtions &c.*

Sunt autem Athei ſpeculativi, qui fucatis quibuſdam ratiunculis miſere decepti, nullum eſſe Deum, apud animum ſuum ipſi ſtatuant, aut certe, num Deus exiſtat, in rebus omnino dubiis eſſe ponendum ex animo ſentiant.

Ego equidem optarem hanc veram opinionem eſſe, ſed ut ingenue fatear, quod ſentio, vereor, ut ſatis probari poſſit. Nam ſi te convertas ad ſacram auctoritatem, qua mihi quidem, non tamen illis, contra quos eam veritatem urgere maxime poſſes, nihil eſt, aut eſſe debet, antiquius, quid tandem extundes? Non aliud in hanc rem, ut opinor, quam maxime pium humanae ſalutis auctorem cunctis hominibus auxilia praebere, quibus in agnitionem ejuſdem veniant, aut certe venire poſſint. Non tamen hinc facile ſequitur, ut nulli homines fuerint, qui, cum nullum Deum eſſe cuperent, &, ut nullum eſſe Deum ſibi perſuadere poſſent, vel maxime laborarent, peſſimi voti compotes aliquando facti fuerint, ex Atheis practicis effecti etiam ſpeculativi.

Si conſulas hiſtoriam, non aliud ea reſpondebit, quam ſibi tantum eſſe notum, quid homines egerint, quid dixerint, quid in omni vita praeſeferre viſi fuerint: paucos quidem, ſed tamen aliquos extitiſſe homines, ut Diagoram, ut Critiam, ut Spinoſam, qui cum ſeſe projeciſſent in immane barathrum Ἀθεότητος, non amplius ullam viſi fuerint vim perſentiſcere Divinitatis. Ricotium illa producet (a), Scriptorem profecto neque oſcitantem, neque mendacem, qui narrat, quo tempore morabatur ipſe Conſtantinopoli, Mahometum Effendlum (b) fuiſſe morte mulctatum, quod multa contra Deum, Turcarum ipſorum auribus horrenda vomuiſſet. Etenim, ut nullus eſſet Deus, aut non ea certe polleret, quam vulgo jactarent Religionis Miniſtri, ſapientia, ſive virtute, ſolebat, incredibilem quamdam pertinaciam praeſeferens, hoc argumento pugnare.

(a) Vid. Ricaut in opere, quod in italicum ſermonem verſum habemus, praefixo titulo = *Iſtoria dell' Imp. Ottom.* = *Lib. II. Cap. XII.* ubi de Atheis, qui Muſerini dicuntur inter Turcas, plura.

(b) Mahomet Effendi.

Si ſapiens, ac praepotens ullus eſſet Deus, me tamdiu vivere non ſineret, acerrimum, inter mortales omnes, ipſius inimicum, atque contemptorem; Me vero, & vivere, & valere videtis: nullus igitur eſt Deus, quem vereri debeatis, aut colere. At pertinacia, qua peſſimus homo jam morti proximus uſus fuit, majorem habere debet admirationem. Numquam enim potuit homo locuples, & doctrinis, atque artibus illis inſtructus, quae vigent in imperio Turcarum, adduci, ut vitam ſuam pluris, quam impietatem faceret. Etenim, cum optio illi delata eſſet, utrum vitam, an impiam doctrinam deſerere mallet, mori potius, quam ſapere voluit. Dicebat enim, ad mortem, licet infamem, obeundam, ipſo veritatis, quam unice diligebat, amore ſe rapi, quamvis nullam in altera vita (non enim alteram fore credebat) pro tanta jactura mercedem ſperare poſſet (*a*).

Haec, inquam, aliaque, narrat hiſtoria, quae ſpeculativos aliquos Atheos extitiſſe ſuadere videantur.

Reſtat igitur, ut, quid philoſophia doceat, audiamus. Nam cum in animis hominum tantae latebrae ſint, tantique receſſus; aut nulla, liberales inter artes, ac diſciplinas,

(*a*) Cave tamen, hoc exemplo confirmari putes, quod ſcripſit Alembertus (*Elemens de Philoſoph. §. III.*) = *pour diſtinguer ceux, qui ont donné leur vie par conviction, de ceux qui l'ont prodiguée par fanatiſme, il (le vrai Philoſophe) n'établit point d'autre regle, que celle de compter les ſuffrages* = Cum de Martyribus ibi loquatur, quem ſenſum Alemberti verba ſuſcipiant, facile vides. At facile, ſi ſapis, etiam advertes, ex innumeris aliis capitibus Martyres noſtros, ſtultis quibuſdam hominibus, qui pro fovendis impiis opinionibus mortui ſunt, eſſe anteferendos. Conſule Viros egregios, qui de Veritate Chriſtianae Religionis, multa, & praeclara ſcripſerunt. Nos obiter innuimus incredibilem Mahometi ſuperbiam, & ingenium maxime ferox, atque protervum, nihil cum puerorum, virginum, ſenum, & aliorum cujuſcumque generis hominum, quorum ab ipſis Ethnicis, excepta Religione, omnis vita probabatur, modeſtia, manſuetudine, aliiſque virtutibus innumeris, habuiſſe commune: neque vero credibile videri poſſe, ſi quaedam adjuncta conſideremus, ſimpliciſſimos illos Chriſti aſſeclas, ſui nominis immortalitatem, gloriamque ſpectaviſſe, cujus amore Mahometus ille tantopere flagrabat.

nas, aut ſola tum ratione, tum experientia, faces praeferentibus, illuc Philoſophia permeare potuit. At illa quidem, pleraſque res ſcitu digniſſimas cum rimari curioſius, ac ſubtilius inveſtigare vellet, ingenii cujuslibet aciem fugere ſenſit, ut vix pauca quaedam certa ſatis, & explorata, narrare poſſit. Inter ea non eſſe fatetur quod nos inquirimus, cum diſputamus, an ulli fuerint, aut ſint, Athei ſpeculativi.

Nam ſi vere notiones aliquas ab ipſa natura inſitas, & anticipatas, ut multis placuit, habemus, inde facile conſequetur, ut inter eas ipſa ſit Dei cognitio, quam proinde tenebris obducere poſſis, at prorſus evertere, cum tam alte animo ſit inſculpta, niſi animum ipſum evertas, omnino non poſſis. At quis neſcit, quot ea doctrina de ideis innatis prematur argumentis, aut quot philoſophorum ſane nobilium familiis diſplicuerit, atque diſpliceat?

Iam ſi Dei cognitio conſideratione quapiam, ut ut facillima, comparatur, cur Athei ſpeculativi prorſus nulli fuiſſe dicendi ſunt? Etenim, ut nullos omnino fuiſſe non ſine ratione dicas, nullos eſſe potuiſſe neceſſe eſt. Iam cur multi eſſe non potuerint, intelligo. Homines enim ea facillime videre ſolent, atque concedere, quae magna quadam, atque perſpicua luce colluſtrata ponit ob oculos, ut ita dicam, ipſa natura. At cur omnino nulli dementes homines eſſe potuerint, qui veritati tam apertae repugnarent? Etenim ut nulla foeditas ſine amatore, quod vetere proverbio docemur, ita nullus error ſine probatore fuit. Ea certe conſideratio, de qua loquuti ſumus, ſin minus praetermitti potuit, aut negligi, ſaltem contrariis quibuſdam ratiunculis, ac fallacibus argumentis, quibus aliquae mentes non mediocriter aliquando premuntur, ita obrui potuit, ut ſuas nullo modo vires, nativumque robur exereret.

His, inquam, & aliis animadverſis, cupio quidem Atheos omnino nullos fuiſſe, vel eſſe ſpeculativos, ſive homines, qui nullum eſſe Deum, vere, & ex animo ſibi per-

ſuaſerint, ſed, quod cupio, verum eſſe, affirmare non audeo (*a*).

Sane qui affirmant ſcriptores, non aliud exſculpere poſse mihi videntur, quam nullos homines extitiſſe, qui, dum eſse Deum aut negarent, aut certe dubitarent, non peſſima fide laborare deprehenderentur.

Equidem in eo ſaltem facile peſſimam fidem agnoſco, quod rationes, Deum eſſe demonſtrantes, non ea, qua par eſſet, diligentia diſcant, aut animo verſent, ut vim, ac pondus ipſarum ſentire queant; contra vero tenues quaſdam ratiunculas impietati fovendae idoneas omni ope confirmare nitantur. Quare ſunt Athei ſpeculativi, quod vere mens illorum, dum fallacia quaedam argumenta ſequitur, in aſſenſum abripitur impiae ſententiae, qua dicunt, non modo cum ſuorum ſcelerum ſociis, ſed etiam in corde ſuo, *Non eſt Deus*. Sed tamen eoſdem Atheos ſpeculativos, peſſimae potius voluntatis vitio, quam illorum pondere argumentorum, in immanem errorem pertrahi concedendum eſt.

Illud etiam certum mihi videri ſolet, non modo, quae Theologia ſuppeditat, maxima momenta rationum, ſed & exempla, quibus abundat hiſtoria, perpendenti, neminem eſſe ſpeculativum Atheum, qui non ex practico factus fuerit.

Sed haec omnia fuſius hoc in opere perſequi non debemus, quo conſenſum humani generis in pulcherrima veritate agnoſcenda, etiam impiis oſtendere cupimus. Etenim aliqua ſunt inter illa, quae aut nullo modo, aut ſolum longa nimis, atque difficili conſequentiarum deductione Chriſtianae Religionis hoſtibus probare queas.

CA-

(*a*) Atheos eſſe veros, ac ſpeculativos plures docti Scriptores ulla ſine reprehenſione defendunt. Inter eos Doctor Anglus Harris integrum ſermonem habuit, ut id confirmaret. Habet idem ex Catholicis Doctoribus, ut alios omittam, P. Bernardus Lamy *Entret* 2. *ſur la Morale ch.* 15. *p.* 145.

CAPUT XXIV.

Plerique Athei, dum nullum a ſe dicunt agnoſci Deum, aut non ex animi ſententia loquuntur, aut non in ea longo tempore perſeverant impietate doctrinae.

QUam propono ſententiam, & veriorem alia, quod ſcilicet nulli prorſus Athei ſpeculativi ſint, & probatu faciliorem, & optimae cauſae noſtrae tuendae non minus idoneam puto. Nimirum uſque eo verum eſt homines in agnoſcenda Divinitate, uno veluti ore, conſpirare, ut qui diſſentiant, & numero ſint ſatis exiguo, neque cum tanta vim, Naturamque divinam, agnoſcentium multitudine conferendo, & ex hoc eodem numero ſane plerique aut non ex animi ſententia loquantur, aut non in ea, longo tempore, perſeverent impietate doctrinae.

Neque enim nos ab hac ferenda, propugnandaque ſententia deterret, quod de paucis tantum Atheis, quorum ipſi ſcrutati ſenſa fuerimus, loqui poſſimus. Id Baylius exprobrat illis, (*a*) qui nullos eſſe ſcribunt Atheos ſpeculativos. Ferre autem videtur rationis paritas, ut nobis etiam, qui fere nullos eſſe volumus ſaltem omnino conſtantes, objici poſſit. Sed nos & Auctores adducimus, qui vel multorum ipſi Atheorum veras opiniones rimari conati ſunt, vel diligentibus aliis, ac prudentibus viris, qui multo plurium fuerant aliquando rimati, fidem habuerunt, & ex Atheis plurimis, quorum hac ratione placita teneamus, de reliquis omnibus, in ſuorum tenebris ac latebris errorum caput occulentibus, conjecturam non abſurde capimus.

Neque vero tantum hac in re debet **Ἀ'ναλογίας** argumentum valere, quod non ſemel adhibuimus, ſed aliud etiam, quod *a fortiori* Dialectici noſtri vocant. Etenim Atheos,

(*a*) Vid. Bayl. *Contin. des penſ.* §. C.

Atheos, qui ſuas impias opiniones in vulgus ſpargere non dubitarunt (eos autem praecipue Scriptores afferendi reſpiciunt) pertinaciores fuiſſe plerique ſaltem aliis Atheis, qui ſiluerunt, credibile omnino eſt. Facile quiſque videt plures eſſe rationes, ut homo nihil adverſum ei ſententiae proferat, aut etiam ſentiat, cujus veluti parens bonus, aut tutor fidelis haberi vulgo voluerit, quam homo, qui ſententiam eamdem conceptam animo, fotamque retinuerit. Nempe, ſi quando ſententiam aliquam defenſandam ſuſcipiunt, propter hoc ipſum magis fere, quam antea, cupiunt homines eſſe veram; neque latet quemquam, ita nos natura ipſa eſſe comparatos, ut quanto vehementius aliquid verum eſſe cupimus, tanto facilius verum eſſe arbitremur. Praeterea, quod Athei primi generis illius, nihil, non populi dicam, ſed hominum doctorum, atque prudentum, reprehenſionem vereri videantur, maxime feroces, & indomitos, & froeni cujuslibet impatientes animos arguit. Eos autem animos, in hoc certe negotio, non ii praeſeferunt, quotquot impiam doctrinam non tanti faciunt, ut pro ea defenſanda vel jacturam nominis, vel alia quaelibet incommoda ſubire velint. Iam vero, ſi plerique Athei, qui multo magis, quam caeteri, pertinaces haberi debent, aut non ex animi ſententia loquuntur, cum Deum eſſe negant, aut certe non in ea ſibi, longo tempore, conſtant perverſitate ſententiae, quid de aliis non adeo perditis impietatis amatoribus omnino tenendum eſt? Nimirum non illos poſſe diu cum natura pugnare, quae licet invitos, ac reluctantes homines eo pertrahere conatur, ut pulcherrimam hanc univerſitatem rerum non ſine Conditore, ac Moderatore ſummo conſiſtere poſſe fateantur.

At ejus, quam propoſuimus, ſententiae gravitas a Platonis primum auctoritate repetatur, qui Dialogo X. de Legibus, cum non ita paucos in Graecia viſus eſſet Atheos agnoſcere, nullos tamen eſſe diſerte ſignificat, qui concordi generis humani de Natura divina ſententiae, vel numero,

ro, vel auctoritate ſua, quidquam officiant. Etenim juveni, qui Deos eſſe fateri nolit, nunciandum monet, affore tempus, quo contrariam omnino ſententiam animo combibat. Rationem addit eam, quae mirifice confirmat opinionem noſtram; quod nemo poſt homines natos extitiſſet, qui cum juvenis nullos putaſſet eſſe Deos, jam prope ſenex in eadem ſententia manere videretur (*a*). Quam Platonis doctrinam ita carpit Baylius, & vexat (*b*), ac ſi Philoſophorum Princeps commentitios illos Ethnicorum Deos, potius quam naturas quaſdam intelligentes, exiſtere, a quibus pendeant omnia noſtra, probare voluerit. Verum omnes Baylii errores perſequi neque vacat, neque, ſi vacaret, magnopere liberet.

Illud ſine reprehenſione dimitti non debet, quod Platoni fidem habere nolit, cum numerum Atheorum ſibi conſtantium extenuat, aut potius e medio tollit: at Platonem audiri voluerat, in eodem Dialogo, de pluribus, non modo ſuae, ſed etiam ſuperiorum aetatum, impiis, Atheiſque hominibus conquerentem (*c*).

Nimirum Baylius, non modo quibus credat auctoribus, voluntate potius, quam certo, accuratoque judicio determinat, ſed ex auctoribus iiſdem quod vult accipit, quod non vult rejicit, aut etiam modo accipit, modo idem rejicit, ut potius optare, quam docere, videatur. Sic in opere, quod Continuatio ſuarum cogitationum inſcribitur, §. XVIII. magnum eſſe numerum Atheorum poſt renatas litteras inde probat, quod Scriptores multi pro Religione ſcribere coeperint, & aggeres omnes ab impietate ſuperari conqueſti ſint. At eodem opere §. XXXIV. Scriptores, qui talia narrent, perſtringit, atque caſtigat; eoſdem, ait, rem valde juſto majorem exhibere, notamque

Ἀθεο-

(*a*) Νομ. Διαλ. δέκ. *p. m.* 888. = Ὦ παῖ, νέος εἶ. προϊὼν δέ σε ὁ χρόνος ποιήσει πολλά, ὧν νῦν δοξάζεις μεταβαλόντα, ἐπὶ τἀναντία τίθεσθαι. . . . . . τὸ μηδένα πώποτε λαβόντα ἐκ νέου ταύτην τὴν δόξαν περὶ θεῶν, ὡς οὐκ εἰσί, διατελέσαι πρὸς γῆρας μείναντα ἐν ταύτῃ τῇ διανοίᾳ. = Vide alia apud ipſum lectu digniſſima.

(*b*) Vid. *Contin. des penſ.* §. 154. *p.* 787. *&c.*

(*c*) *Ibid.* §. *XVI. p.* 60.

Α'θεότητος multis inurere, nihil tale merentibus Viris, leviſſima ſaepe de cauſa. At ſi quis Baylii omnes Α'ντιλογίας colligere vellet, volumen juſto majus conſcribendum ſuſciperet. Illuc potius oratio redeat, unde digreſſa eſt.

Ipſum interrogo, quam poſſit rationem afferre, cur Platoni ſtandum non ſit, ea, quae protulimus, aſſerenti? Nam & ſapientia praeſtitit Plato, qua verum an eſſet, quod litteris conſignaret, videre poterat, & ea fuit honeſtate morum, ut ſaltem turpiſſimi mendacii ſuſpicio non in eum facile cadat. Quocirca, ſi Tito Livio, ſi caeteris hiſtoricis aures adhibes, dum Romanorum res geſtas exponunt, cur Platonem in re noſtra non audis, qui de re, quam *facti veritatem* Iureconſulti vocant, & Critici noſtri, teſtimonium dicit? Nam ſcire, num Athei ſemper viſi fuerint eidem adhaerere ſententiae, non minus ad hiſtoriam pertinet, quam ſcire, quibus moribus Romulus, aut alii Reges, qua pietate in Deos, qua charitate in ſuos, qua contra hoſtes virtute praediti fuerint.

Quod vero profert Baylius (*a*) exemplum Athei paulo ante mortui, quam ipſe ſcriberet (*b*), ſemper in impia ſententia conſtantis, ac firmi, confutatione non eget. Cum enim Plato, non quid omnino fieri ſemper neceſſe ſit, ſed quid ad ſuae tempus aetatis factum fuerit, fideliter narret, non vadem ſe facit, ut per omne poſterum tempus numquam aliquid oppoſitum contingere poſſe arbitremur.

Concinunt hac in re cum Platone plures, iidemque valde nobiles ex ipſa Graecia Philoſophi. Eos enim ſi audimus, tametſi perditi quidam homines, dum valetudo, opeſque florerent, Divinitatis omne jugum portare detrectaverint, cum tamen ſeſe morti propiores factos eſſe viderunt, aut in gravem inciderunt calamitatem, ipſi Deum a ſe negatum, magis quam caeteri, timuerunt.

De

(*a*) §. 154.

(*b*) Habet in nota Monſ. de S. E. hoc eſt, ſi rite interpretor, Monſieur de Saint Evremond. Hunc ſolum ait ſufficere ad Platonis errorem detegendum.

De Zenone quidem, Principe Stoicorum, memoriae proditum accepimus, eum, cum diligenter morientium Atheorum ſenſa perpendiſſet, dicere ſolitum: confeſſionem ipſorum argumentum eſſe vel maximum, quo Deum, divinamque Providentiam exiſtere demonſtremus. Nam adventante morte, vel calamitatibus urgentibus praecipue repentinis, quod etiam Ariſtoteles notat, homines ex animo, atque natura veluti dictante loqui ſolent, non item cum ambitione, laſcivia, aut alia quavis animi perturbatione agitantur.

Iam quod in iis caſibus homines etiam impii vim, poteſtatemque divinam vereantur, Æſchylus etiam docet, non tam poëta, quam pictor egregius, in moribus hominum ſui temporis exprimendis. Cum enim de militibus Ecci loqueretur, prope jam de ſalute deſperantibus, ſignificat inter eos non defuiſſe, qui, etſi nullos antea putaſſet eſſe Deos, tunc preces iiſdem, ac vota faceret, tellurem ipſam, atque coelum timide veneratus. (*a*)

Sed nullus inter Graecos ejus rei, de qua loquimur, illuſtrius exhibuit exemplum, quam Bion ille Boryſthenites, Theodori diſcipulus, qui Magiſtri ſui tum impudentiam ſuperans, tum impietatem, homines, Deoſque ridere conſueverat. Nam qui fanum non viderat, Diogene Laërtio teſte (*b*), qui Mortalibus, quod Diis immolarent, illuſerat, qui nulla ratione verum Deum, aut ulla commentitia Numina videbatur agnoſcere, cum in periculoſum incidiſſet morbum, ita mutatus eſt, ut in anilem ſuperſtitionem converterit impietatem. Nam, eodem Diogene teſte, non modo & adipe, & thure, gentilium Deorum nares implevit, & ut propitii forent, ac delictis parcerent, enixis precibus imploravit, ſed & anui collum porrexit, & brachia loris devinxit, & rhamnum, ſimulque laurum januae impoſuit, ac Plutonem ſaepius invocavit, ut votorum ſuorum compos aliquando fieret.

R Et

(*a*) Æſchyl. in Περσ. . . . . . θεοὺς δέ τις Τὸ πρὶν νομίζων οὐδαμοῦ, τότ' ηὔχετο Λιταῖσι, γαῖαν, οὐρανόν τε προσκυνῶν.

(*b*) Laërt. *L. IV. in Bione*.

Et ea quidem vetuſtatis monumenta, quae adduximus, non modo, quod aliqua Natura divina eſſet, ſed etiam quod provida eſſet, ac juſta, probe cognitum etiam impios, comprehenſumque animis habuiſſe declarant.

Graecos autem hac etiam in re Latini ſequuntur, quos inter primo loco teſtem adducemus nemini ſuſpectum hac in cauſa, nempe Lucretium. Ille enim (*a*) ea ſcribere non dubitavit ſane praeclara.

„ *Nam quod ſaepe homines morbos magis eſſe timendos,*
„ *Infamemque ferunt vitam, quam Tartara Lethi;*
„ *Et ſe ſcire animi Naturam ſanguinis eſſe,*
„ *Nec prorſus quidquam noſtrae rationis egere:*
„ *Hic licet advertas animum, magis omnia laudis,*
„ *Aut etiam venti, ſi fert ita forte voluntas,*
„ *Iactari cauſa, quam quod res ipſa probetur.*
„ *Extorres iidem patria, longeque fugati*
„ *Conſpectu ex hominum, foedati crimine turpi,*
„ *Omnibus aerumnis affecti denique vivunt.*
„ *Et quocumque tamen miſeri venere, parentant,*
„ *Et nigras mactant pecudes, & Manibus Divis*
„ *Inferias mittunt; multoque in rebus acerbis*
„ *Acrius, advertunt animos ad relligionem.*
„ *Quo magis in dubiis hominem ſpectare periclis*
„ *Convenit, adverſiſque in rebus noſcere qui ſit.*
„ *Nam verae voces tum demum pectore ab imo*
„ *Ejiciuntur, & eripitur perſona, manet res.*

Pulchre quidem accidit, quod inter homines hujuſmodi tam parum ſibi conſtantes, quos Lucretius carpit, Lucretius ipſe ſit viſus Baylio dignus, qui numerari poſſit. Neque enim aliud eſſe, quam divina quaedam Providentia videtur *vis abdita quaedam* a Lucretio agnita, quae res humanas ad ſummum aliquando faſtigium evectas deprimat, & aequa lan-

(*a*) *Lib. III. v.* 41.

Digitized by Google

lance componere videatur (*a*). At quid de Lucretio ſit judicandum alii viderint.

Sane reliquis vulgo Epicureis, qui quamquam prorſus Athei non fuerunt, Divinam Providentiam negarunt, & hinc non manibus, ut Xerxes, ſed rationibus, Deorum Immortalium templa convellere dicebantur, non perſuaſum eſſe non poterat, ſi Ciceronem audimus, divina Providentia res omnes adminiſtrari. Nam ille graviſſime notat (*b*), inde non auſum eſſe temerarium genus philoſophorum negare Deos, quod non populum quidem omni loco, ſed Deos ipſos, Deorumque vindicem iram non timere non poſſet, ac ridet quos ipſe, vel Cotta, ſi mavis, quem diſputantem inducit, noverat Epicureos, omnia ſigilla numerantes. Nimirum adeo aberant illi quidem ab impietate ſumma, ut oppoſitum potius ſuperſtitionis genus colere viderentur.

Ineptum eſſet objicere, quod nos, qui de Atheis loqui velimus, aut debeamus, de Epicureis, ac de aliis, quos Α"θεως non fuiſſe fatemur, adeo multa ſcribamus. Nam, ſi diligentius advertas, Auctores, quibus fidimus, divinam Providentiam non agnoſci non poſſe vel ab iis, qui oppugnant ipſam argumentis, & ſcribunt, & ſentiunt. Jam vero non potuiſſent id affirmare, vel credere, niſi Atheos etiam proprie dictos, eo genere hominum, quos deſcribunt, comprehendere voluiſſent.

Porro Divinitatis hoſtes, quod non ea loquantur, quae ſentiant, arguit etiam Seneca (*c*), cujus, ut aliae multae, ſic etiam illa eſt, vel doctrina, vel ingenio tanto digna ſententia = *mentiuntur, qui dicunt ſe non ſentire eſſe Deum, nam etſi tibi affirment interdiu, noctu tamen & ſibi dubitant* =; cui ſententiae quidem exempla non pauca reſpondent, quae poſſemus ex Romanarum rerum hiſtoria colligere; ſed illud in primis celebre, quod Suetonius ſignificat, Caligulam, qui vivens nullum timuerat Numen, adventante morte tandem agnoviſſe.

 Jam

(*a*) *De Nat. Deor. l. 1. & alibi.* (*b*) *In Diction. Hiſtorico-crit.*
(*c*) *Lib. 1. de Ira.*

Jam ſi ſanctos Eccleſiae Patres, aut recentiores philoſophos hujus rei, quam aſſerimus, teſtes vocare vellemus, multo difficilius eſſet orationis exitum, quam initium invenire (*a*).

Sed omittere non poſſumus, ſine magna vel inſcitiae vel negligentiae nota, Baylium ipſum ſatis aperte, multis in locis, ſententiae noſtrae ſuffragari. Nam aut affirmat, inter eos, qui videri volunt Athei, bene multos non quod ſentiant loqui, ſed quod leviſſimos apud homines, ingenii ſatis acuti, neque vulgaribus opinionibus mancipati gloriam parere poſſet (*b*); aut etiam Atheos fere omnes haud abſimili oratione complectitur (*c*). Quin etiam Sainthibalis, hominis impii, ſententiam veram eſſe putat, qui dicere ſolitus erat ſectae ſuae paucos admodum homines inveniri, qui dono perſeverantiae potirentur; eoſdem etiam ajebat, cum morti eſsent proximi, ſectae ſuae decus, ac dignitatem minime ſuſtinere; quin & ſeſe ipſos mendacii reos quodammodo conſtituere, praeſertim cum Poenitentiae, & Euchariſtiae Sacramenta flagitent, atque ſuſcipiant (*d*).

Haec

(*a*) Vide inter alios recentiores La Bruyere (*Caract. &c au Chap. des Eſprits forts p. m.* 670.) Hancock (*Exiſt. de Dieu prouv. & deſen. To.* 3. *Collect. Burnet.*) qui confirmat id exemplo Hobbeſii, qui, ut, auctor eſt ipſius vitae ſcriptor = *ne pouvoit ſouffrir la ſolitude*, ſunt Hancockii verba, *de peur des eſprits* =.

(*b*) Vid. *Continuat. des penſées* §. *XXXV.*

(*c*) *Diction. Crit. Art. Des-Barreaux. Rem. F.* = *Il eſt aſſez apparent, que ceux qui affectent dans les compagnies de combattre les verités les plus communes de la Religion, en diſent plus qu' ils n' en penſent .... Cette mauvaiſe habitude ... emouſe la pointe des impreſſions de l' education, je veux dire, qu' elle aſſoupit le ſentiment des verités, qu' ils ont appriſes dans leur enfance touchant la Divinité, le Paradis, & l' Enfer: mais ce n' eſt pas une foi eteinte, ce n' eſt qu' un feu caché ſous les cendres. Ils en reſſentent l' activité des qu' ils ſe conſultent; & principalement a la vuë de quelque péril .... Ils paſſent jusqu' a la ſuperſtition &c.* = Vide caetera apud ipſum.

(*d*) *Diction. Crit. Art. Bion., Rem. E.* = *J' ai oüi dire à un Gentilhomme .... que Sainthibal, fameux Eſprit fort, ſe plaignoit de ce qu' aucun homme de leur Secte n' avoit le don de perſévérance „ Ils ne nous font point d' honneur* diſoit-il, *quand' ils ſe voient au lit de*

Haec, inquam, aliaque Baylius, non recte, niſi fallor, cum iis cohaerentia, quae in Opere de Cometa ad augendum numerum verorum Atheorum undelibet ipſe corraſit. Sed quam ille ſibi conſtiterit, alii viderint. Nos enim inconſtantiam in eo fuſius arguere, qui nihil magis vereri videbatur, quam ut ne rem aliquam ſatis certam, & exploratam haberet, ſupervacanei laboris opus arbitramur.

Sententiam porro, quam nos propugnamus, plurima ex recentioribus hiſtoriis petita exempla confirmant. Pauca quaedam indicamus.

Henoltius (*a*), impurus poëta gallus, non modo Atheus eſſe, verum etiam videri contendebat; quin & Spinoſae Principis Atheorum ingenio, doctrinaque ita captus fuerat, ut, quo tanti viri conſuetudine frueretur, iter in Hollandiam arripere non dubitaverit. Talis tamen, ac tantus Atheus, cum in gravem morbum, cujus vi deceſſit, incidiſset, nihil antiquius habuit, quam ut ſacris omnibus Chriſtianae Religionis rite procuratus e vita migraret; quin & ſincere poenitentiae quaedam alia non levia dedit indicia; ut potius ei froenum injiciendum, quam ſtimulos addendos ipſius conſcientiae moderator arbitraretur. Hic a ſumma Dei clementia fortaſse veniam impietatis obtinuit. Non idem de aliis

de la mort: ils ſe deſhonnorent, ils ſe dementent, ils meurent tous, comme les autres, bien confeſſez, & communiez „ Il pouvoit ajoûter, qu' ordinairement ils paſſent juſqu' aux minuties de la ſuperſtition = Confirmat id Baylius exemplo Tulli Hoſtilii Romanorum Regis, de quo haec habet Livius (*Dec. I. Lib. I Cap. XXXI.*) = *Ipſe quoque longinquo morbo eſt implicitus. Tunc adeo fracti ſimul cum corpore ſunt ſpiritus illi feroces, ut qui nihil ante ratus eſſet minus regium, quam ſacris dedere animum, repente omnibus magnis, parviſque ſuperſtitionibus obnoxius degeret, religionibus etiam populum impleret* = Affert etiam ad hanc rem Gallici Poëtae verſus (Mr Deſpreaux *Satyre I. v. 153.*)

„ *Qui fait l' homme intrépide,*
& tremblant de foibleſſe
„ *Attend pour croire en Dieu,*
que la fievre le preſſe,
„ *Et toûjours dans l' orage au*
Ciel levant les mains
„ *Dès que l' air eſt calmé rit des*
foibles humains.

Caetera vide apud ipſum Baylium; Aliis articulis ſimilia ſcribit.

(*a*) Monſ. d' Henault.

aliis Atheis ſperare auſim, qui Deum quidem eſse aliquando faſſi ſunt, at maximam eidem intulerunt injuriam, quod omnino de propria ſalute deſperaverint.

Niewentytius quidem (*a*) gravis auctor, & ingenuus, narrat, familiarem quemdam, ac diſcipulum Spinoſae ſibi tum juveni fuiſse cognitum, qui peſſimas impii magiſtri doctrinas, magna quadam ingenii ſubtilitate defenderet: Eum, cum aegrotaſset, magnam animi tranquillitatem ſervare, ac longo quidem tempore, viſum eſse: nempe hac etiam in re magiſtrum ſuum imitari voluiſse: at repente tandem exclamaſse; jam ſe omnia credere, quae antea negaverat, ſed credere nimis ſero; neque enim ullam impietatis veniam ſeſe conſecuturum ſperare poſse.

Quod quidem exemplum illud mihi teterrimum mortis genus in mentem revocat, quo diem ſupremum clauſit peſſimus hoſtis Divinae Bonitatis, ac Providentiae Bolingbrockius. Is enim moriturus Deum eſse juſtiſſimum criminum vindicem ſenſit; atque ita ſenſit, ut jam ingentes ingentium ſcelerum poenas daret. Æternis profecto cruciatibus jam addictum dixiſses, cum tabeſcentis corporis, ac multo magis animi doloribus, veluti tartareis totidem furiis, exagitatus, horrendis vocibus, ac maxime impiis, quas neque famuli, neque conſanguinei ferre potuerunt, domum totam impleret; & ea tantum de cauſa *Moralia*, quae ſemper negaverat, *Attributa* ſupremi Numinis jam videretur agnoſcere, ut iiſdem inaudito quodam, ut ita dicam, ſtygii furoris genere malediceret.

Quod pertinet ad Spinoſam ipſum, non Atheum modo, ſed & Atheorum patrem, atque magiſtrum, varii varia retulerunt, de quibus eruditiſſimum Valſechium conſulere potes. Nobis ea memoratu maxime digna videntur, quae narrat, ac probat Criticus profecto non levis, Joannes Chriſtophorus Wolfius (*b*) = *Morti proximus*, ait ille de Spinoſa,

(*a*) Nievventit, *L'exiſt. de Dieu* III. P. I. C. 2. p. m. 24. *Diſc. prelim.* apud Valſechium. *L.* (*b*) *Biblioth. Hebr.* P. I. p. 240;

ſa, *nullum admiſit, ſaepeque in haec verba prorupit, o Deus eſto mihi peccatori propitius*; *quod a celeberrimo viro ſe accepiſſe teſtatur Franciſcus Halma in Praefatione, quam praemiſit vitae Spinoſae* = Repugnat huic narrationi, aliiſque ſimilibus, Jacobus Bruckerus (*a*), qui, Joannis Coleri, Scriptoris Vitae Spinoſae, ſecutus auctoritatem, ſcribit = *Hoc fatum ultimum nec ipſe, nec familiares proximum eſſe, ut in hoc morbi genere* (phthiſi) *fieri ſolet, ſenſerunt*: *illis enim nihil tale expectantibus, ſolo medico L. M.* (ſcilicet, ut ego interpretor, Ludovico Meyero, Spinoſae amico, eodemque diſcipulo, auctore infamis libri, cui titulus: *Philoſophia Scripturae interpres*) *qui Amſtelodamo acceſſerat, preſente, IX. Kal. Martii* 1677. *expiravit*. = Equidem primo Bruckerum interrogo, cur illa tum Franciſci Halmae, tum Wolfii narratio, cum alia Joannis Coleri nulla poſſe ratione ſatis componi videatur? Quamquam enim pridem adventare mortem Spinoſa non ſenſit, ſed tamen potuit, cum illa fores, ut ita dicam, jam occuparet, aliqua temporis habere momenta, quibus & praeſenti medico gratum ſibi non fore aliquo modo ſignificaret, ut quiſquam intra cubiculum admitteretur, a quo juvari non poſſet, & clarius etiam eas voces emitteret, quas auctores a nobis laudati retulerunt. Quod vero nullam de vocibus illis mentionem Colerus fecerit, argumentum eſſe videtur *negativum*, quod magnopere curandum Critici noſtri negant. Deinde Bruckero in memoriam revoco, quod ipſe ſcripſit, nempe Spinoſae Vitam a Joanne Colero exaratam, ab aliquo Spinoſae ſtudioſo homine corruptam, ſive, quod verbum adhibere Critici ſolent in his rebus, interpolatam videri. Quis inde facile conſequi non videat, quam parum huic libro fidere debeamus? Quis non videat Spinoſae diſcipulo, maximè perdito, illud cordi non eſſe non potuiſſe, ut omnia ex illo libro delerentur, quae poſſent vel Magiſtro ſuo, vel Magiſtri ſententiis invidiam, quacumque demum ratione, conflare? Jam ergo Criticae Ar-

tis

(*a*) *Tom. IV. par.* 2. *Lib. II. &c.* ubi de Spinoſa.

tis ipſae regulae poſtulare videntur, ut ſi narrationes illae duae ſatis componi non poſſint, illa potius Halmae, quam illa Colero tributa praeferenda ſit, ac nulla ratione teſtimonium celeberrimi Viri, cujus fide tum Halma, tum Wolfius nititur, rejiciendum eſſe videatur.

Jam vero illa facile concidunt, quae Baylius ſcripſit, fortaſſe videns, quantum impia ſententia detrimentum ex impiorum παλινῳδίᾳ capere poſſit. Modo enim ait a morientibus impiis fortaſſe impias revocari ſententias, quod *partem* velint eligere *tutiorem* (*a*), modo quod malum timeant ſuis, niſi certos quoſdam ritus a Religione praeſcriptos (*b*) obſervent. Nempe vult Sophiſta vafer, & callidus, aut eos fidem praeſeferre, quam animo rejiciant, aut certe non aliud videre, cum primum, ut Deum timeant, Deoque credant, adducuntur, quam conſilium illud ab omni etiam leviore, quod *remotum* dicere ſolemus, periculo liberare. Sed haec Baylii dicta, cum alias ob cauſas impiorum doctrinae minime favent, quas omnes perſequi nihil neceſ-
ſe

(*a*) Ita *Diction. Crit. Art. Bion, Rem. E.* Non valde mihi probatur, quod contra Baylium hac de re ſcripſit auctor egregius, Gauchat (*Lettr. Crit. Tom. 6. Lettr. 56.*) ideſt, ſi revocarent impii doctrinam ſuam, ut cautius, tutiuſque procederent, eam παλινῳδίαν ſinceram non fore dicendam, cum *dubium* involveret, quod fidem ipſam omnino deſtrueret. At argumentum omnino ſimile Proteſtantes multos, & ipſum Henricum IV. Galliae Regem, non mediocriter movit, ut Catholicam Fidem ex animo complecterentur. Nempe cum voluntas tutiorem partem prudenter eligat, hinc intelligentiam facile cogit, ut inſipiens omne *dubium* excludat, & eas rationes attendat, atque ſequatur, quae poſſint ipſam omnino *certam*, ut Theologi loquuntur, *facere de exiſtentia revelationis*. Tum vero, ſi lumen accedat, quod *adjutor in opportunitatibus*, & *in tribulatione* largitur, *voluntas imperare poteſt aſſenſum firmiorem, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium*; firmiorem, inquam, illum aſſenſum imperare poteſt, in quo Catholica Fides Divinae auctoritati ſubnixa conſiſtit.

(*b*) Habet id praecipue Baylius *Diction Crit. Art. Des-Barreaux Rem. F. &c.* Loquitur autem ibi Baylius non de levibus iſtis Atheis, quos cupiditates perturbant, ac perdunt, ſed de gravibus, ſic enim ait, quibuſdam Viris, quos tantum longa conſequentiarum ſubtiliter deductarum ſeries in impietatem pertraxit. Ubi ſint huiuſmodi Athei numquam ſatis indicare potuit.

ſe eſt, tum quod nulla ratione ab ipſo confirmata fuerint; atque hinc a nobis, etiam nulla in medium allata ratione, rejici non injuria poſſent.

Caeterum plurimi ſunt, in quibus haec altera ratio nullum habeat locum. An antiqui illi, de quibus Plato, Zeno, Æſchylus, atque alii, an Bion Boryſthenites, an Caligula ille Caeſar malum timebant ſuis, niſi certos obſervarent ritus, aut alicui religioni morientes nomen dare viderentur?

Verum, hoc etiam omiſſo, ſaltem illud attendi velim: videlicet, quo jure Baylius poſtulat, ut paucis, aut plurimis (nam paucos modo, modo autem plurimos inducit, cum quid velit, ut ſaepe dico, non quid putet, ſcribat) ſed quo jure poſtulat ille, ut ſuis Atheis, tamquam ex animo loquentibus, aures praebeamus, dum nullum a ſe metui Numen inſani homines jactant; eodem velle nos, ut eiſdem credatur, quando Numinis reverentia ſeſe tangi praeſeferunt. Imo peſſimos homines, cum Deum eſſe negarent, non autem cum faterentur, fuiſſe mentitos, eſt cur non injuria credamus. Nam cur negarent, ratio illa eſſe poterat; inſanus quidam amor gloriae, froenique cujuslibet animus non facile patiens. Cur faterentur, ratio alia eſſe non poterat, niſi quod dignam eſſe veritatem, quam aliquando faterentur, vel inviti omnino ſentirent. Neque enim alioqui voluiſſent, apud eos, quorum judicia, contemptis caeteris, maximi fecerant, ſuorum ſcelerum, impiaeque doctrinae ſocios, levitatis, aut etiam perfidiae notam incurrere.

CAPUT XXV.

Ab argumento nobis propoſito Digreſſio fit ad novam rationem, qua Deum Sapientiſſimum exiſtere demonſtramus.

CUM non modo nationes, quarum barbaria nihil vaſtius, aut agreſtius eſſe poſſit, ſed & homines depravatis opinionibus, ac moribus tam facile conſentire philoſophis, ac gen-

tibus omni humanitate limatis, atque politis, in quapiam agnoſcenda Divinitate, conſidero: non poſſum, primo quidem ipſius Dei Providentiam, deinde vero naturae lumen illud non admirari vehementer; quo ſcilicet quid interſit, ut inter rectum, & pravum, ſic inter verum, & falſum, haud ita paucis in rebus, facile judicamus. Nuper autem ea mihi cogitanti, ſimulque rationes, quibus homines Deum eſſe videant, memoria repetenti, ratio quedam occurrit, quae cum nova, tum firma ſatis, & efficax viſa fuit, per quam videlicet ex eodem ipſo naturae lumine nobis indito, ſummam quamdam, ac neceſſariam Sapientiam ac proinde ipſum Deum, exiſtere, intelligamus. Sed cum ea ratio non ſatis huic loco apta videri poſſet, eam aut omnino, aut ſaltem in tempus omittere decreveram: niſi poſt Lectoris mei benignitati, atque humanitati magis confidere voluiſſem. Etenim ſi non modo poëtis, ſed & oratoribus, & hiſtoricis tam facile conceditur, atque tam ſaepe, ut ab argumento ſibi propoſito divagentur, cur & eamdem aliquando mihi licentiam conceſſum iri non ſperem?

Itaque rationem illam hoc modo propono. Aut aliquid eſse dicendum eſt ſine ratione ſufficiente, aut lumen illud a ſumma quadam, ac neceſsaria, divinaque Sapientia proficiſci; eſse autem quidquam ſine ratione ſufficiente Philoſophi negant: eſse igitur Sapientiam illam confitendum eſt. Ubetius iſta declaremus. Nam ſpinoſiora quaedam lectorem prius ut confiteatur cogunt, quam ut aſsentiatur.

Principio quidem, ſi lumen illud, qualecumque ſit (non enim de natura ipſius eſt hic diſputandi locus) ſi lumen, inquam, illud a vultu ſapientiſſimi Numinis emiſsum, ac *ſuper* mentes noſtras *fuiſſe ſignatum* cum Regio Iſraëlis vate dicamus, ſatis percipimus, quid cauſae ſit, cur dum ipſum ſequimur, neque in ullum labamur errorem, neque vero labi queamus. Ea ſcilicet divina quaedam ratio eſt mentibus noſtris inſerta, quae cum a fonte veritatis, ac ſapientiae dimanet, veritatem, ac ſapientiam ubique ſapit, oppoſi-

tas

tas autem errorum moles aut quatit, aut ſuperat. Ea ſapientiſſimi vox eſt Auctoris naturae, ut aliam comparationem adjungam, qui licet ſe clara in luce conſpiciendum minime praebeat; id enim praemii animis piorum, cum e corporibus exceſserint, in feliciore vita ſervatur; ita tamen loquitur, ut, quos rationis compotes eſse voluit, nullo negotio plurima, eademque utiliſſima diſcant. Nam primo quidem ea principia vel *ἀξιώματα* capiunt, quibus tamquam in ſeminibus humana quaelibet ſcientia continetur, tum ea praecepta, quibus omnis morum honeſtas innititur, tum demum quid homini praeſtandum ſit, ut, ex iis quae novit, conſequentia cernat, cauſaſque rerum cum videat, earum progreſsus, & quaſi anteceſſiones non ignoret, ſimilitudines comparet, ac rebus, quae ſenſibus objiciuntur, adjungat, atque annectat, quae mentis acie colluſtrat. Ita fit, ut homines tam ſapienti magiſterio edocti & facile totius vitae curſum videre poſſint, ad eamque degendam praeparent res neceſsarias, & rationem noſcant, qua regendi animi appetitus, qui tum remittantur, tum contineantur, & non pauci germanae, ſolidaeque doctrinae evadant laude praeſtantes.

Divinum huiuſmodi magiſterium, quod pro eo ut recipitur in noſtris mentibus lumen naturae vocamus, omnes revera agnoſcunt, qui verum fateri Deum non detrectant, licet aliter alii explicandum putent. Quis enim ex eis non ultro concedat aliquid aliquo modo rationem noſtram a divina Sapientia participare, quemadmodum & a Potentia vires, & a Sanctitate honeſtatem, & a caeteris, ut vocare ſolemus, Attributis caetera hujuſmodi? Id autem, amabo, quid aliud eſt, quam dicere, ſapientiam omnem in mentes noſtras, ceu radios a Sole, rivos a fonte, ab illa praeſtantiſſima, ſapientiſſimaque Natura quodammodo derivari?

Atqui ſi Deum de medio ſublatum velis, cur lumen illud vera tamquam vèra, falſa autem tamquam falſa exhibeat, ita ut in nullum inducamur errorem, dum candor

S 2 ejus

ejus omnia perluſtrat, tum vero labamur, cum malignae quaedam, ac dubiae faces ab ejus claritate aberrantes interturbant noſtros oculos, aut a temere praeconceptis opinionibus, aut a ſenſuum inconſtantia trasverſum nos agi ſinimus, ratio nulla ſufficiens neque intelligi, neque eſſe poterit.

Unicum eſſet effugium, ſi quis cum Protagora Abderite clamaret, ut eſt in Platonis Theaeteto = *nullam eſſe abſolutam, & univerſalem veritatem, ſed tantum relativam ... & conſequenter uniuſcujuſque hominis ſenſum, & opinionem unicam eſſe regulam omnis veritatis... Quaecumque alicui videntur eſſe, ea eſſe illi, cui videntur... Omnem viſionem, ſeu opinionem veram eſſe* = Sane philoſophus tam praeclarus, ſi ſibi conſtans eſſe velit, & non aliquando cauſae, quam agit, aut ingenii bonitate vincatur, ſit, ut non modo ſe numquam decipi putare debeat, ſed neque adverſarium ſuum, qui ſibi toto ſpiritu, totiſque lateribus contradicit. Hujus igitur opinionis levitas, aut ſtultitia potius, cum ſatis ipſa ſe prodat, non deſiderat orationem meam.

Negat etiam Cudworthus dignum eſſe, quocum ſermones miſceamus, hominum genus, abſtractas, & generales rerum notiones, & rationes, circa quas lumen illud vel unice, vel praecipue verſatur, nihil eſſe ſtatuentium, quam mera vocabula, quibus nulla ſubjecta poteſtas eſt. In opinionem adeo abſurdam venerunt Materialiſtae non pauci, cum ſibi perſuaſiſſent, omnem intelligentiam noſtram nihil aliud eſſe, quam ſenſationem a rebus corporeis excitatam. Quid unquam ſtultius dici, vel fingi potuit? Interim illud & inviti tam vecordes homines agnoſcant oportet, aliquid eſſe luminis a natura nobis impertitum, quo ſcilicet inter ea, quae ſenſus ipſi nuntiant, dijudicare poſſimus, & alia tamquam vera agnoſcere, alia tamquam falſa rejicere (quis enim neſciat a ſenſibus non ſemper vera nuntiari?) tum multa declinanda, licet ſenſus alliciant, contraque multa, quae illi refugiant, aut minime curent, nobis comparanda

pute-

putemus, atque excolenda. Iſta qui neget non ego eum cum hominibus inſanientibus comparo, ſed ſimillimum brutis animantibus judico. De hoc autem lumine omnia fere dici poſſunt, quae & diſputata modo ſunt, & diſputantur a nobis.

Jam enim refellendi veniunt qui non magis illa quidem vera, ſed aliquanto minus abſurda in medium afferre poſſent. Dicent enim, opinor, ut lumine praediti ſimus, cujus ductu veritatem aſſequamur, in naturae noſtrae neceſſitate poſitum eſſe (*a*). Si res tamen ita ſe habet, quis non

(*a*) Commentum hoc ratione illa etiam refutari poſſet, quam Auguſtinus *in lib. de libero arbitrio* ſubtiliter excogitavit = *Quapropter*, inquit, *nullo modo negaveris eſſe incommutabilem veritatem, haec omnia, quae incommutabiliter vera ſunt, continentem, quam non poſſis dicere tuam, vel meam, vel cujuſvis hominis... ſed omnibus incommutabiliter vera cernentibus, tamquam miris modis ſecretum, & publicum lumen praeſto eſſe, ac ſe praebere communiter. Omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus, atque intelligentibus praeſto eſt, ad illius eorum proprie naturam pertinere quis dixerit?* = Conſonat his ejuſdem Auguſtini doctrina *L. VIII. de Civit.* C. 9. ſcribentis, Deum unicuique habenti rationis uſum eſſe = *lumen rerum cognoſcendarum* =. In his, aliisque ſimilibus haud equidem Malebranchii ſententias agnoſco. Potius in eadem Auguſtini doctrina demonſtrationis eius enucleata ſemina video, quam prae caeteris Philoſophis, niſi fallor, Cl. Joannes Hookius (*Rel. Nat. T. I. P. I. S. I. de Exiſt. Dei Arg.* 10.) adornavit, atque promovit. Jubet ille, ut quasdam rationes rerum, ipſamque veritatem concipiamus, ut quid *aeternum, infinitum, immutabile, neceſſarium, & univerſale*. Tum ſubdit = *In veritate, in rationibus his aeternis, & immutabilibus poſita eſt omnis ars, & ſapientia: & arte, ac ſapientia omnia conſtituta ſunt .... Nihilne ergo erit illud, quo cuncta conſtant, atque fundantur?* = Id etiam ex eo philoſophus egregius confirmat, quod nihil veritate pulchrius, aut amabilius, nihil ſapientia illuſtrius, aut clarius, viri omnium aetatum, temporum, civitatum ſapientiſſimi judicaverint. Deinde probat, ſicut res illas in ipſa natura exiſtere dicimus, de quibus corporei noſtri ſenſus idem omni tempore teſtimonium tulerunt; idem de iis aſſerendum, quas intimi ſenſus, & intelligentia ipſa repraeſentat. Rationem vero ita concludit. = *Quidquid reale, & poſitivum eſt, vel eſt ſubſtantia, vel ſubſtantiae modus: ergo infinita, aeterna, immutabilis, & neceſſaria veritas vel eſt ſubſtantia, aut alicujus ſubſtantiae modus. Subſtantia autem illa quaecumque ſit, aeterna, infinita, & immutabilis eſt, ejuſdem nempe generis, cujus eſt veritas, quae in ipſa*

Digitized by Google

non conſequi videat, noſtram id ferre naturam, ut vera nos diſtinguamus a falſis? Rogo jam utrum omnia, an aliqua tantum? Aliqua dicent opinor. Quid autem haec potius, quam illa? Haec ſola videlicet, ut corpora noſtra, vitamque tueri, ut ad honeſtatis regulam noſtros componere mores, ut felicitatem, quò omnes duce natura vehimur, conſequi aliquando poſſimus, nobis omnibus innoteſcant, & clara quidem, evidentique ſub luce, quae mentis cujuſvis oculos feriat, innoteſcant oportet. Quae vero, cum ad agnitionem animi pulcherrima ſint, tum ad eos fines optime faciunt, vulgo tamen ſine graviore detrimento ignorari poſſunt, paucis quibuſdam, quos ingenio valere dicimus, praeſertim ſi diligentia non deſit, quae mentis, ut ita dicam, fores latius aperiat, vividiore quodam illuſtrata ipſius naturae lumine pateſiunt. Ita fieri videmus, ut neque homines unquam deſint, excellentes, atque praeſtantes, qui caeteros ſua ſapientia juvent, neque vero plerique contemplandae ſtudio veritatis illecti, militiam, aut alia munera, quibus publica continetur ſalus, aut eas praecipue artes, quae tantum vilia quaedam moliuntur, atque minuta, ſequi detrectent, cum maximo Reipublicae incommodo. Caetera quidem omnia, quae utrum ſciamus, nec ne, ad eos fines nihil refert, vel ſi quid refert, quemadmodum ex ſeminibus terrae commiſſis tot plantarum genera prodeunt, ſeſeque paulatim in auras explicant, ſic ipſa in illis contenta principiis, adhibito labore, & induſtria enucleari poſſunt; ut nos diſtinctius, atque luculentius edoce-

ce-

ipſa fundatur. Subſtantiam certe finitam, recentem, contingentem, particularem, mutabilem fundamentum eſſe modi infiniti, aeterni, univerſalis, neceſſarii, & immutabilis repugnat =. Alia multa in hanc rem congerit Hookius demonſtrationem eam ab objectis adverſariorum vindicans, quae apud ipſum videre potes. Nobis quidem, dum ea, atque alia omnia Hookii perlegimus, laus illa Clariſſimo Viro a docto homine tributa videri veriſſima ſolet, quod videlicet = *vim omnem Theologiae naturalis explicat (in 1. parte operis) tanta brevitate, perſpicuitate, prudentia, ut nihil in dubium poſſit revocari &c.* = Ita Jo. Baptiſta Paſquali ad calcem 1. *Partis Rel. Nat. Hook.*

ceret non admodum ſollicitam videmus fuiſſe naturam.

Iam ego in hoc toto negotio, quod naturae magiſterium recte quiſpiam appellaret, ſapientiam, eamque maximam agnoſco. Num tibi praeceptorem nihil ſapere perſuaderi poſſet, e cujus ſchola, tamquam ex equo Trojano, Viri in omni ſapientia principes extitiſſent: quos vero militiae, vel reliquis artibus potius, quam litterarum ſtudiis vacare, publica ſalus expoſceret, brevi e ſchola ſua iis monitis inſtructos dimitteret, quibus & totum vitae curſum ſapienter moderari, & doctiorum ſapientia magis in dies proficere facillime poſſent? Num vero recutitus ille Spinoſa, qui tanti ſuum faciebat ingenium, ut *modum* divinae Mentis eſſe diceret, ad erudiendum populum, qui nihil omnino noſſet, poſſet autem ipſo docente noſcere, aptiorem aliquam, vel utiliorem, expeditioremque μέθοδον adornaret? Iam ſi caeca quaedam, ac nemini parens naturae neceſſitas ea praeſtare dicatur, quid eſt, quod tam ſapienter illa ſe gerat, cum neque alieno ipſa conſilio regatur, neque ſuo? Eo enim dementiae non venies, opinor, ut neceſſitatem eam naturae noſtrae ingenitam ſuo ipſam arbitreris agi conſilio. Cum enim illa nobis innata ſit, imo ut verius loquar, nec diſtinguatur a nobis, antequam vera illa, quae ſunt tamquam cognitionum ſemina, nobis innoteſcerent, ipſam conſilii, ſapientiaeque arcem attigiſſe videremur.

Neque eſt, cur Spinoſa clamet, cauſas, quas finales dicimus, univerſas a natura ablegandas eſſe; ſaltem donec aliquam adeo incredibilis pronunciati rationem attulerit. Ut enim alia omittam a philoſophis hoc loco graviſſime tradita, quis non animadvertit, eum, qui naturae opera contemplatus aptiſſimum finem invenit, ad quem ordinari potuerint, quin ad eum revera ordinata ſint, non ambigere? Verum enimvero ambigeret, idque ſapienter, niſi cauſas finales in naturae operibus eſſe agnoſcendas, natura ipſa nos edoceret. Oculum ſane cujusvis animantis, ut hoc utar exemplo, ad videndum, non autem ad audiendum eſſe diſpo-

ſpo-

ſpoſitum, is demum negaverit, qui aut oculis captus quid ſit ipſa viſio numquam perceperit, aut adeo fuerit inter homines truncus, ut ſtructuram ipſius oculi, mirabilemque vel minimarum ordinem partium, quibus ille componitur, non ſatis animadverterit. Quis autem plane non intelligit, ſi nulli ſint a natura fines rerum intenti, illud conſequens eſſe, ut quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana ſagaci conſilio temperata perficeret, ideoque artium omnium, quibus humana vita aut ornatur, aut juvatur, aut regitur, inventa, ipſis naturae operibus longe praeſtabiliora, & admiratione digniora eſſent? Quod enim conſilio perficitur, & ad finem aptatur, multo pluris aeſtimatur, quam id, quod nihil tale praeſeferat. In eo enim ſolo ratio quodammodo elucet, qua nihil pulchrius, nihil poteſt eſſe praeſtantius. Eſſe autem homines, qui nihil in omni mundo melius eſſe, quam ſua opera putent, deſipientis arrogantiae eſt. Quae cum ita ſint, non poteſt contra noſtram rationem Spinoſae capitalis error urgeri; ut, cum nihil fiat propter finem in ipſa natura, lumen illud, de quo loquimur, quamvis tot rebus, tam utilibus, atque tam miris cognoſcendis aptiſſimum, non tamen ad hunc ipſum finem a natura datum eſſe videatur.

Sed eſt alia via, qua rationem eamdem contra hoſtes divinae Sapientiae promoveam. Noſtrae videlicet mentes externa omnia, quae vera dicimus, non ipſa in ipſis, quae ſint, & qualia, perſpiciunt, ſed notionum illarum, quae proveniunt a ſenſibus, aut ab ipſa intelligentia eliciuntur, ope cognoſcunt. Iam inter notiones noſtrarum mentium plurimae ad res externas ita conformantur, ut quales illae ſint fideliter enuncient. Plurimae vero ſunt prorſus abnormes, & hippocentaurum aliquem, aut aliquam inter veriora chimaeram exhibentes facillime incautos decipiunt, fallunt, in fraudem inducunt. Res porro ita contingit, ut, cum apud Arioſtum tam ſaepe Magi neſcio qui munitiſſimas arces, aureaſque domos, aut amoena viridaria puro in aëre pin-

pingunt, attonitaſque mortalium mentes ludificant.

Porro autem niſi Pyrrhonicus, hoc eſt omnino mentis expers haberi velis, afferas oportet, quid nobis omnino tenendum ſit, ut veraces notiones, atque fallaces internoſcamus. Qua quidem in quaeſtione inter philoſophos verborum eſt non parva, rerum vero non ita magna diſſenſio. Huc enim omnes tandem reducantur, oportet, ut dicant, quod multae notiones veritatem aſſequantur, quod multae ab ipſa abhorreant, lumine naturae nobis compertum eſſe.

Iam ſi naturae lumen ad illud pertinere dicatur, de quo Regius Propheta canit, nil ultra hoc quidem loco requiram. Sin autem illud non alio ex fonte profluat, quam a caeca neceſſitate, quam nulla mens induxerit, vide quid conſequatur. Cum ea neceſſitas non alibi, quam in ipſa humana fundetur natura, ut recentiores Athei dicunt, ſi tamen ſententias ipſi ſuas intelligunt, imo reapſe divelli ab ipſa natura, & diſtingui non poſſit, veriſſime dicetur, naturam ipſam per hujuſmodi lumen, quaenam habenda ſint inter vera, quaenam inter dubia, vel falſa manifeſto demonſtrare.

At primo quidem, quomodo natura noſtra poteſt veras a falſis ſecernere cognitiones, cum id ipſum cognitionem, eamque clariſſimam expoſcat, de qua eadem redibit interrogatio? Deinde cum pleraque, nobis cognita, humanae prorſus ſint aliena naturae, non potuit, quod jam indicatum a nobis eſt, ipſa natura, ſepoſitis iiſdem notionibus, quae veluti ſpecula totidem rerum externarum imagines exprimunt, facies, ut ita dicam, ipſarum, propria dumtaxat, atque nativa luce illuſtratas, contemplari, ut quaenam ſpecula dicenda eſſent fidelia, quae ſecus, dijudicare poſſet.

Eadem ratio efficit, ut nihil ex rebus ipſis in mentes noſtras, nedum in ſenſus, defluere putemus, quod eaſdem mentes de rebus, quae ſint, ac de rebus, quae non ſint, certiores facere poſſit; niſi forte Epicurus adventum quem-

dam ex rebus, quas intelligere dicimur, & introitum imaginum in animos inducat, homo ſine arte, ſine acumine ullo, ſine auctoritate, ſine litteris, ſine doctrina: qui tamen, ut quidam putant, jocatur in re graviſſima, cum talia profert; tanta ſolet illi eſſe impunitas garriendi. Vellem tamen iſta noſtris temporibus graviſſimi noſtri Philoſophi dicerent. Tantam naturae meae praeſtantiam libenter agnoſcerem. Fieret namque, ut decipi nunquam poſſem. Ex rebus enim, quae ſunt, dumtaxat, in animum meum inciderent imagines: nullae autem eſſent earum rerum, quae numquam omnino fuerunt, ut Scyllae, ut Chimaerae. Tota igitur, ut vides, haec res nugatoria eſt. Unde ergo jam habebit humana natura, niſi aliena, eademque ſumma ſapientia moneatur, atque regatur, quo vel errores, vel fraudes, quibus obnoxia eſt, cavere queat, tutamque proſequi ad arcem veritatis viam? Quae cum per ſe graviſſima ſunt, tum majus etiam dictis pondus accedet, ſi quanta ſit humanae mentis debilitas, & imbecillitas paulo quiſpiam diligentius attendat. Quis enim, niſi deſipiat, ei tantum ſeſe committat duci, qui cum ipſe ſibi relinquitur, facillime vel in omne genus errorum illabitur, vel denſiſſimis tenebris offuſus haeret, greſſuſque continet, niſi certiſſimo labendi periculo objicere ſeſe velit?

Scio quid poſſent ad haec illi reponere, qui magis a recentioribus quibuſdam Graeculis, Philoſophorum nomine non ſatis dignis, quam a Scepticis illis antiquioribus, aut Pyrrhonis a ſchola, de rebus univerſis perpetuo dubitare, hoc eſt cum ratione inſanire didicerint: nempe argumento, quod nos attulimus, non effici, neceſſariam exiſtere ſapientiam, quae lumen tribuere nobis & poſſit, & velit, quo ſcilicet plurimos errores vitare poſſimus; ſed tantum effici alterutrum, nimirum aut eam exiſtere ſapientiam, aut de omnibus eſſe dubitandum; quod & nos profecto non leviter indicavimus. Iam vero ſe de omnibus dubitare: itaque ſe nihil hoc argumento premi.

Hi

Digitized by Google

His ego reſpondeo, me voluiſſe rationem afferre, quae docili poſſet ingenio facile probari, non vero demonſtrationem, quae ſtultos, eoſdemque pervicaces animos flecteret. Stultos autem, ac maxime pervicaces illos eſſe, qui de omnibus dubitare velint, ii maxime ſentiunt, qui cum eis in pulverem hunc eruditum aliquando pugnaturi, ac rationes cum rationibus collaturi, deſcenderint. Praeterea nullam ipſis a me contumeliam irrogari putabo, ſi dicam, quod ipſi jactant, ſe de omnibus dubitare, mihi quidem perſuaderi non poſſe. Quis enim, licet tragico ſit Oreſte, aut Athamante furioſior, in dubium vocare poterit, an totum ſua parte ſit majus, an quodlibet ſit, vel non ſit, atque alia ſimilia; niſi forte, ut Heraclitus ille oculos corporis, ſic ipſe mentis, atque adeo mentem ipſam eruere ſibi potuerit, atque projicere? Deinde cur cibos illi capiunt, cur ſomno membra committunt, cur tantam gerunt valetudinis curam; cum haec omnia fortaſſe non utilitatem, ſed exitium, atque dolorem acerbiſſimum ſint allatura? Hic locus, quam late pateat, facile quiſque videt. Non eſt tamen, cur in eo diutius immoremur, ſi Lectoris ingenio quidquam tribuere velimus.

Itaque jam orationis vela contraho, rationem totam, hoc in capite expoſitam, ſic in pauciora colligens. Si naturam, qua pollemus, divinae Sapientiae, quocumque tandem modo, fieri participem, ideoque ſi Deum exiſtere dicamus, lumen ipſi affulgere, quo vera ſecernat a falſis, nihil eſt, quod jure miremur. Itaque rationem ejus rei ſufficientem invenimus; quamquam alia quaerenda ſuperſunt, quae ad hunc locum proprie non pertinent. Ejuſmodi ratio neque intelligi, neque eſſe poteſt, ſi Deum de medio ſublatum velis. Deum igitur eſſe, ſatis hinc patet, quem vel ipſi ejus infenſiſſimi hoſtes, cum populis univerſis, nec modo humanis, ac doctis, ſed & efferatis, ac barbaris, tandem agnoſcere incipiant, ſi ſalvi eſſe velint, ac vereantur, oportet.

CAPUT XXVI.

Atheorum, quod nullius ſint auctoritatis, cum humani generis conſenſus inquiritur, nullam rationem habendam eſſe.

Cum ſingulis inſipientibus, qui dicant *in corde ſuo, non eſt Deus*, pluſquam centena ſapientum virorum millia, ſingulis ex aetatibus, gentibus, ſectis, imo nationes integras, aut populos opponi facile poſſe viderimus; tum, ſi non magis de hominum numero, quam de vera dignitate contendere velimus, Atheorum, ubi conſenſus humani generis inquiritur, nullam ſentiemus habendam eſſe rationem.

Sane nihil verius eſſe poteſt, quam quod de Atheis ſcripſit Lactantius (*a*) = *illos, qui nullum omnino Deum eſſe dixerunt, non modo philoſophos, ſed ne homines quidem fuiſſe dixerim, qui mutis* (addendum puto *animantibus*, aut aliud ſimile) *ſimillimi ex ſolo corpore conſtiterunt, nihil cernentes animo, ſed ad ſenſum corporis cuncta referentes, qui nihil putabant eſſe, niſi quod oculis contuebantur* = : nempe tales vel ingenio, vel moribus, ut non modo philoſophorum ex albo ſint expungendi, ſed ne cenſendi quidem inter homines, Atheos eſſe docet.

Eadem fere, quae Lactantius, at gravioribus verbis habet Maximus Tyrius, Platonicus ſane nobilis. Nam, ſi qui fuerunt unquam, pauci homines, & abjecti, nullum agnoſcentes Deum, eoſdem veluti ſenſu omni carentes & oculis videlicet captos, & auribus, ſperni debere auctor eſt; iiſdem animum, rationemque defuiſſe, omnemque virtutem, qua poſſent aliquid edere luce dignum, pronunciare non dubitat; ac demum non alias illis inter homines partes eſſe debere, quam inter leones animal ejus generis habere poſſit, neque robore pollens, neque viribus, aut inter boves quod cor-

(*a*) Apud Petav. *Theolog. Dogm. L. I. C. I. p. m. 8.*

cornibus, aut inter volucres quod alis omnino careat. (*a*)

Certe hujuſmodi homines, inter muta potius animantia referendi, numquam efficient, quominus totius generis humani conſenſus in aliqua veritate agnoſcenda conſpirare videatur. Etenim huc omnia vocari debent, quae jam attulimus, cum Porphyrii ſententiam probaremus, ex gentibus nimirum omni immanitate efferatis convicium humanae naturae fieri non oportere.

Unum hic breviter addo, quod omnia, quae diximus eo loco, vel confirmare, vel illuſtrare poſſit; ubi nimirum de Divinitate agitur, non modo inſcitiam, ſed etiam vitae improbitatem officere, quo minus aliquorum hominum teſtimonia magni facienda ſint. Nam, ut alia praeteream, hominum genus in omnia ſcelera effuſum, cum ſupremum eſſe Deum praedicari exaudit, imponi putat in cervicibus noſtris ſempiternum dominum, quem dies, & noctes timeamus. Quis enim, inquiunt, non ſecus ac nobilis ille apud Ciceronem (*b*) Epicureus, non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere

(*a*) Max. Tyr. *Diſſert. XVII. edit. Londin.* 1740. In aliis edition. I. in aliis XIV., monente diligentiſſimo Valſechio; Baylius citat *Diſſert. I. p.* 5. Εἰ δὲ ἐξεγένετο ἐν ξύμπαντι αἰῶνι δύο, πουκαὶ τρεῖς, ἄθεον, ϗ ταπεινὸν, καὶ ἀναισθὲς γένος, ϗ πεπλανημένον μὲν τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἐξηπατημένον δὲ ταῖς ἀκοαῖς, ἐκτετμημένον δὲ τὴν ψυχὴν, ἄλογον, ϗ ἄγονον, καὶ ἄκαρπον, ὡς ἄθυμος λέων, ὡς βοῦς ἄκερος, ὡς ὄρνις ἄπτερος. Cum his Lactantii, Maximique ſententiis ea mirifice conſentiunt, quae ſcribit Auctor Gallus optime noſtris hiſce temporibus de Religione meritus, videlicet Bergierius *Exam. du Mater. &c. Tom. I. Ch. XVII. §. VII. p.* 424. = *L' Athéiſme aura donc parmi nous le même ſort, que chez nos voiſins, d' où il nous eſt arrivé. Lorſque les Athées commencerent à s' y montrer, ils cauſerent un moment de ſurpriſe, comme ces animaux rares dont l' eſpêce n' etoit pas encore connuë: a force de les voir & de les entendre, on s' eſt accoutumé à les mépriſer, on a fini par les déteſter, & la Religion nationale n' a rien perdu de ſes droits* = De hoc eodem argumento vide inter recentiores Rapinum (*Comparat. de Platon, & d' Ariſt. ch. dernier*) a quo tamen Atheorum numerum magis imminui, quam veritas habeat, Atheorum patrono Baylio, de hac re conquerenti, non inviti concedimus. Vide etiam immortali memoria dignum ſcriptorem Antoninum Valſechi De' Fondamenti &c. *L. I. C. IX & alibi*.

(*b*) *Lib. I. de Natur. Deor.*

nere putantem, curioſum, & plenum negotii Deum? Ita illi loquuntur, quod exploratum habeant, ſi Deus ſit, ſcelerum ſuorum vindicem eſſe futurum, & ideo fore ſe tum in maximis, tum in aeternis cruciatibus. Quare, quem non eſſe maxime cuperent, ab animis ipſi ſuis, ut nullum eſſe putent, impetrare laborant, & aliquando impetrant. Quae cum ita ſint, nemo jam non videt, quanto magis eſt aliquis improbus, tanto magis ejus teſtimonium, dum quaeſtio vertitur, an exiſtere Deum ipſa natura moneat, reddi ſuſpectum, ideoque non eſſe facile recipiendum.

Probi autem homines, & honeſti, amant quidem eſſe Deum, ut jam hic ſtultam Baylii reſponſionem amputem, etiam quod ſibi propitium fore confidant. At quod confidere poſſint, benefacta praeſtant, quibus ejus benevolentiam ſibi promerentur. Ratio autem potiſſima, quare benefaciant in omni vita, eſt quod exiſtere Dominum totius humani generis, qui iuſta praecipiat, qui ſit quovis honorum genere colendus, qui bonis hominibus bona largiatur, improbos autem poenis, atque ſuppliciis, vivos, mortuoſque mactare poſſit, ac velit, ſibi firmiſſime perſuaſerint. Non eſt, cur in hanc veritatem Baylius obganniat. Ipſa nos eam experientia docet; ipſi, cur credamus eſſe Deum, rationem in eo poſitam non eſſe, quod aliquem exiſtere cupiamus Deum, facile ſentimus; ipſi, ſi quidem honeſtatem ſequimur, & amamus, ex quo fonte profluat amor ille, novimus. Itaque proborum hominum teſtimonia ſunt in ea quaeſtione, quam diximus, attendenda vel maxime. Accedit, ut idem concludamus, quod homines probi ſuos animi ſenſus ingenue patefaciunt; non item improbi, quibus nihil ſolemne magis eſt, quam ut aliud ſentiant, aliud loquantur. Accedunt alia, quae brevitatis amor ſuadet, ut relinquamus, cum ab ingenuo, perſpicacique lectore facile poſſint adverti.

Iam ergo videre praeſtat, an ea, quae de moribus, & ingeniis diximus Atheorum, non modo barbaras in gentes,

tes, de quibus alibi locuti ſumus, ſed etiam in eos, qui omni humanitate, atque elegantia politi videri voluerunt, optime cadant.

C A P U T XXVII.

Mores Atheorum habendos eſſe corruptiſſimos Graeci, ac Latini veteres, doctique recentiores tradunt; quibus teſtibus, non autem Atheorum laudatori Baylio, ſtandum eſſe demonſtratur.

PRincipio quidem aliqua de moribus Atheorum adnotemus. Etenim ſcriptores omnium aetatum, neque modo Chriſtianae Eccleſiae Doctores, ſed & Ethnici Oratores, atque Philoſophi ſaepiſſime teſtantur, quanta ſit in peſſimis id genus hominibus *cordis corruptio*, quanta in moribus ipſorum, totaque vita ſit foeditas. Singulos huc teſtes ſtudioſe colligere ſupervacaneum videtur, cum integras potius nationes, eaſdemque florentiſſimas, anteſtari poſſimus (*a*).

Sane Graecos, Ethnica ſuperſtitione laborantes, peſſime de moribus Atheorum ſenſiſſe, vel ex eis conſtat, quae protulimus, cum, quinam Athei vulgo dicerentur, explicaremus. Etenim cum Spanhemio docuimus, qui magnis ſeſe ſce-

(*a*) Cl. Bergerius (*Exam. du Material. Tom. II. Ch. XIV. §. II. p.* 422) ſapientiſſime ſcribit, quae ſubdimus = *On ne doit donc pas etre ſurpris de l' anathême au quel toutes les Nations ont dêvoué les Athées, de la haine, qu' elles ſemblent leur avoir jurée, de l' indignation que ce nom ſeul excite dans tous les hommes. Vainement cette eſpece de Philoſophes, que la Nature forme de temps en temps dans ſa colere, s' ecrient qu' ils ſont les bienfaiteurs du genre humain; mille voix raſſemblées a l' inſtant repondent qu' ils en ſont les empoiſonneurs, & les ennemis &c.* = Quid quod Mirabodius ipſe Atheorum noſtri temporis facile princeps, Atheos a gentibus omnibus odio haberi teſtatur? quod profecto non eſſet, ſi probos homines, & honeſtos in Atheorum eſſe numero arbitrarentur. At Mirabodii verba audiamus (*Syſt. de la Nat. Tom. I. Ch.* 13. *p.* 399.) = *Le Diſciple de la Nature eſt communement reçu de ſes concitoyens de la même maniere que l' Oiſeau lugubre de la nuit, que tous les autres oiſeaux, des qu' il ſort de ſa retraite, pourſuivent avec une haine commune & de cris differans* =

ſceleribus inquinaſſent, Atheos praeſertim ab Atticis Poëtis vocitatos fuiſſe. Cum igitur ii praecipue, qui fabulas populo dabant, ea dicerent, quae populo etiam auctore probari poſſent, ſatis inde liquet, Atticos tum vulgo ſenſiſſe, maſculae improbitatis homines ſimiles Atheis habendos eſſe, vel pares: quod profecto abſurde poſuiſſent, ſi probos, & honeſtos homines, ac virtute florentes, licet in re magni momenti deceptos, eſſe in Atheorum numero putaviſſent. Equidem neſcio an Graecorum natio, ſapientiſſima omnium temporibus illis habita, quos Atheos arbitrabatur, ut Anaxagoram, Socratem, Diagoram, atque Protagoram, igni ferroque, non ſecus ac patriae proditores, perſecuta eſſet, niſi maximam rei publicae perniciem ab impiis ipſorum doctrinis imminere judicaſſet. Id vero ſi judicabat, impiam doctrinam ſentiebat non in quodam ſterili, ut ita dicam, errore poſſe conſiſtere, ſed cum vitiorum, ſcelerumque maximorum foeda colluvie neceſſario fore conjunctam. Hoc ipſum ſatis indicat, honeſtatis, ac ſanctitatis amantes homines, inter Atheos (Atheos enim plures jam tum extitiſſe, Platonis teſtimonio (*a*) diſcimus) nullos ad ea tempora, vel fere nullos inveniri potuiſſe.

Eadem, quae Graecorum, mens Romanorum fuiſſe videtur, cum diligentius urbem religione, quam ipſis maenibus cingerent (*b*). Sane quod illi maxime impios, ac flagitioſos homines eſſe, qui crimen admitterent **Ἀθεότητος**, perſuaſum haberent, ſignificat, ut innumeros alios praeteream teſtes, C. Cotta; cuius vel dicendi copia, vel diſſerendi ſubtilitas in libris Ciceronis de Natura Deorum ab Epicureo Vellejo, & a Stoico Lucilio, tot laudibus extollitur. Is enim cum in Athéorum numerum inquirat = *Quid enim*, inquit, *de impiis, perjuriſque dicemus.*

. . . . . . *Tubulus ſi Lucius unquam,*
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius . .

ut

(*a*) *Lib. X. de Leg. 6.* (*b*) Apud Dion. *L. LII.* Mecaenas Atheos Magis aequat.

ut ait Lucilius, putaſſet eſſe Deos, tam perjurus, aut tam impurus fuiſſet? = Hujuſmodi argumentum a Cotta prolatum facile diſſolvi poſſe video, cum ſit veriſſimum illud Ovidianum.

. . . . . . Video meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

Inter eos etiam, qui ſanctiſſima Chriſtianae Religionis δόγματα profitentur, tot millia latrocinantur, aeterna morte propoſita, nonnulli non modo domos, ſed ipſa, ſi poſſunt, fana compilant, plures demum quidquid avaritia in rapinis, crudelitas in ſuppliciis, ſuperbia in contumeliis, luxuria in flagitiis efficere poſſit, admittere conſueverunt. Sed neque ipſius Cottae auctoritati valde inſiſtendum puto, contra omnia probabiliter dici poſſe affirmantis. Illud me vel maxime movet, quod perſpicax Ciceronis ingenium, dum Cottam, cui plurimum in eo ſermone tribuit, ita differentem facit, aperte ſumit, quod volumus; & quidem ita ſumit, ut veritatem, quae in dubium a nemine vertatur, aut unquam verſa fuerit; Impiam videlicet vitam Atheorum iis ſeſe ingurgitare ſceleribus, a quibus tantum abſtinere conſueverint, quicumque Divinitatem ipſorum ſcelerum vindicem, & fateantur, & colant. Si Tullius aliud ſenſiſſet, non illa ſuſpicio aptae, quam dedimus, reſponſioni obnoxia, ſed, quod de tanto ingenio nemo dixerit, omni prorſus probabilitate, ſeu ſpecie veri, carens ratiuncula videretur.

Ex Recentioribus autem ſcriptoribus nihil neceſſe eſt multos afferre, qui Atheorum improbitatem exagitent. Quis enim inter eos (ſi paucos quoſdam aut Atheos, aut Atheorum patronos excipias) Paulo Segnero non conſentit diſerte affirmanti (*a*), neminem in Ἀθεότητα prolapſum eſſe quin, vitiis omnino corruptus, depravatuſque fuerit?

 Quis

(*a*) *Incred. ſenza ſcuſa P. 1.* Eadem fere Perſonius *Guida degli Uomini alla ſalute ec.*

Digitized by Google

Quis Bentleyum non probat, cum aperte negat Atheum vel unum, ſi ſibi conſtans eſſe velit, & non aliquando naturae bonitate vincatur, aut bonum amicum, aut bonum Patrem eſſe, aut virum, aut civem? Quis temeritatis Bruyerum arguit, Atheos, ac reliquos Religionis hoſtes laceſſere non dubitantem, ut vel unum proferant, hominem, qui ſuas moderari noverit animi perturbationes, qui caſtitatem, & innocentiam morum, qui juſtitiam, aequitatemque coluerit, ac Religioni tamen bellum indixerit? Quis Bergierium non laudat, qui nuper ſcripſit, nullum ab Atheis froenum injici animi perturbationibus, imo non aliud ipſorum ferre doctrinam, niſi ut iiſdem perturbationibus, ac vitiis habenae permittantur? Quis ea non omnino probat, quae ſcripſit in eaſdem fere ſententias Hugo Grotius, vir ſane magnus, & aetate quidem illa, qua ſcripſit, nemini vel ingenii, vel doctrinae gloria ſecundus? (a) Ait autem, inter caetera, peſſimam opinionem, quod nulla ſit Natura divina, non aliis ex fontibus manare unquam potuiſſe, quam = *aut ex ſtudio novitatis, quali tenebantur, qui nivem atram eſſe contendebant, aut ex mente corrupta, ſicut vitiato palato res non, ut ſunt, ita ſapiunt: praeſertim cum & hiſtoriae, & alia ſcripta doceant, quo quiſque fuit probior, eo diligentius ab ipſo cuſtoditam de Deo notitiam* = Deinde ſatis apto probat argumento = *a pravo ingenio eorum maxime, quorum intereſt, ne quis ſit Deus, id eſt, humanarum actionum judex, venire hanc a tam recepta antiquitus ſententia diſceſſionem* = Hactenus Grotius, cui ſubſcribo.

At ſcio, quo ſe vertere poſſit, qui nobis Atheorum caſtigantibus improbitatem adverſari velit. Dicet enim, quos citavimus, aut citare poſſumus, teſtes omnes eſſe ſuſpectos quod aperti ſint Atheorum hoſtes, & odio quodam impiae doctrinae incredibili teneantur: Baylium contra, virum egregium, cujus magnum ingenium, atque magnarum rerum ſcientiam nunquam contemnere viſi ſumus, longe alia ſen-

(a) *De Ver. Rel. Chriſt. Lib. I. p. m. 41.*

ſenſiſſe de moribus Atheorum, non ſane omnium, ſed profecto plurium; neque vero difficile eſſe ſcriptores a Baylii praeſertim aetate quoſdam invenire, qui ſententiam ejus hac etiam in re ſequantur.

Id qui nobis objiciat, dummodo ſit veritatis cupidior, quam contentionis, ille ſic habeat. Teſtes, quos produximus, Atheos odio proſequebantur, propter impietatem, ac vitia, quibus eos non modo religionis, ſed & reipublicae jugulum, ſi poſſent, petituros eſſe videbant, non autem vitiis eſſe mancipatos fingebant, quod eoſdem odio proſequerentur. Hoc enim ſi dicamus, non modo Eccleſiae Patribus, atque Doctoribus, qui deſpiciuntur ab impiis, ſed & integris fere gentibus, ac nobiliſſimis fere omnium aetatum Auctoribus, calumniae dicam ſcribamus, oportet, quod ſummae cuiuſdam temeritatis eſt, atque ſtultitiae. Neque vero illos omnes fuiſſe deceptos, facile poteſt intelligi. Nam de moribus loquuntur eorum, quibuſcum ipſi verſati fuerant, aut ab iis, qui cum iiſdem verſati fuerant, utcumque cognoverant. Quod ſi forte ſcriptoris unius, aut alterius diligentiam deſiderare non ſine ratione poſſis, idem tamen, ſi velis univerſos negligentiae, vel erroris, nulla ſatis certa ratione prolata, damnare, non aliud ages, quam ut a ſapientibus inſanus habeare, vel ſuperbiae cujuſdam intolerabilis ipſe damneris.

Alia facile poſſent afferri, quibus, ut nulla ſit vel de fide, vel de diligentia illorum, qui maxime improbos Atheos eſſe teſtantur, admittenda ſuſpicio, confici poſſet. Nam & adverſarios habent illi, quos tam parum metuere ſoleant, ut a fictis criminibus objiciendis longe abſint; & ſi Caſſianum illud, *Cui bono fuerit*, hac in cauſa adhiberi velimus, facile videbimus; Baylii ſane plurimum, ut omnes fere Athei maxime improbi non putentur, at ſcriptorum noſtrorum, ut putentur, cum tot ad eos coërcendos aptiſſimis argumentis abundent, non multum intereſſe.

His tamen, aliiſque omiſſis videre praeſtat, qua polle-

re debeat, apud aequos rerum aeſtimatores, auctoritate, praeclari Atheorum laudatoris, quem Scriptores quidam hac aetate ſane minuti deſcribere ſolent, ipſius nimirum Baylii, teſtimonium. Nihil hic de doctrina dicam; tametſi in Sophiſta Pyrrhonico & multa reprehenderimus hactenus, & multo plura reprehendere poſſimus (a). Aliqua potius de celeberrimi Scriptoris improbitate notemus; praeſertim cum a multis ille non modo patronus habeatur Atheiſmi, ſed peragatur etiam criminis ejuſdem reus. Loquere, ut te videam, Socrates ajebat. Ejus igitur ſcripta pervolvat, qui cupiat, qualis ille fuerit, agnoſcere. Obſcoenis adeo narrationibus, jociſque ſcatet, ut ob id etiam ejus ſcripta impuriſſimo noſtrorum Incredulorum gregi ſemper in deliciis fuerint, ſemperque futura ſint (b). Saepius quod uno in loco affirmat, in alio negat; (c) quare videtur in alterutro non ex animo loqui, aut temere certe loqui, rebus non illa, qua decet eum, qui docendos ſuſcipiat homines, maturitate perpenſis. Itaque neſcio quid in mentem venerit impio non minus, quam eleganti, aetatis noſtrae poëtae, cum Baylium etiam ex eo laudavit, quod ipſe ſibi non raro bellum indicere videatur. At quid de Baylii mendaciis ſolliciti ſimus, cum ejus ſcripta legenti dubium eſſe non poſſit, quin acerrimus ille fuerit veritatis inimicus, nihilque curaverit aliud, quam ut rebus, etiam in clariſſima luce poſitis, tenebras offunderet? Quo quid turpius, ac philoſopho indignius excogitari poteſt? Quid etiam ab honeſti hominis fide magis alienum, quam contra Regem ſuum ſcribere, quem etiamſi non timere poſſit, ſemper tamen colere debeat, atque vere-

(a) Vid. *Lettr. Critiques &c. de Monſ. Gauchat Tom. V. Lettr. 49. p.* 131.

(b) Vid. de hac re praecipue Jacob. Bernard. *Nouvel. de la Rép.* 1707. *a.* 1. & Bruckerum *H. Crit. To. IV. P. II.* in Baylio *p. m.* 601. *&* 602.

(c) Optime ſcripſit Cl. P. Alphonſus Niccolai (*Ragion. ſopra la Relig. Vol. I. Rag. V. p. m.* 92. = *Non è agevole a compilare un buon volume, che nella fronte porti le contraddizioni del Bayle? Egli le ha per coſtume, e per diletto, e ſi fa dell' infamia un vanto. Voi le incontrate dovunque aperto vi venga ec.* = Vide alia apud ipſum in eodem Sermone.

feri? Ille tamen Gallis parentibus in Gallia natus, atque educatus, & ab ea, tantum quod ſemel ejuratam haereſim iterum profeſſus fuerit, expulſus, Chriſtianiſſimos Reges non modo ſuggillat, & carpit, verum etiam aliquando (*a*) Turcarum immaniſſimis Tyrannis comparare non dubitat. Tacitus praetermitto quaedam ab adverſariis aliquibus objecta Baylio, neque tamen ſatis probata, ut quod Juraei thalamo fuerit iniquior, (*b*) ut quod partes adverſas illis tutatus fuerit, a quibus exul receptus, et inſignibus fuerat beneficiis ornatus, (*c*) ut quod religionem illam, ſive ſectam, cui ſeſe addictum vel maxime praeſeferebat, veritus non fuerit inſigni libello proſcindere. (*d*) Ad certiora, atque gra-

(*a*) Vide e. g. opus, cui titulus *Penſées diverſes ſur la Comete*. In ipſo Capitum Syllabo invenies titulum: *Que les Grands Seigneurs de France &c.*

(*b*) Vid. Weiſmannum *Hiſt. Eccl. T. II.* quem citat Bruckerus, illi tamen narrationi fidem non habens, quod amici ipſius Baylii caſte illum, & continenter vixiſſe tradiderint; quod argumenti genus, praeſertim eum Baylius tam impurum in libris ſuis ſeſe prodat, quanti faciendum ſit, aequo lectori diſceptandum relinquo.

(*c*) Ea vera cauſa fuiſſe plerisque videtur, quamobrem publico docendi munere fuerit a Batavis privatus, ac de ſuae dignitatis gradu dejectus. Sed tum in hoc, tum etiam in alio crimine, quod huic ſubjicimus, non cauſam nos probamus, quam ille prodidit, verum ſimulationem, atque perfidiam, quae ne ad optimas quidem cauſas juvandas ab homine virtutis, & honeſtatis amante debeat afferri.

(*d*) Libellus, quem innuimus, eſt ille, cui titulus „ *Avis important aux refugiez ſur leur retour prochain en France 1690.* „ Cum in Baylium ob ſcriptum illud maximae turbae concitatae eſſent, ſuum eſſe foetum conſtanter negavit. At plurimi Viri docti noluerunt eidem hac in re fidem habere, cum & liber ille Baylii non obſcure notiſſimum referret ingenium, & interrogatus Bibliopola, qui librum imprimendum curaverat, a Baylio ſe illum accepiſſe candide teſtatus eſſet, & qui Typographi praefuerat erroribus emendandis Baylii manum in authographo ſatis agnoviſſet. Jam quae ſunt in eo libro cum ſtudio vel minimo Religionis, quam vocant, Reformatae componi non poſſunt. Nonne igitur improbus, atque adeo impius, qui & cum ea ſcriberet, & per multos annos, poſtea quam ea ſcripſerat, eidem adhaerere, tamquam Sanctiſſimae Religioni profeſſus eſt? Sane non video, qua ratione poſſint ipſi Spiritus, ut ajunt, fortes hac in re Baylii fidem, atque honeſtatem animi tueri. Nam aut in eo reprehendere debent, quod fallacem Sectam veluti Deo placitam Religionem amplecti ſe diceret, aut in eo, quod contra Religionem tam multa, atque tam gravia ſcripſerit, quam veracem, atque Deo placitam eſſe arbitrabatur.

graviora tranſeo. Contra naturalem, ac revelatam Religionem ita ſcribit, ut multo magis impiam voluntatem ſuam, quam optimam intelligentiam fuiſſe Religioni contrariam, non obſcure demonſtret. Nam quae monumenta ille riſiſſet, ſi alia quavis in quaeſtione proferrentur, proferre ipſe non dubitat, & peſſima quidem fide vel mutilata, vel corrupta ad Religionem exterminandam. (*a*) Jam de Sophiſmatibus, quae contra religionem ſtudioſe texit, & inſoluta relinquit, ac de laqueis univerſim, quos callidus veterator incautis lectoribus tendit, longum eſt dicere. Ea ſcilicet arma revelatae Religionis hoſtibus ille ſuppeditat, ut potiori jure, quam Philoſophos olim Tertullianus, Incredulorum noſtri temporis *Patriarcham* appellare poſſimus. Dicit quidem aliquando Baylius a ſe tam multa ſcribi, quae Chriſtianae fidei myſteria convellere videantur, ut vel hinc humanae rationis debilitas appareat, atque hinc nimirum *captivare* diſcamus *intellectum in obſequium fidei*. Hanc vero potiſſimam cauſam praetendere ſolebat, cum bonis omnibus indignantibus, ita Manichaeorum contra Dei Providentiam, atque Bonitatem argumenta exornaret, urgeret, atque proveheret, ut omnes peſſimae ſectae patronos, qui ſive antiquis illis, ſive recentioribus aetatibus extiterint, facile ſuperaverit.

(*a*) Qui ſit in legendis Baylii libris verſatus, veriſſima eſſe videbit Nonnottii verba (*Les Erreurs de Voltaire To. 2.*) = *Bayle combat quelquefois avec ſuccès pour certains points de la Religion. Mais il tourne plus ſouvent ſes armes contre elle. Sès declamations contre le Gouvernement, les Miniſtres, & les dogmes de l' Egliſe Catholique ſont toujours violentes; ſes critiques ſur cette matiere toujours ſeduiſantes, ou par les ſophiſmes, qu' il preſente, où par les citations, dont il accable. Les temoignages contre les Catholiques ſont entaſſés avec affectation, & preſque toujours admis ſans examen. Ceux qui ſont en leur faveur, ſont ſupprimés, ou diſcutés avec la déſiance la plus outrée. Il n' y a que des hommes bien inſtruits, & d' un bon eſprit, qui puiſſent le lire ſans danger* = Magnam operam in plurimis Baylii fraudibus detegendis, dum Religionis jugulum petit, hic non inſumimus, quod id egregii Viri praeſtiterint, quibus omnino ſubſcribendum eſt. Equidem velim, ut ingenuus Lector, qui eas cognoſcere cupiat, non praetermittat aureum opus, quod ſaepe laudavimus, ac ſaepe laudaturi ſumus, Antonini Valſechii ſtudioſe legere.

rit. At nimium *ſeri ſtudiorum* illi ſint oportet, quibus hujuſmodi rationes fucum facere queant. Merito enim illam Baylii reſponſionem non modo rejiciebat, ſed & ridebat, qui tamen humaniſſimus in Baylium fuit, Leibnitius, propterea quod Scriptor copioſus = *rationem ad ſilentium adigeret, cum diu illa impudentiſſime, & procaciſſime adverſus fidem clamitaſſet* = Quid plura? Jacobus ipſe Bruckerus (*a*), qui Roterodamenſi Sophiſtae plus, niſi fallor, tribuere ſolet, quam res, & veritas ipſa patiatur, fatetur hominem pietate in Deum, ac reverentia prorſus exutum, cum egregiis, quibus a natura fuerat ornatus, animi dotibus, peſſimos ad fines abuteretur, ingenii, doctrinaeque gloriam omnino commaculaſſe (*b*). Equidem ab eo longe abſum, ut cujuſquam cineribus injurius eſſe velim. At mei muneris eſſe puto, ut ingentis periculi, quod in ejus lectione ſubeſt, incautos quoſdam juvenes admoneam. Et illi quidem praeſtigiis tantae vel eloquentiae, vel eruditionis, hominis, qui videri poterat, dum pietatis haberet, ac ſanctitatis curam, ad ſcribendum factus, facillime capiuntur; neque enim ſatis advertunt ſaepiſſime callidum Scepticum, non res diu multumque cogitatas, & quodam juſto, ut ita dicam, mentis examine perpenſas, mandare litteris, ſed quod ſtultitiam Pyrrhonis utcumque promovere, quod invidiam Religioni creare poſſet, quod bonae, vel malae, quam prae manibus habebat, cauſae, quocumque tandem modo, ſervire. Iis itaque moribus cum Baylius fuerit, quis jure miretur impiae doctrinae patrocinium ab illo necopinato fuiſſe ſuſceptum, & impios ipſos, maxime Atheos fuiſſe defenſos, atque laudatos?

Com-

(*a*) *Tom. IV. H. C.* ubi more ſuo, copioſiſſime, atque eruditiſſime, in hiſtoria celeberrimi Sophiſtae ſcribenda verſatur.

(*b*) Non poſſunt ipſi Athei nobis objicere, malum hominem Baylium non eſſe dicendum, quod Religionem, atque Deum contempſerit, quem nempe contemnendum eſſe viderit. Reponimus enim Baylium ſemper & Chriſtianum, & pium Dei cultorem videri voluiſſe, & Atheos, ſaltem quod Deum contemnerent, impios, ac ſceleratos vocaſſe. Si haec non ex animo protulit, mendaciſſimus homo fuit, ac propterea non eſt ejus teſtimonio ſtandum, quod probandum erat.

Digitized by Google

Commode illud etiam accidit, quod hac ipſa in re morem tenuit ille ſuum pugnandi ſecum, & quae ſtatuit aliis in locis, evertendi. Nam in Opere ſuo celeberrimo, quod *Dictionarium* appellavit, fere nunquam, ait, gravem aliquem extitiſſe virum, a voluptatibus captandis alienum, & ea, quae falſo vulgus amat, ſpernere ſolitum, qui doctrinam impiam, ac religioni contrariam propagandam, atque propugnandam aſſumpſerit (*a*). Haec, inquam, cum iis ſtare non poſſunt, quae non raro ſcribit in Atheorum laudem, ut cum (*b*) magnum Eccleſiae Doctorem Auguſtinum arguit; quod a nemine Divinitatem prorſus fuiſſe negatam dixerit, ut non aut vitioſis corruptus voluptatibus, aut ſuae gentis maximè barbarae praejudicatis deceptus opinionibus, in maximam collapſus fuiſſet impietatem, atque dementiam. Habet autem Baylius, plures Philoſophos Graecos, nullis vitioſis cupiditatibus deditos, qui tamen Athei non eſſe modo, ſed etiam videri voluerint, impiamque doctrinam profeſſi fuerint, contra S. Auguſtinum teſtimonium dicere.

Idem Baylius Diagoram, Evhemerum, & ipſum Theodorum, quo nihil flagitioſius, aut impurius Cynicorum ſecta protulit, ejuſdem laudat Clementis Alexandrini teſtimonio, quem eodem in loco, quod injuria Viros illos inter Atheos fuiſſe relatos exiſtimari voluerit, reprehendit, atque caſtigat. Laudat etiam Vaninium, Spinoſam, Santevremondum (*c*), & generatim aliquando ſcribit in Atheorum collegio graves eſſe viros, ac doctos, quos non cupiditatum illecebrae, non corruptio morum in 'Αθεότητα protraxit, ſed longa meditatio, ac diligens; dum conſequentias alias ex aliis aptas, & annexas deducerent. (*d*).

At quibus ille rationibus ducitur, ut a communi de vitiis

(*a*) *Dict. Crit. Art. Des-Barreaux R. F.* = *On n' a preſque jamais vû qu' un homme grave, eloigné des voluptés, & des vanités de la terre, ſe ſoit amuſé a dogmatiſer pour l' impieté* = Vide alia lectu digniſſima, quae in illo articulo ipſa veritas a Baylio expreſſiſse videtur.

(*b*) Vide *Continuat des penſ.* §. 88.

(*c*) Monſ. de Saint Evremond.

(*d*) *Dict. Crit. Art. Des-Barreaux R. F.*

vitiis Atheorum ſententia diſcedat? Iis nunc omiſſis, quae mox alio capite perſequemur, aliquibus ſcriptorum teſtimoniis utitur, quae non aliud efficerent, ſi quid efficerent, quam ut verſutos aliquos robuſtioris impietatis magiſtros, ac principes, vitia ſua non in publicum prodidiſſe, & callida ſimulatione texiſſe, arbitrari deberemus. De qua re nihil neceſſe eſt me ſcribere plura, cum egregie multa ſcripſerit, praeter alios, doctiſſimus Antoninus Valſechius, magnum illud, aetate noſtra, tum Ordinis ſui praeclariſſimi, tum Italiae noſtrae lumen, ac decus. (*a*) Nos aliqua tantum de hoc argumenti genere in medium proferimus, ut juvenes doctrinae cupidi magis, ac magis moneantur, ne propter laudes Atheis a Baylio tributas, auctores innumeros, qui ſolent illorum non modo ſtultitiam, ſed etiam improbitatem exagitare, ſibi deſerendos arbitrentur.

CAPUT XXVIII.

An credibile ſit, leges honeſtatis ab Atheis ſervari, ſi rationem potius, quam hiſtoriam conſulamus?

PRopoſita quaeſtio ſatis, ut vides, ab ea differt, quam nuper attigimus. Sed eam tractandam ſuſcipimus, aut ad eam potius digitum intendimus, etiamſi huic loco non admodum convenire videatur, quod ea tamquam fons extiterit, unde tot laudes Atheis a Baylio tributae profluxerunt. Etenim homo tam doctus tam abſurdam potuit amplecti ſententiam, ut ſuperſtitioſorum, quam Atheorum ſocietatem, magis humano generi fore noxiam & ſcripſerit, & demonſtrare contenderit (*b*). Quin & eo progreſſus eſt temeritatis, ut, Atheum ex honeſtatis regula totum poſſe vitae curſum

(*a*) Vid. Valſech. *dei Fondamenti della Relig. e dei Fonti dell' Emp. l.* 3. multis in locis, e. g. *C.* 1. *C.* 7. ubi de Diagora, Theodoro, & Evhem. *C.* 9. ubi de Vaninio, *C.* 13. ubi de Litteratis Sinenſibus, & alibi.

(*b*) *Penſées ſur la Comet. Continuat. des Penſées &c. Réponſe aux queſtions d'un Provincial &c. Diction. Crit.* fuſiſſime.

ſum facili ratione tranſigere, voluerit exiſtimari. Hinc, inquam, laudes, quibus Atheos proſequitur, hinc ad eos extollendos tot conficta mendacia, hinc monumentorum, ac totius hiſtoriae tentata corruptio. Opinionem illam Baylii pauci ſecuti ſunt, inter eos, qui Spiritus dicuntur fortes, Baylio tamen impietate morum, non autem ingenii laude, vel doctrinae praeſtantia pares. Hos inter eminuerant Tolandus, Hickeſius, Auctor *Cogitationum Philoſophicarum*, (*a*) ac Scriptores duo recentiſſimi, quos humanae naturae potius monſtra, quam homines, non immerito nuncupaveris (*b*). Alter eſt libelli, cui titulus *Syſtema Naturae*, alter libelli, qui *Chriſtiana Religio velo detracto exhibita* inſcribitur, famoſus auctor. Horret animus ea leviter etiam attingere, quae contra Religionem, ſuperſtitionis nomine notatam, profani nebulones commenti fuerint. Hanc enim non modo probum hominem, aut numquam, aut fere numquam efficere, incredibili jactant audacia, ſed innumera, quae illius aſſeclae admiſerunt, ſuadere mala potuiſſe, intolerabili quadam impudentia calumniantur.

Neque tamen hoc loco pluribus hujus abſurditatem ſententiae demonſtrare aggrediar, praeſertim cum in id Scriptorum bene multorum pietas incubuerit, excellentis doctrinae ſuffulta praeſidiis (*c*). Equidem, ne longius, quam par eſt, extra fines argumenti mihi propoſiti progredi videar, rationem unam, aut alteram innuam, contra quam tantum voces inanes fundere, aut puerilia argumenta regerere adverſarii poſſint.

Si caetera paria ſint, facilius inordinatis animi motibus obſiſtet (in quo morum honeſtas eſt ſita vel maxime) qui plures habet obſiſtendi rationes, eaſque multo validiores, quam alter, qui pauciores, & infirmiores. Jam vero Divi-

(*a*) Toland. *Adeiſidaem*. Hickes *Libert. de penſ. traduit de l'Anglois p.* 156. A. operis cui titulus *Penſées Philoſophiques* §. 12.

(*b*) Auctor libri, cui titulus *Syſtême de la Nature*, de quo alibi, & auctor libri cui titulus; *Le Chriſtianiſme devoilé &c.* quo nihil horribilius equidem legi.

(*c*) Nuper eam controverſiam egregie tractavit Cl. Bergier *Ex. du Mater. &c.* To. II. Ch. XII.

Divinitatis cultor eas rationes habet, Atheus autem iis omnino caret. Ille igitur facilius animi motus reget, ac moderabitur. Etenim ſin minus ſemper, opportunis certe quibuſdam temporibus illae rationes obverſabuntur animo, ac tergiverſari non ſinent, cogentque vel invitum aliquando fateri, quavis ex parte ſpectet, fugiendum eſſe vitium, colendam eſſe virtutem. Iam, quidquid contra Baylius garriat, voluntatem, licet initio reluctet, & obſtrepat, ab intelligentia tandem aut trahi, aut aliquantulum certe loco dimoveri, & quotidiana docet experientia, & perſpecta ratio ſuadet. Etenim Intelligentia rite convicta practicum illud (ſic enim vocant) judicium, aliquando ſibi ab ipſa veritate patitur extorqueri, quod major illa Delectatio Licaeis in omnibus tantopere celebrata conſequitur. Ad eam vero delectationem ſequendam, licet veram neceſſitatem non afferat, ſua tamen ſponte quodammodo vergit, ac ſuo veluti pondere fert ipſa natura.

At quaenam ſunt eae rationes, de quibus locuti ſumus? Illae ſcilicet, ut alias omittam, quibus ſapiens ille Solon, tamquam cardinibus, totam verti hominum vitam cenſuit, omnemque ſtare rempublicam; quas Timor videlicet, atque Spes homini ſuggerere poſſunt. Etenim Numinis cultor, & praepotentem plerumque timet ſcelerum quorumcumque vindicem, & eum ſibi ſperat, ſi ex honeſtatis norma vitam traducat, aliquando propitium fore. Ea vero Spes, ille Timor in Atheo non habet locum.

Atqui habet, inquit Baylius, etiam Atheus quod ſperet, ſi ad omnem honeſtatem mores componat ſuos, habet quod timeat, ſi vitiorum ſeſe laqueis irretiri patiatur. Primo quidem, habeat ſane, dummodo ſint eae, vel timendi, vel ſperandi, rationes etiam pio Numinis cultori communes. Hic ſemper illi praeſtabit, quod, ut initio poſui, & plures habet hujuſmodi rationes, & validiores. Deinde proferat, quaeſo, proferat Baylius aliquid, quod hominem a

crimine quovis patrando deterrere poſſit, quamvis indomita cervice Divinitatis omne jugum excuſſerit.

Profert homo acutus, & eruditus (*a*); at, quo majorem faciat fidem, a Lucretio (*b*) deſumptum. Rem adeo terribilem a poëta, quamvis impio, ſatis tamen elegantibus verſibus expreſſam audiamus. Terrorem fortaſſe nimium, quem intempeſtive Lector concipere poſſet, ipſa carminum ſuavitas mitiorem reddet.

„ *Nec facile eſt placidam, ac pacatam degere vitam,*
„ *Qui violat factis communia foedera pacis.*
„ *Etſi fallit enim divum genus humanumque:*
„ *Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet.*
„ *Quippe ubi ſe multi per ſomnia ſaepe loquentes,*
„ *Aut morbo delirantes, protraxe ferantur,*
„ *Et celata diu in medium peccata dediſſe.*

Quis jam contra Baylium, quavis depoſita pecunia, non ſponderet, ne unum quidem Atheum inveniri unquam potuiſſe, qui tam inani periculo territus ſeveriores naturae leges infringere recuſaret?

Iam rationes reliquas a Baylio prolatas, videlicet quas Atheum facile ſequi poſſe contendit, ut omnem honeſtatem colat, ejuſdem fere eſſe ponderis intelligit, quicumque non ſit humanae fragilitatis ignarus. An enim cum tantae ſint vitiorum illecebrae, ut, qui etiam Deum verentur ſcelerum vindicem, aegre ſeſe intra naturalis legis praeſcripta contineant, & alii quidem identidem labantur, alii etiam in omne flagitiorum genus ſeſe effundant, ac ſaepius egregiam indolem, caeteraſque animi dotes, commaculent, imo ita peſſumdent, ut nec reliquiae conſpiciendae ſuperſint;

Atheus

(*a*) *Penſées diverſes* §. 179. Quis cum hominem tam eximiae doctrinae tam ridiculas videt promovere rationes, contra veritatem ipſam, Trevoltienſium Ephemeridum ſcriptoribus non aſſentitur, qui non dubitant de Baylio aſſerere (*Avril*, 1755.) = *ſes oeuvres ſont le plus enorme abus des plus grands talens.* =

(*b*) *L. V. Ver.* 1154.

Atheus cujuſdam, ut ita dicam, ſterilis honeſtatis amore illectus, cujus ſancte ſervatae nullum ſaepiſſime, niſi ſe ipſum, laudatorem agnoſcit, cuius violatae nullum formidat vindicem, ultoremque; qui omnia, quibus frui poſſit, bona hujus breviſſimae vitae curriculo comprehendi putat; ita inter ſuaviſſima, quibus eum ſuae cupiditates illiciant, oblectamenta ſeverum ſeſe praeſtabit, ita ſeſe tuebitur, ut omnium evadat virtutum laude perfectus? Nonne potius iſta qui ſcribat, omnino perditae cauſae patrocinium ſuſcepiſſe ſeſe demonſtrat? nonne prudentis lectoris patientia abuti? nonne imperitis tantummodo, & incautis hominibus fucum facere ſeſe velle declarat? Quis enim, dummodo non ſit omnino vecors, & hominum, ut dixi, fragilitatis ignarus, non agnoſcit Atheum eo modo cogitaturum, atque facturum, quo id hominum genus loquens inducit Prudentius, Auctor magis etiam philoſophiae, quam carminum ſuorum gloria celeberrimus. Ita enim apud eum impius (*a*).

„ *Nam ſi tota mihi cum corpore vita peribit,*
„ *Nec poterit ſupereſſe meum poſt funera quicquam,*
„ *Quis mihi Regnator Coeli; quis Conditor Orbis?*
„ *Quis Deus? aut quae jam merito metuenda poteſtas?*
„ *Ibo per impuros, fervente libidine, luxus,*
„ *Inceſtabo thoros, ſacrum calcabo pudorem,*
„ *Inficiabor habens aliquod, ſine teſte, propinqui*
„ *Depoſitum, tenues avidus ſpoliabo clientes,*
„ *Longaevam perimam, magico cantamine, matrem,*
„ *Tardat anus dominum, dilata morte, ſecundum.*
„ *Nec formido malum; falluntur publica jura:*
„ *Aut ſi res pateat, Iudex corrumpitur auro.*
„ *Rara reos juſta percellit paena ſecuri.*

Clarius haec omnia patebunt, ſi Atheorum doctrina, non

(*a*) *L. 2. contr. Symmach. v. 168.* Cui verſus Prudentii non ſatis elegantes appareant, ille diligentius reputet neceſſe eſt, qua aetate doctiſſimus homo ſcripſerit.

non qualis eſſe potuerit, aut qualis eſſe potuiſſe fingitur a Baylio, ſed qualis revera ſemper fuerit, curioſius inveſtigare velimus. Non illi quandam, ut ita dicam, informem, & inchoatam honeſtatem in ore habent, qua ut ut aliquid a nullo vel Deo, vel homine praecipiatur, tamen quod praecipiatur, quod ametur, quod ſervetur a nobis, ſit omnino dignum, non virtutem quamdam ea forma praeditam, quae, l cet ſolis oculis intelligentiae ſit obnoxia, licet divitias nullas, aut commoda ſpondeat, incredibiles in nobis amores excitet ſui, non caetera, poëtam potius aliquando, quam philoſophum agentis, deliramenta Baylii. Omnia potius officia ſuis voluptatibus, aut commodis ita metiuntur, ut nihil aliud ipſis temperantia ſit, quam Ars voluptate fruendi ſuavius, atque diutius, nihil charitas in patri m, aut in ſuos, nihil juſtitia, nihil fides, nihil amicitia, quam mercatura quaedam utilitatum ſuarum. Num mentior? Cupio refelli. Quid enim aliud in omni quaeſtione curandum eſt magis, quam ut veritas pateſiat? Veritatis, inquam, amor ipſe me cogit, ut ſcribam, nullam cujuſvis Athei doctrinam eſſe mihi notam, quae purae virtutis ad amorem alliciat, aut, non modo manum, ſed animum etiam ipſum, a ſcelere cohibeat.

Pauca quaedam affero exempla, cum afferre innumera poſſem. Theodorus ille "Αθεος, quem ſanctitatis laude floruiſſe Baylius non erubuit aſſerere, haec docebat, teſte Laërtio (a) = *Furto quoque, & adulterio, & ſacrilegio, cum tempeſtivum erit, daturum operam ſapientem. Nihil quippe horum turpe natura eſſe, ſi auferatur de hiſce vulgaris opinio, quae ad continendos ſtultos conflata eſt. Sapientem publice abſque ullo pudore ſcortis congreſſurum &c.* = (b) Quid ex ea doctrina conſequi neceſſe ſit, nemo non videt. Jam doctrinam illam tota impii Theodori ſchola tenuit, ac Bion prae-

(a) *L. 2. in Ariſtippo ſegm. 99.*
(b) Vide alia, quae de Theodori impudentia habet Laërtius *L. VI. ſeg. 97. in Hipparch.*

praeſertim Boryſthenites, de quo vide Laërtium. Neque vero doctrinas adeo praeclaras impii nebulones (quid enim philoſophos dicam, quos ne homines quidem appellare deberem?) intra ſcholarum ſepta continebant, ſed & publice profiteri minime dubitabant. Horret animus ea referre, quae habet in hanc rem teſtis certe locuples ipſe Laërtius, apud quem, ut alia ſileam, Bionis diſcipulus palam gloriatur, ſe per ſingulas noctes cum Magiſtro conjungi; nec tamen, inquiebat, quidquam mihi videor paſſus indignum.

An vero Athei recentiores modum aliquem in doctrina de moribus tenuerunt, cum veteres nullum officii delectum reliquiſſent? Qui dubitat, oculos conjiciat in Spinoſae libros, Atheorum ſui temporis facile principis. Etenim nullum eſt tantum ſcelus, aut adeo deteſtabile facinus, ad quod non ſuſcipiendum Spinoſae doctrina compellat, modo profuturum eſſe videatur. Verba, quae ſubjicio, Spinoſae ſatis id probant. *Per jus*, inquit (a), *& inſtitutum naturae nihil aliud intelligo, quam regulas naturae uniuſcujuſque individui, ſecundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo exiſtendum, & operandum. E. G. piſces a natura determinati ſunt ad natandum, & magni ad minores comedendum: adeoque piſces ſummo naturali jure aqua potiuntur, & magni minores comedunt. Nam certum eſt naturam abſolute conſideratam jus ſummum habere ad omnia, quae poteſt, hoc eſt, jus naturae eo uſque ſe extendere, quo uſque ejus potentia ſe exſtendit. Naturae enim potentia ipſa Dei potentia eſt, qui ſummum jus ad omnia habet. Sed quia univerſalis potentia totius naturae nihil eſt praeter potentiam omnium individuorum ſimul, hinc ſequitur, unumquodque individuum jus ſummum habere ad omnia, quae poteſt, ſive jus uniuſcujuſque eo uſque ſe extendere, quouſque ejus determinata potentia ſe extendit. Et quia lex ſumma Naturae eſt, ut unaquaeque res in ſuo ſtatu, quantum in ſe eſt,*

con-

(a) *Tractat. Theolog. Polit. cap. 16.*

Digitized by Google

conetur perſeverare, idque nulla alterius, ſed tantum ſui habita ratione; hinc ſequitur, unumquodque individuum jus ſummum ad hoc habere . . . Ius itaque naturale uniuſcujuſque hominis non ſana ratione, ſed cupiditate, & potentia determinatum eſt. =

Quod ſi videtur aliquando Spinoſa juſtitiam, aut charitatem in proximos, aut alias laudare virtutes, vanis ludit vocabulis, quibus nulla fere ſubjecta notio eſt. Neque enim juſtitiam veri nominis, neque virtutem aliam agnoſcit, qui ſcripſit inter caetera, quae jam deſcribo = *In ſtatu naturali*, inquit, (*a*) *peccatum concipere non potuimus, nec Deum tamquam Iudicem homines propter peccata punientem, ſed omnia ſecundum leges univerſae naturae communes ferri, & eumdem caſum, ut cum Salomone loquar, juſto ac impio, puro ac impuro &c. contingere, & nullum locum juſtitiae, nec charitati eſſe: at, ut verae rationis documenta, hoc eſt ipſa divina documenta, vim juris abſolute haberent, neceſſe fuiſſe, ut unuſquiſque jure ſuo naturali cederet, & omnes idem in omnes, vel in aliquot, vel in unum transferrent: & tum demum nobis primum innotuit, quid juſtitia, quid injuſtitia, quid aequitas, quidque iniquitas eſſet. Iuſtitia igitur, & abſoluta omnia verae rationis documenta, & conſequenter erga proximum charitas, a ſolo imperii jure, hoc eſt a ſolo eorum decreto, qui jus imperandi habent, vim juris, & mandati accipiunt* = Hactenus verba Spinoſae, quae ſi diſtinctius aliquis, & accuratius quid ſignificent, quid ferant, quid ſuadeant, explicare velit, fortaſſe ingenio, ac ſapientiae lectoris non ſatis confidere videatur.

Quis enim ex iis manifeſta conſecutione fluere non videt, ut, ſi Nero aliquis, aut Domitianus, aut Commodus, Patres a Filiis eſſe trucidandos, Matres vero ſtuprandas, atque Sorores, Amicos, & omnes, a quibus ingentia quaedam acceperis beneficia, contumeliis proſcindendos, & calumniis onerandos edicat, haec omnia tum rationi conſona,

(*a*) *Tract. Theol. Polit. cap.* 19.

na, tum honeſto quovis homine digna futura ſint? Sed ea Spinoſae tota doctrina, cum ſatis indicet, neque fidem ab eo, neque juſtitiam, neque liberalitatem, neque virtutem ullam coli potuiſſe, tum etiam Baylii malam fidem arguit, Spinoſam ex eo laudantis, quod animo excelſo eſſet, ac nobili, ac virtutibus omnibus exaggerato (a).

At ſcriptores omnes, qui nefarium Divinitati bellum intulerint, vincere voluiſſe videtur, perditus auctor Mirabodius, cujus libro nihil magis improbum, aut inſanum dici, vel fingi poteſt. (b) Ille quidem ea ſentit, ac docet, quae nullum virtutibus animi locum jam reliquum faciant, in quibus colendis ſita vitae eſt honeſtas omnis, & in negligendis turpitudo. Etenim conceptis verbis affirmat (c) = *Virtutem non aliud eſſe, quam id quod conſtanter eſt utile, vitium omne id, quod eſt noxium* = Conſequenter ad haec etiam docet (d) = *Injuſte nos eſſe facturos, ſi cupiam, ut virtutem ſequatur, imperemus, quam ſequi non poſſit, quin infelix, aut miſer evadat. Quoties vitium poſſit eum felicem efficere, vitium amare debet* = (e) Hic etiam parvi facere mei lecto-

(a) Santevremondi (Monſ. de S. Evremond) aliorumque impiorum doctrinam omittimus, non multum a Bionaeis illis placitis diſcrepantem, ne ſimus longiores, quam neceſſe eſt. Vide Valſechium l. 3. &c.

(b) Mirabodium vocamus libri, cui titulus *Syſteme de la Nature*, auctorem, quod nomen illud in ipſa libri fronte, velut auctoris, poſitum inveniatur. Caeterum nemini volumus eſſe moleſti, qui nolit foetus tam horrendi parens agnoſci. De libro illo vide graviſſimas Cleri Gallicani querelas tum in libello ſupplici, quem Regi Chriſtianiſſimo exhibuit an. 1770, tum in Paſtorali, ſic enim vocant, Inſtructione, qua ſibi commiſſum gregem optimis contra recentiores illas peſtes, qui Spiritus fortes dicuntur, documentis imbuit. Sed & Parlamentum illud vetus infame opus, cum pluribus aliis ejuſdem generis libellis, carnificis manu publice comburendum dedit, & alia graviſſime ſanxit, ut perditorum hujuſmodi ſcriptorum temeritatem coërceret. Quod tamen beneficium eximio potiſſimum Religionis amori debemus, quo Chriſtianiſſimi Regis pectus in omni vita flagravit.

(c) *C. IX. p.* 135.

(d) *p.* 152.

(e) Vide alia impii auctoris peſſima praecepta apud Ludovicum Seguier in libello, qui Florentiae prodiit an. 1771. praefixo titulo „*Confutazione del libro intitolato Siſtema della Natura, detta in Parlamento dal celebre Sig. Luigi Seguier ec, ec. ec.*

Digitized by Google

ctoris ingenium viderer, ſi quot, & quanta flagitia neceſſario ſint ab opinionibus adeo depravatis profluxura, ſuſciperem explicandum. Illius autem jam erit ſtatuere, an, cum ea ſint, &, ſi verum fateri volumus, ea debeant eſſe, niſi Bayliano more ſecum ipſi pugnare velint, Atheorum placita, credibile ſit, eoſdem virtutis amore duci, cum certe nihil formidine poenae moveantur.

CAPUT XXIX.

Nullam Atheorum habendam eſſe rationem, ſi quam parum judicio, doctrinaque valeant, perpendere velimus.

CUm de moribus Atheorum aliqua delibata fuerint a nobis, ut eos, qui contemnantur a bonis omnibus, ac nullius habeantur auctoritatis, maxime dignos eſſe demonſtraremus, ſupereſt, ut aliquid de ingeniis ipſorum, atque doctrina videamus.

Quod attinet ad ingenia, non eſt cur multum in ipſorum oſtendenda ſtultitia laboremus. Ecce enim magnus Atheorum patronus ipſe Baylius fatetur *μανία* tantum, ſeu furore percitos homines in Atheorum propriam impietatem delabi potuiſſe. Sententiam hanc exemplis, ac teſtibus allatis (*a*) ita confirmat, ut nihil contra reponi poſſe videatur. Aliis quidem in locis videtur Baylius contraria ſentire. Sed fruſtra hinc aliquid contra veritatem eam, aut contra Baylium ipſum conficere conaberis. Nam haec argumenta, quae ſeveri quidam, importunique Philoſophi vocare ſolebant *ad hominem*, numquam Pyrrhonicus noſter vereri viſus eſt. Nobis igitur hoc loco, Scholaſticorum tricis omiſſis, liceat cum tam bono tam malae cauſae patrono de judicii robore, quod praeſefert, & animi bonitate gratulari. Eorum nempe cauſam contra graviſſimos viros equis, veliſque defendendam, nemine vel jubente, vel rogante ſuſcepit.

Quos

(*a*) Vid. *Dictionn. Crit. Art. Charron, & des Barreaux.*

Quos fanaticus error, & iracunda Diana.

vexare videatur. Nihil ille moleſtas quaſdam hominum exprobrationes timet. *Audax omnia perpeti*, ne ipſius quidem nominis jacturam timet, dum conſulat ſuis, quos tueri, quos caros habere debeat.

Sed nunc omiſſo quaeramus ſeria ludo.

Id ipſum de Atheorum furore gravior auctor docuerat Ariſtoteles, aut quiſquis eſt alius *Magnorum Moralium* ſcriptor (*a*). Etenim, = *ſi a quopiam*, inquit ille, *ita timorem omnem excuſſeris, ut ne Deos quidem vereatur, non ille fortibus viris, ſed furioſis erit annumerandus* =

Quae cum ita ſint nemini mirum accidere debet, nullum vel ex recentioribus aetatibus, vel ex antiquioribus poſſe proferri ſapientem virum, ac germanae ſolidaeque doctrinae laude praeſtantem, qui Deum eſſe negaverit. Quod enim Paulus Segnerus (*b*) teſtatum reliquit, nullum a ſe vel auditum fuiſſe, vel lectum, in arte, quae dici ſolet Anatomia, verſatum hominem, atque nobilem, qui ſapientiſſimum Deum non agnoverit, ad Phyſicos etiam, Dialecticos, Metaphyſicos, Aſtronomos excellentiores transferre nobis poſſe videmur; ac veriſſimam Immortalis viri Baconi (*c*) ſententiam illam eſſe putamus = *Certiſſimum eſt*, inquit *atque experientia comprobatum, leves guſtus in Philoſophia movere fortaſſe ad Atheiſmum, ſed pleniores hauſtus ad religionem reducere. Namque in limine Philoſophiae, cum ſecundae cauſae, tamquam ſenſibus proximae, ingerant ſe menti humanae, menſque ipſa in illis haereat, atque commoretur, oblivio primae cauſae obrepere poſſit. Si quis ulterius pergat; cauſarum-*

(*a*) *L.* 1. *c.* 5. ubi haec leges = Ἐὰν τινὰ ποιήσῃς ἄφοβον, ὥστε μήτε Θεὺς φοβεῖσθαι, ὐκ ἀνδρεῖος, ἀλλὰ μαινόμενος =

(*b*) *Incred. ſenza ſcuſa P.* 1.

(*c*) *De Augment. ſcientiarum l.* 1.

rumque dependentiam, ſeriem, & concatenationem, atque opera providentiae intueatur, tunc ſecundum Poëtarum mythologiam facile credet, ſummum naturalis catenae annulum pedi ſolii Iovis affigi = (*a*).

Quod ſi magnis ingeniis inter Atheos pauci quidam forte exiterunt eas in partes foediſſima vitiorum ſuorum colluvione pertracti, dum hanc quaeſtionem agitant; *An Deus exiſtat*? illius oraculi veritatem nolentes demonſtrant, quo de impiis dicitur „ *excaecatum eſſe inſipiens cor eorum* „ Nam rationibus ſatis validis reſponſiones ſubjiciunt adeo ineptas, & improbabiles; ad id autem, quod volunt, aſtruendum tam infirma afferunt argumenta, ut, omni partium ſtudio ſepoſito, perſpicue videas, eos in luce clariſſima caecutire. Quamobrem non injuria ſtultum hoc hominum eſſe genus, ac rationis uſu fere deſtitutum Richardus Bentleyus, celeberrimus ſcriptor Anglus, oſtendendum ſuſcepit, egregiis in ſermonibus ſuis; quos celeberrimus etiam ſcriptor e Polonia Jablonskius latinitate donavit (*b*). Nimirum aut homines, qui florere ingenio ſibi videntur, Dialecticam ne a primo quidem limine ſalutarunt, aut mentem ipſam ita hebetem, atque debilem, vel, quod probabilius, vitiis perverſae voluntatis ita corruptam gerunt, ac depravatam, ut jam non aliud, niſi quod iſta exoptet, & cupiat, affirmare, non aliud, niſi quod iſta fugiat & exhorreſcat, amplius negare poſſit.

Non injucundum hic arbitror erudito fore Lectori, ſi quae

(*a*) Optime etiam Mopertuiſius (*Monſ. de Maupertuis Oeuv. tom.* 1. *p.* 5.) = *De tous tems ceux qui ſe ſont appliqués a la contemplation de l'Univers y ont trouvé des marques de la ſageſſe, & de la puiſſance de celui, qui le gouverne. Plus l'étude de la Phyſique a fait des progrés, plus ſes preuves ſe ſont multipliées* = Eo libentius Mopertuiſii teſtimonium afferimus, quod vel ipſis impiis hominibus ſuſpectum eſſe non ſoleat.

(*b*) Vide etiam de hoc argumento Buddeum *Traité de l'Athéiſme &c. C. IV. §. III p. m.* 157. in notationibus, & Vaiſechium *L.* 3. &c. generatim oſtendentem, quanta ſit in omnibus, qui Religioni adverſantur, praeſertim dum has quaeſtiones agitant, rationis perverſitas.

quae generatim de Atheorum ſtultitia dixi, celebriorum quorumdam Atheorum inſigni dementia, vel inſcitia patefacta confirmavero (*a*).

Ac primo quidem Iulius Caeſar Vaninius in medium prodeat. Princeps ille fuit habitus, & habetur vulgo ſui temporis Atheorum; quare Caeſarem Atheorum Voëtius, Merſennus, & Nicolajus ipſum eleganter appellant. Fuit autem ob crimen Ἀθεότητος illuſtri, ſi Baylium audias, martyrio coronatus, ſeu, quod veritas habet, meritis Toloſae flammis addictus (*b*). Itaque facile erit ex illo de reliquis Atheis conjecturam facere. Ille quidem adeo deſipuit, ut ſenſerit, & ſcripſerit quod non ſine ſtomacho Genuenſis refert (*c*) = *ex Simiarum, Porcorum, & Ranarum putredine geni-*

(*a*) Exempla recentiorum Atheorum, qui valde deſipuerint, hic libentius afferimus, quod eos precipue perditi quidam homines hac aetate ſequantur.

(*b*) Combuſtus eſt cum 34. aetatis annum nondum expleſſet. Dudum ſcripſerat *Amphitheatrum Providentiae*, in quo latens Atheiſmi venenum plurimi docti viri deprehendunt. Equidem tamen puto potius voce, inter diſcipulos, & amicos, quam ſcriptis impietatem ſuam diſſeminare conſueviſſe. Certe propter impios, quibus Deum e medio tolleret, ſermones, ſemel, atque iterum accuſatus, propter eoſdem damnatus fuiſſe videtur. Hic autem Atheus alterum mihi in memoriam revocat, non minus deſipientem, de quo Baylius (*Penſées diverſes &c. tom. 2. §. 174. p. 356.*) Garaſſium (*le P. Garaſſe doctr. Curieuſe l. 2. ſect. 6.*) teſtem citans, haec habet = *ſous le Regne de Charles IX. l'an. 1572 on brûla dans Paris un homme qui avoit dogmatisé l'Athéïſme ſecretement. Il ſoutenoit qu'il n'y avoit point d'autre Dieu au monde, que de conſerver la puretè de ſon corps: auſſi diſoit-on, qu'il avoit encore ſa virginitè Il avoit autant de chemiſes, qu'il y a de jours en l'année, & il les envoioit laver en Flandres a une fontaine fameuſe pour la clarté de ſes eaux, & pour la vertu de blanchir admirablement le linge. Il avoit de l'averſion pour toutes les impuretez, ſoit des actions, ſoit des paroles; & quoi qu'il ſoutint ſes blaſphêmès avec une opiniâtreté qu'il garda juſques á la mort, il les prononça toujours d'un air extremement radouci, & d'une bouche composée a debiter des fleurettes* =

(*c*) Ant. Genuenſ. *Diſſert. Phyſico-Hiſt. de rer. corpor. orig. §. VI. p. 47.* ex Vaninii *Dial.* 37. Diligenter tum in hoc capite, tum in aliis, quae ſubſequentur, adverte nos Atheos dementiae, vel inſcitiae non accuſare, quod negent Deum, ne, quod Logici vetant, principium petere, vel *in circulum vitioſum* incidere videamur. Sed quod, ut negent Deum, hypotheſes omnino ſtultas, atque ridiculas, ut probamus, afferant.

genitum primum hominem = ut jam ſapiens Epicurus videri poſſit, qui ex temerario athomorum concurſu omnia orta eſſe fingebat. Etenim atomi illae uncinatae, cuſpidatae, quadratae, rotundae, vel cujuslibet alterius figurae ad corpus aliquod efformandum conferre poſſunt. At ea Vaniniana materia quid tandem habet, ut ad fabricam tanti operis aliquid attuliſſe videatur?

Alia multa ex Vaninii ſcriptis profert Bruckerus, quae non ſine riſu, dum ſtultitiam hominis, non ſine indignatione, dum arrogantiam ſpectes, & impietatem, luſtrari poſſint. Ea tam abſurda viſa ſunt ipſi Bruckero, ut inde collegerit = *Anticyris opus habuiſſe cerebrum Vanini. & extremae ſtultitiae notam ſuſtinere* = (*a*) In eo non aſſentior Bruckero, quod ſtultitiam Vaninii morbum corporis medicorum arte curandum fuiſſe putet, & ideo Vaninium dignum fuiſſe ſcribat = *qui non flammis, ſed ergaſtulo ſapere didiciſſet* = Id profecto Judicum, qui Vaninium damnarunt, Religioni, nec minus aequalium Scriptorum, qui famoſum hominem penitus noverunt, fidei videtur injurium. Nec vero cuiquam debet negotium faceſſere, quod in eam τὸν κριτικώτατον Bruckerum videat ire ſententiam. Etenim Cleri Catholici (hunc infenſiſſimum Atheus ille ſemper expertus eſt) odio, ſaepe doctus Proteſtans ſe longius protrahi ſinit, quam illius caeteris in rebus perſpecta ſapientia paſſura videretur (*b*). Ea etiam ſumma levitas, & incoſtantia, qua, ut ejuſdem Bruckeri verbis utar (*c*) = *ſine mente philoſopha blaterans bona, mala, recta, iniqua, vera, falſa, ambigua diſputandi acie inter ſe commiſta attulit* = non probat, quod ſubdit Vir doctus, eum ignoraſſe = *ita ſubrui pietatis, & veritatis revelatae moenia* =. Si quidquam ea ratio ponderis haberet & Ruſſojum, & Voltaerium, & pleroſque Recentiores Incredulos An-

(*a*) *H. C. T. T. IV. P. II. p. m. 681.*

(*b*) Cum alibi ſaepe, tum in ipſa Vaninii vita multa Bruckerus obloquitur de perſecutionibus, quas a Clericis Catholicis moveri putat in eos, qui ſibi dicto non audiunt.

(*c*) *Ibidem.*

Digitized by Google

Anticyras navigare juberemus, omni vel impietate, vel impietatis ſuſpicione liberatos (*a*). Nimirum Vaninius utitur ea ſcribendi ratione, qua ſolent impii,

Et fugit ad latebras, & ſe cupit ante videri,

ſeu potius, dum non videatur, praeterquam a ſuis, ea tela emittere, quibus pietatem omnem, religionemque confodiat.

Itaque de Vaninio longe melius, quam Bruckerus, ſcripſerat Cl. Hevmannus (*b*) cujus judicium omnino probo = *Vaninum cum memoria abunde polleret, & imaginationis ardore flagraret, judicio caruiſſe, ambitionis oeſtro vero percitum crediddiſſe ſe ſolum ſapere. Hoc ſtultitiae charactere veſtitum quadrata rotundis, ſumma imis, bona malis miſcuiſſe* = Ex toto doctiſſimi Viri ſermone liquet ſtultitiam eum intelligere, quae ſatis cum arbitrii libertate componitur; ſeu, quod eodem recidit, genus illius furoris, quem clientibus ſuis optima Baylii fides fatetur eſſe communem. At de Vaninio ſatis. Aliqua jam de Spinoſa.

Nemo neſcit vel leviter eruditus, quibus fundamentis totam doctrinam ſuam, qua Deum Opt. Max. e coelo deturbare conatur, metaphyſica, ſi ſuperis placet, atque geometrica mens Benedicti de Spinoſa ſuperſtruat; definitionibus nempe quibuſdam, quae turpiter ambiguis vocibus contexuntur. In altero ſenſu admiſſae, qui verus eſt, ne hilum quidem juvant impium Spinoſae laborem: in altero, quem Spinoſa intendit, ita ſunt ad arbitrium poſitae, ut nemo ſit, licet excors, adverſarius eas admiſſurus. Plurima certe Spinoſianae doctrinae capita deducuntur ex celebri definitione:

(*a*) Quam parum Auctores ii ſibi conſtent, paſſim eruditi homines notant. e g. Ruſſoji (*Rouſſeau*) levitas tanta eſt, ut, quod in una pagina ſcribit, mox alteram dum exarat, oblitus eſſe videatur. *V. Niccolai Ragion. ſopra la Religione Vol. I. Rag. V. Contraddizioni.*

(*b*) Ap. Bruckerum *To. IV. P. II. in Van. p.* 680. qui citat *Act. Phil. V. I. p.* 600.

ne Subſtantiae, quam in hunc modum Spinoſa compoſuit = *Per ſubſtantiam intelligo id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur: hoc eſt id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* = hinc infert ſubſtantiam ab alio produci non poſſe. At ejus definitionis duplex eſt ſenſus. Primus, quem Spinoſa intendit, *in ſe*, *& per ſe* excludendo cauſam quoque producentem, vel, ut ajunt, *effectivam*. At id probandum erat, non tamquam certum aſſerendum. Alter ſenſus eſt *in ſe* & *per ſe* excludendo *ſubjectum*, quod illud veluti ſuſtineat. In hoc ſenſu vera eſt propoſitio, & hinc dicimus motum, figuram, *modos* omnes non eſſe ſubſtantias. At quomodo hinc Spinoſa infert, Subſtantiam non poſſe produci? Similia de altera parte propoſitionis. Si vult conceptum Subſtantiae ita abſolutum, ut nullam relationem dicat ad cauſam producentem, ſumit id velut exploratum ſatis, ac certum, quod in quaeſtione verſatur. Si vult conceptum, qui *relationem* excludat ad *ſubjectum*, cui ad inſtar *modorum* Subſtantia inhaereat, vera erit propoſitio, ſed nihil ad rem Spinoſae faciet. Alia ſimilium exempla definitionum Lector eruditus colligere, ſi vult, facile poteſt (*a*).

Neque tamen in ponendis tantum definitionibus turpiter Spinoſa labitur. Nam, quod egregie ſtrenuus ille Voltaerii debellator advertit Nonnottius (*b*), ſi ea conſideres ex quibus proprie Spinoſae doctrina coaleſcit, ne unum quidem pronunciatum, aut, ut vulgo loquuntur philoſophi, *principium*

(*a*) Vide inter alios Jo. Hooke *Rel. Natur. Tom. I.* ubi de Spinoſae Syſtemate.

(*b*) *Tom. 2. Erreurs de Voltaire.* Ille quidem eodem loco Baylium ita carpit = *Je ſuis fort ſurpris, que Bayle dans ſes longues diſſertations contre Spinoſa n'ait pas employés cette voie ſi ſimple, & ſi ſûre &c.* = Caeterum haec debetur, ut verum fatear, quandoquidem virtus & in hoſte probari debet, Baylio gloria, quod contra Spinoſam magno rationum optimarum apparatu ſtrenue pugnaverit; cum illius doctrinam reſpiceret, tamquam = *l'entaſſement de toutes les extravagances, qui ſe puiſſent dire, comme la plus monſtrueuſe hypotheſe, qui ſe puiſſe imaginer, la plus abſurde, & la plus diametrelement oppoſée aux notions les plus evidentes de notre Eſprit* = Vid. Bayl. *Diction. Critiq. art. Spinoza n. 1.*

pium ſatis tutum, ne unam quidem claram notionem, ne unam quidem propoſitionem rite probatam invenies.

Ea vero, quod in homine litteris exculto vitium non mediocre cenſeri debet, ſententias involvit ambage verborum, ut ad eas aſſequendas Oedipo ſit opus. Itaque falſe ſimul, & acute luſit in eum Genuenſis; cum alii quandoque ſibi, & Muſis tandummodo canant, hunc aliquando ne Muſis quidem. Tricas autem, ac diſtinctiunculas adeo ridiculas in medium proferre ſolet, ut difficile ſit admodum ſimiles aliquot in iis *Arabo-peripateticis* invenire, quos Recentiores noſtri tantopere faſtidiunt.

A pluribus, quibus omnia, quae poſuimus, confirmari poſſent, afferendis abſtinemus, quod ſatis jam Spinoſae doctrinam cum recta ratione, quin & ſecum ipſam aperte pugnare, neque ſtultam eſſe minus, quam impiam, exiſtimandam, Scriptores innumeri demoſtraverint (*a*).

Qua igitur, inquiet aliquis, ratione tam abſurda, nec ridicula minus, quam profana doctrina tot ſectatores nanciſci potuit? Recte, mea quidem ſententia, conjicit Joannes Hooke, quod = *tota celebritas ſyſtematis orta ſit ex principiorum obſcuritate, & ex illa admiratione, quam in hominibus indoctis, & levibus pariunt res reconditae, & a vulgi ſententia disjunctae* = (*b*). Accedit hominum in malum proclivitas, quae in aliquibus peſſima ſcelerum conſuetudine immane quantum aucta, eos in profundum malorum omnium barathrum detruſit, ut *dicerent in corde ſuo: Non eſt Deus*. Cum ergo illi audirent, aut legerent, Benedictum Spinoſam, acutiſſimo hominem ingenio, Atheiſmum ad ſyſtema redactum (ita enim profani quidam loquuntur) geometrica methodo demonſtraſſe, claudi pilam, ut eſt in veteri proverbio, arripuerunt.

Z Cae-

(*a*) Scriptores plurimos, qui contra Spinoſam ſcripſerunt, enumerat Jo. Albertus Fabricius *de Ver. Rel. Chriſt. Cap.* 13. & Bruckerus *Hiſt. Crit. T. IV. P. II. in Spin. p. m.* 693. quibus alii plures addi poſſent.

(*b*) *Rel. Nat. &c. To. I. p. m.* 81.

Caeterum, quod probaverunt, eorum bene multos ne legiſſe quidem audacter affirmo. Homines enim plerumque molli, otioſaque ſegnitie difluentes, incredibile prorſus eſt per ea Spinoſae dumeta, tenebris pluſquam cimmaeriis conſita, tanto reptare cum incommodo voluiſſe. Si qui vero legerunt, certe vim demonſtrationum non ſatis aeſtimare poterant. Etenim ſi eo fuiſſent ingenio, cum in ambiguis plerumque voculis omnem eam vim ſitam eſſe vidiſſent, riſu potius, aut indignatione, quam plauſu recutiti philoſophi technas excepiſſent. Nunc cum non modo laudibus impium Phariſaeum ad coelum evexerint, ſed non magis ejus ſcripta poſſe, quam Euclidis libros mathematicos refutari jactaverint, quid ad eorum amentiam, atque ſtultitiam addi poſſe cenſemus?

Inter Spinoſianos, hactenus exagitatos, a multis, inter Atheos ab omnibus fere ſcriptoribus Joannes Tolandus merito relatus legitur. Ille quidem, cum de impii generis furore, ſtultitiaque diſputatur, unum ex praecipuis optimo jure ſibi vindicat locum. Omnia brevi complectar, ſi ſtultitiam illius fuiſſe dixero, incredibili, qua caeteros inter Atheos diſtinguitur, ac ſingulari arrogantiae parem (*a*). In eo doctrinam, quae *Pantheiſtica* dicitur, ſibi reformandam ſuſcepit, & expoliendam, ut praeter cogitationem, & extenſionem ingenitae materiae, vel Spinoſiſticae ſubſtantiae motum quoque tribueret, eumdemque, ut ipſe loquitur, *actualem* ſimul, & *eſſentialem* (*b*). Iſta qui ſcribat, aliquidne olet ex ſchola, aliquid ex liberalibus diſciplinis? Quid enim, ut alia omittam, phyſico turpius, quam potentiam ad motum vel gignendum, vel admittendum cum *actuali* motu confundere? aut quid ſtultius, quam aliquid velut *eſſentiale* rei ſtatuere, ſine quo rem ipſam ſubſiſtere numeris omnibus abſolutam, neceſſario quivis intelligit? Etenim quod move-

(*a*) Buddeus *Trait. de l'Ath. C. I.* §. *III. p. 4. in not.* vocat Tolandum = *le plus impudent Athee de notre ſiecle &c.* =

(*b*) Vid. Tolandi *epiſt. 4. & 5. ad Serenam.*

vetur jam id eſſe, quod moveri poſſit, non per motum ipſum id habere, quod poſſit, ſatis clara notio demonſtrat.

At valde longius Tolandi Baylianus ille furor progreſſus eſt. Etenim in Originibus Judaicis (*a*) non dubitat Moyſem, vel Pentatheuci auctorem (inter eos enim aliquando diſtinguit) ſuos inter Pantheiſtas recenſere (*b*); quin & ad impiam doctrinam confirmandam totius Θεοπνεύστης Scripturae vocat auctoritatem. At quibus tandem argumentis res adeo miras, & novas ille confirmat? Nimirum, quod ad Moyſem pertinet, Strabonis auctoritate pugnat. Ille namque in XVI. Geographiae libro ſcriptum reliquerat de Moyſis ſententia Deum eſſe = *quod nos omnes continet, terram, & mare, quod coelum, & mundum, & rerum omnium naturam appellamus* = (*c*).

Scripſiſſet iſta Tolandus, ſi eruditum illum ſcholae pulverem attigiſſet? Quis enim Artis Criticae regulis vel leviter imbutus adoleſcens externum Scriptorem, aliis etiam in erroribus quandoque deprehenſum, ſcriptoribus ipſis Hebraeis longe antiquioribus, ac fide dignioribus, auſus hac in re fuiſſet anteferre? Etenim illi cum genuinam Moyſis doctrinam a Patribus, qui cum ipſo verſati fuerant, haurire potuerant, tum libros ipſos Moyſis a majoribus ſanctiſſime cuſtoditos, nocturna, diurnaque manu verſare conſueverant.

 Non

(*a*) Vid. *a p.* 155.

(*b*) Tolandi hac in re impudentiam merito caſtigavit Jacobus Fayus *in Defenſ. Relig. P. II. Cap. IV. p.* 144. & Elias Benoit *Mélange de Remarq. Critiq. p.* 250 *& ſeqq.*

(*c*) In eodem errore, quo Strabo, fuit etiam Diodorus Siculus *in Bibliotb. Hiſtor. lib* 40 circa medium, cujus apud Photium *Bibliothec. Cod.* 244. excerpta legere potes. Ait autem de Moſe = *Imagines Deorum omnino non ſculpſit, quod putaret humana Deum non videri forma, ſed coelum terram ambiens eſſe Deum, & omnia ſuo imperio gubernare* = Graecum habet = ἄγαλμα δὲ θεῶν τὸ σύνολον οὐ κατεσκεύασε, διὰ τὸ μὴ νομίζειν ἀνθρωπόμορφον εἶναι τὸν θεὸν, ἀλλὰ τὸν περιέχοντα τὴν γῆν οὐρανὸν μόνον εἶναι θεὸν, καὶ τῶν ὅλων κύριον = In hanc ſententiam ii veteres, ut optime Antonius Genuenſis *in Differt. Phyſico-biſt. de rer. corpor. orig. &c. p. m.* 4. *in not.* = *videntur inducti ex eo quod nulla idola, nulla templa viderent a Moyſe inducta. Ex ea certe cauſa Juvenalis Sat. XIV. v.* 98. *de Judaeis ſcripſit „ Nil praeter Nubes, & Coeli Numen adorant „* =.

Non minoris illa ſunt indicia ſtultitiae, quae profert Tolandus, ut Strabonis auctoritatem toti antiquitati praeferat. Ait enim nomen *Ievoah*, primo, ſic enim ait, ab ipſo Moyſe uſurpatum, non aliud eſſe, quam τὸ ὂν Graecorum, nempe = *mundum incorruptibilem aeternum*, *&* *interminabilem* = (*a*) Omitto id ipſum, quod de Graecis univerſim affirmat, leviſſimum eſſe commenti genus, oſtendere. Id enim Cudwortho vera doctrina florentes homines aſſentiuntur. Quod de Moſis *Iehovah* dicit, qua nititur auctoritate, qua ratione firmatur? Ea ſcilicet qua Scripturae toti Pantheiſmum Tolandus attribuit. In ea dicitur Deus *Omne Bonum*, *Alpha*, *&* *Omega*, *qui neque principium* habeat ipſe, *neque finem*, *qui Eſt*, *qui Erat*, *&* *qui Futurus eſt*, *qui eſt Omnia in omnibus*, *in Quo vivimus*, *movemur*, *&* *ſumus*, atque ſimilia. Jam egregius Dialecticus advertit hos loquendi modos *aequivocos* eſſe, & non minus *Pantheiſmo*, quam *Deiſmo*, ſic enim ait, convenire poſſe (*b*). Si enim aeterno mundum tempore jam fuiſſe dicamus, illa in mundum attributa optime quadrant.

Sit quod ais. Non enim hic eſt latius diſputandi locus, ut ea, quae attuliſti, non poſſe, niſi in excellentem quamdam, ſapientiſſimamque Naturam, a caeteris diſtinctam, ac caeteris praeſidentem, quam Deum appellamus, cadere, demonſtremus. Quis te magiſter tam parum ſapere docuit, ut in rem tuam aliquid inde poſſe deduci arbitreris? Si enim *aequivoca*, quod ais, illa ſunt verba; utrum Mundo, an Deo potius a Mundo diſtincto conveniant, ex aliis Sacrae Scripturae

(*a*) *Ibid. in Orig. Iudaic.* quod quidem opus adhuc non potui legere, ſed excerpta apud probatiſſimos auctores ſaepius inveni.

(*b*) Apud Buddeum, ſcilicet Auctorem, qui libros cujuſcumque generis & legere facile potuerat, & legerat, & diligenter citare ſolet, *Trait. de l' Ath. C. I. §. III. p. 4. in not.* ita verba ipſa Tolandi *ex Originibus Iudaicis* exhibentur = *manières de parler* (nempe quas retulimus) *qui ſont équivoques*, *&* *peuvent auſſi bien s' appliquer au Pantheiſme*, *qu' au Déiſme*, *puiſque l' éternité du monde ſuppoſée*, *on peut lui donner tous ces attributs* = Apud alios idem Tolandi argumentum invenias.

rae locis determinemus oportet. An vero Sacra Scriptura vel Ethnicis, vel Atheis, vel omnibus hominibus, qui Hebraice, aut Graece, aut Latine ſciant, aperte fatentibus, Deum non praedicat ipſius mundi auctorem, atque creatorem? Cunctatur Tolandus: Aliquid cogitat, quo ſe tueatur. Jam ipſum audiamus. De ſententia Moyſis, inquit, = *Mundus unicus eſt, ſummuſque Deus, cujus Creaturae ſunt partes. Igitur, ſi id velis, Mundus, aut totum Creator erit* = (*a*) Quid ergo? Sui ipſius erit Creator? Etenim Scriptura Mundi Deum totius celebrat auctorem. Nonne ſtultum diceres eum Dei cultorem, ſive *Theiſtam* (ſic enim appellare ſoletis) qui Deum diceret auctorem ſui ipſius, qui ſe *in principio*, qui ſua attributa *creaverit*? Quis ergo non omnino te deſipere putet, qui mundum aeternum, & *increatum* dicis, ac tamen ſui ipſius Creatorem in principio temporis dici poſse arbitreris?

At his omiſſis, quid ad laudes illas reponis, quibus Deum Optimum Maximum Sapientia, Bonitate, Juſtitia, Miſericordia, Potentia praeditum, quae noſtrum captum omnino ſuperant, qui bonis praemia dividat, qui ſceleratis poenas infligat, qui mundum, ut paucis omnia complectar, numine moderetur ſuo, tota Scriptura proſequitur? An Pantheiſta quidquam ſimile dicet, niſi forte pugnare ſecum ipſe turpiſſime velit? Itaque te, qui talia ſcripſiſti ſobrius, ſi modo ſobrius unquam in tota vita fuiſti, non ineruditum, non inſanum, non quocumque inſipiente homine inſipientiorem putem?

Sed

(*a*) In laudato Buddei *Tract. Cb. I.* §. 27. *p. m.* 93. & 94. ita Tolandi verba ex *Originib. Iudaic.* in gallicum ſermonem ab eodem, de quo alibi diximus, doctiſſimo Buddei interprete, Ludovico Philone tranſlata leguntur = *Strabon affirme clairement dans ce paſſage, que Moyſe étoit Panthéiſte, ou ſelon le ſtyle d' aujourd' hui Spinoziſte, car il lui fait dire que la Divinité n' eſt pas diſtinguée de la Matière, de l' aſſemblage, & de l' arrangement des parties de ce monde, & que la Nature, ou l' Univers eſt le Dieu unique, & ſouverain, dont les Creatures ſont les parties; donc, ſi vous le voulez, le Tout ſera le Créateur. In Orig. Iudaic. §. VI. p.* 117. =

Sed Tolandi ſtultitiam non minus, quam arrogantiam homines ex eadem faece, noſtris hiſce temporibus, aut aequant, aut etiam fortaſſe ſuperant. Infinitus eſſem ſi tot errorum portenta, quae non minus contra ſanam rationem, quam contra Chriſtianam fidem illi ſolent excogitare, aut potius ex antiquitatis ultimae tenebris eruere (*a*), vellem oratione complecti. Quid enim abſurdius dici, vel fingi poteſt opinionibus quorumdam Atheorum, quos Clariſſimi Viri Valſechius, & Niccolajus (*b*), aliique refutarunt? Quis non tantum atrociora dicam, ſed etiam a ratione magis aliena vomuit, quam peſſimus ille Bulangerus, & cujuſcumque Numinis, & Religionis, & Sacerdotum, & Regum acerrimus inimicus? (*c*)

Ab uno illius errore conjecturam de reliquis facere poteris. Revelatae Religioni addictos homines inſectatur, ac mordet, quod ipſum Deum fuiſſe locutum & dicant, & ſentiant. Quid enim? ait. Num fauces habet Deus, num guttur, ac linguam, & organa caetera, ſine quibus gigni vox, aut excludi ulla ratione non poſſit? Minime vero. Abſonum igitur eſt, atque abſurdum aliquid, aliquando locutum eſſe Deum, arbitrari. Pudet me hoc argumentum refellere, cum non puduerit irreligioſum, ac ſceleratum auctorem in medium afferre. (*b*) Certe Spinoſianus ille Deus,

a quo

(*a*) Noſtros Spiritus fortes, qui novae philoſophiae adinventae laudem ſibi arrogant, non alios eſſe, quam veterum ineptiarum inſtauratores, egregie oſtendit magni Vir ingenii, magnaeque eloquentiae Noghera. Vide illus opus: *Riflesſioni ſulla Filoſofia del bello ſpirito*.

(*b*) Valſech. *l.* 3. ac toto opere *dei fondam. ec.* Niccol. *Ragion. Vol. II. Rag. II. & alibi*.

(*c*) Cum ab homine doctiſſimo, qui ſcire id optime poterat, quaeſiverim, quis auctor fuerit infamis libri, quem hoc loco impugnamus, *Le Chriſtianiſme devoilé*, reſpondit; fuiſſe impium ſatis in Gallia notum, & librorum aliorum contra Religionem parentem, ſcilicet *Boulanger ingenieur des ponts, & des chauſſées*. Hoc idem nomen cum adjunctis inter Encyclopaed. Diderot. Auctores invenio.

(*d*) Hujus tamen argumenti non auctor quidem, ſed inſtaurator Bulangerus habendus eſt, ut vel hinc Nogherae doctrinam, quam innuimus, confirmari videas. Allatum enim eſt a ſtultiſſimis fere omnium philoſophorum Epicureis, ut Divinationem everterent, quod apud Ciceronem videre potes.

a quo non alium Bulangerus, flagitioſum ejus opus legenti mihi viſus eſt agnoviſſe, loqui non poteſt, cum non modo lingua, ſed etiam ipſa mente, animoque careat. At quomodo Bulangerus idem, ſi Dialecticae praeceptis aliquando fuerat imbutus, ſi non inſania, & furore illo Bayliano, ſimiliter atque impietate, laborabat; tamquam rem ſatis certam, & exploratam, ſumere poterat, *Deum ſi linguam non habeat humanae ſimilem, loqui non poſſe*; ut eos, qui Revelatae Religionis Deum Optimum Maximum arbitrantur auctorem, inſectaretur?

Atheos alios praetereo, quorum ſtultitia, ſi quis illorum libros fortaſſe perluſtret, incurrit in oculos. Etenim ad oſtendendam Athei noſtris hiſce temporibus omnium celeberrimi dementiam, & inſcitiam, jamdudum feſtinat oratio.

CAPUT XXX.

Stultitia ſimul, & Inſcitia Mirabodii, ſive Auctoris libri, cui titulus Syſtema Naturae, aliqua ex parte oſtenditur.

CUM nemo fere inter Atheos recentiores, aut antiquiores etiam, quorum ad noſtram aetatem oblivione digniſſima ſcripta pervenerint, apertius, quam impius auctor a nobis exagitandus, Divinitati bellum intulerit, tum fere nullus eſt Scriptor, cujus veſanus furor, atque ſtultitia, ratione magis perſpicua demonſtrari poſſe videatur. Sed quod tam facile fieri poteſt, a nobis omnino praetermitti non debuit. Etenim in ea tempora, proh dolor! incidimus, quibus etiam liber tam malus, at non ſine aliqua Gallici ſermonis elegantia conſcriptus, poſſit incautos quoſdam juvenes, ac leviſſimas foeminas, & hominum in pietate, ac religione jampridem nutantium animos fallere. Itaque graviſſimum ſibi judicium eſſe ferendum in hoc idem opus omnino ſapienter cenſuit frequens Cleri Gallicani Conventus.

tus (*a*) priſcos illos Eccleſiae Patres tum pietate tum doctrina conſtantiſſime referens. Et ille quidem, inter alia, futurum ſpondet, ut opus maxime impium impiis etiam pluribus diſpliceat noſtrae hujus aetatis hominibus, qui Spiritus fortes dici conſueverunt. Id eventu jam ipſo comprobatum videmus, cum in Mirabodium infelix ille ſenex arma ſumpſerit, qui libellis ἄνονυμοις, ac pleriſque robuſta potius impietate, quam ingenio Voltaerii dignis, & bonis moribus, & Religioni ſuis adhuc e latebris inſidiatur (*b*).

Sed

(*a*) Vide *libellum ſupplicem Chriſtianiſſimo Regi exhibitum, & Inſtructionem Paſtoralem* Cleri Gallicani Pariſiis congregati an. 1770. Vide etiam libellum, quem citavimus alias, Florentiae impreſſum an. 1771. in quo ſatis eloquens oratio Ludovici Seguierii contra malos libros, Religioni contrarios, & praecipue contra *Syſtema Naturae*, nec non Decretum contra libros eoſdem Parlamenti Pariſienſis ann. 1770. continetur.

(*b*) Vide Voltaerii ſcriptum, quod vocem *Dieu* in fronte gerit, ac deinde *Réponſe au Syſtême de la Nature Section II. Article tiré d'un livre &c.* Vide etiam librum hic indicatum *Queſtions ſur l'Encyclopédie par des Amateurs &c. IV. Partie* 1771. ejuſdem Voltaerii opus. Cave tamen putes, idem prorſus habere ſcriptum illud, atque articulus habeat libri hujus, a quo deſumptus dicitur. Sed quod notandum eſt diligentius, ipſa Mirabodii confutatio a Voltaerio adornata, confutatione indiget, imo potius objurgatione non levi. Etenim, ut alia plurima ſileam, incredibile dictu eſt, quam humane, atque urbane Voltaerius cum Mirabodio agendum putet, atque agat, quem verbis iſtis demulcere conatur = *Je ſuis perſuadé*, inquit, (*Queſtions &c. P. IV. p. m.* 301. *&* 302.) *que vous êtes dans une grande erreur; mais je ſuis également convaincu que vous vous trompez en bonnête bomme. Vous voulez qu'on ſoit vertueux, même ſans Dieu, quoique vous ayez dit malbeureuſement que „ dès que le vice rend l'bomme beureux, il doit aimer le vice „ Propoſition affreuſe, que vos amis auraient dû vous faire effacer. Partout ailleurs vous inſpirez la probité* = (Etiamne, Voltaeri, probitatem inſpirat ille, cum Reges, ne Sacerdotes dicam, ut immaniſſimos Tyrannos, qui ſpecie Religionis duriſſimum populis jugum imponant, exhibet, & acerbiſſime carpit, quod malitiam Pontificum, aliorumque Deceptorum, privatae utilitatis cauſa, juvare ſoleant? Sed alia tua verba nunc audiamus). = *Si quelque théologien voulait vous perſécuter, il ſerait un méchant, il ſerait un imprudent &c . . . . Vous avez tort; mais il faut reſpecter votre génie, & votre vertu, en vous réfutant de toutes ſes forces* = Hic idem Voltaerius in acerbiſſimum Dei hoſtem tam humanus, incredibile dictu eſt, quale praeſeferat in Religionem, ac Religioſos homines,

maxi-

Sed ut jam exequar, quod promiſi, hoc argumentum propono. Ille ſtultus, & indoctus habendus eſt, qui concordem totius humani generis, atque adeo ſapientiſſimorum hominum ſententiam ſuperbe contemnit, cum tamen ipſe, ut ſententiam hanc eamdem evertat, nihil proferat, quod riſu dignum non ſit. Haec in Mirabodium optime quadrant. Et ſtultus igitur, & indoctus, Mirabodius habendus eſt. Propoſitio illa, ex qua reliqua manant, nihil habet, quod ingenio vel mediocri non ſit manifeſtum. Videamus igitur an illa θέσις vera cenſenda ſit.

Quod homines omnes Dei cujuſque cultores a Mirabodio ſuperbe contemnantur, & ejus librum legenti ſatis eſt clarum, & a nobis etiam clarum alio loco fiet. Quod nihil proferat, niſi riſu dignum, hac ratione patet. Riſu dignum eſt (nam de poena non eſt hic diſputandi locus) ſed certe etiam riſu dignum eſt, ſi velis communem humani generis conſenſum evertere, opinione prolata, quae cum optimis argumentis facile refutetur, tum nullis a te firmetur argumentis, quae ſexcenties jam a doctis fere omnibus hominibus refutata non fuerint (*a*) aut certe faciilima ratione refutari non poſſint. Jam notas eas in impiam Mirabodii opinionem, cadere, partim in hoc, partim in alio capite manifeſtum faciemus.

Nam primo quidem opinio Mirabodii, quaenam eſt

tan-

maxime Catholicos Theologos, odium, atque contemptum, quibuſque contumeliis, atque calumniis Romanos Pontifices, & ipſum inter eos S. Gregorium VII., afficiat. Etenim ut eos maledictis proſcindat, & maximam iiſdem creet apud lectores invidiam, tum hoc in libro quaeſtionum, tum in illo ſcripto, quod innuimus, quamvis occaſionem ſtudioſe rimatur, & amplectitur.

(*a*) Quamquam apertius, ut dixi, quam reliqui fere omnes, Divinitati Mirabodius bellum indixerit, veriſſima tamen ea ſunt, quae ſtrenuus Religionis contra impios noſtri temporis propugnator Bergierius, ſcripta reliquit (*Exam. du Materialiſme, ou Réfutation du Syſtême de la Nature, Tom. I. Ch. XVII. §. VII. p.* 424.) = *que le Syſtême de la Nature eſt copié pour la plus grande partie, d'après la Contagion Sacrée, le Chriſtianiſme dévoilé, le livre de l'Eſprit, l'Eſſai ſur les prejugés &c. qu'en moins de dix ans, c'eſt pour la vingtiéme fois, au moins, que l'on répéte les mêmes objections & les mêmes clameurs* =.

tandem alia, quam illa Democriti, atque Epicuri, mundum hunc temerario, atque fortuito particularum materiae, quas atomos vocabant, concurſu natum eſſe fingentium? Mirabodii verba perpendamus (a) = *Materia*, inquit, *aeterna eſt, ac neceſſaria, ſed formae ipſius, atque combinationes tranſitoriae ſunt, & contingentes* = Mutationis autem, atque adeo procreationis cujuſcumque cauſam tribuit naturali motui, quem tertio quoque verbo rerum omnium quaſi parentem agnoſcit. Iam vero materiam aeternam, & neceſſariam Democritus etiam, & Epicurus induxerunt. Eamdem varias induere formas, quas aliquando deponeret, cum in novas quaſdam abiret, iidem docebant; neque minus, quam Mirabodius, viciſſitudinum omnium cauſam rejiciebant in motum, quo indiviſa illa corpuſcula agitarentur. Atqui Caſum, inquis, illi omnium operum agnoſcebant architectum, cum omnia Mirabodius naturae tribuat.

At primo quidem adeo naturae nomen Democritus, & Epicurus non rejiciebant, ut illud non minus ac noſter Atheus ad fucum hac in re faciendum uſurpare ſolerent. Lege, ſi vacat, quae fuſe diſputat Vellejus Epicureus apud Ciceronem, de Natura Deorum (b). Videbis profecto nihil fere a Mirabodio fuiſſe prolatum, quod non tanto ante veteres illi dixerint. Deinde, aut Mirabodius verba ipſe ſua non intelligit, aut non minus quam Epicurus Caſum fuiſſe rerum omnium auctorem arbitratur. Nam rogo: Cum ille

(a) = *La Matiére* (inquit *I. P. p.* 83.) *eſt éternelle, & néceſſaire, mais ſes formes, & ſes combinaiſons ſont paſſagéres, & contingentes* = Alibi tamen alia dicit quae cum his mirifice pugnent. Vide Bergier *Ex. du Mater. tom.* 1. *C. XVII. §. VI.*

(b) *L. I.* ubi ſic Vellejus = *Docuit enim nos, idem qui caetera, Natura effectum eſſe mundum, nihil opus fuiſſe fabrica, tamque eam rem eſſe facilem, quam vos effici negetis ſine divina poſſe ſolertia, ut innumerabiles natura mundos effectura ſit, efficiat, effecerit. Quod quia, quemadmodum Natura efficere ſine aliqua mente poſſet non videtis, ut Tragici Poetae, cum explicare argumenti exitum non poteſtis, confugitis ad Deum &c.* = Similes omnino voces & querelas eaſdem in Mirabódio paſſim invenias.

ille contingentes fateatur eſſe formas rerum, cur has potius formas, quam illas Natura produxerit? Id ferebant leges motus. Rogo iterum, cur id leges motus ferrent, cum aliquid longe diverſum ferre potuiſſent? Nam ſi quod ferebant neceſſario ferebant, neceſſariae ſunt ille rerum formae, neceſſariae ſunt omnes figurae, neceſſarium eſt quidquid videmus. Neceſſarium autem contingens eſſe non poteſt. Hic aut inanium verborum effugia quaeres, ut Spinoſa quaerebat, cum ab amicis ita decipi volentibus, ut alios quoque decipere poſſent, moleſtis quibuſdam interrogationibus vexaretur (*a*); aut, quandoquidem a Mundi fabrica mentem quamcumque arces, ad Caſum illum Epicureum aliquando confugies. Eum, mihi crede, tota iſthaec tua doctrina inducit, ſi vel minimo temporis momento ſibi conſtans videri velit. Caſu nempe factum eſt, ut hoc potius in loco, quam in illo particula materiae quaevis inveniretur, caſu quod in aliam incurreret, caſu quod ambae vel molis ejus eſſent, vel figurae, ut apte inter ſe jungi poſſent, caſu quod aliarum acceſſio facta fuerit, caſu quod ex omnibus corpus extiterit ſatis ingens, caſu alia innumera, quae perſequi oratione non vacat.

Iam doctrinam eam de Caſu Mundi Architecto cum indignam eſſe philoſopho, tum ridiculam, tum inſanam & ſapientes omnes, & inſipientes facile ſentiunt. Quod pertinet ad ſapientes, nemo vel mediocriter in hiſtoria Philoſophiae verſatus veriſſima eſſe non concedet, quae magnum illud Angliae, quin et totius Europae lumen, ac plurium bonarum artium inſtaurator Baconus (*b*) graviſſime pronunciavit = *Democritus*, inquit, *& Epicurus, cum atomos ſuos praedicabant, eo uſque a ſubtilioribus nonnullis tolerabantur; verum cum ex eorum fortuito concurſu fabricam ipſam rerum abſque mente coaluiſſe aſſererent, ab omnibus riſu excepti*

A a 2 *ſunt* =

(*a*) Vide ejus epiſtolas.

(*b*) *De Augment. Scientiar. L.* 3. *c.* 4.

ſunt = (*a*) Quod vero ſpectat ad inſipientes, non aliud afferam, quam quod & Baylius, & Clarkius (*b*) veriſſime teſtati

(*a*) Homines docti non mediocriter aetate noſtra mirari ſolent, Mopertuiſium ſcribere potuiſſe Epicureorum ſententiam, omnia caſui tribuentium, haud omni prorſus probabilitate caruiſſe; quare ex mundi univerſi ordine, atque ornatu argumentum peti non poſſe omnino evidens ad potentiſſimam ſupremi Numinis demonſtrandam, ſapientiſſimamque Naturam (Vid. Maupertuis, *Eſſai de Coſmolog. Avant-prop. pag.* 8.) Id tamen ille praemittit, ut facilior novae ſuae cuidam Demonſtrationi aditus pateſiat, a lege neſcio qua *refractionis* petitae, quam ipſe *legem minimi* appellat, aut *principium minimae quantitatis*. Ea ſcilicet in re minimum, inter eos qui fieri poſſint, a natura motum adhiberi contendit, idque ſupremi Conditoris Providentiam manifeſte declarare. Sed, praeter quam quod non poſſit ea Demonſtratio, niſi a doctioribus percipi, imo ex doctioribus plerique legem illam omnino commentitiam putent, quam tandem Auctor ipſe (Vid. ejuſd. *Venus Phyſique*) rejecit, quid erat, per eum ipſum, de cujus Providentia loquimur, quid erat id, quam argumentum, fuſius a doctis hominibus explicatum, & clariore in luce propoſitum adhibere? ſi enim adeo mirum accidere debet minimum, ubi opus eſt, idque perpetuo a natura motum corporeis particulis miniſtrari, ut vel hinc ſapientiſſimam Mentem illius motus cauſam agnoſcas, nonne tam rati aſtrorum, immutabileſque curſus, tanta in pulcherrimis, aptiſſimiſque rebus cum gignendis, tum vero ſervandis naturae conſtantia multo plus admirationis habebit? Nimirum id philoſophos inter praecipue recentiores, uſuvenire videmus, ut dum ſuas aliqui merces venditare volunt alienarum exiſtimationem elevar conentur; quod tamen an honeſtum cenſendum ſit, liberalis, & ingenuus Lector agnoſcit.

(*b*) Verba Samuelis Clarkii de doctrina Epicurea loquentis *Tom. I. Exiſt. de Dieu Ch. IV. p.* 78., haec ſunt = *opinion ſi abſurde, & ſi extravagante, que tous les Athées modernes l'ont, je penſe, abbandonnée: c'eſt pourquoi je n'en parlerai point dans la ſuite de ce diſcours* = Inter impios tamen, eoſdemque inſipientes Recentiores, poſt Clarkii tempora, non parum Hypotheſi Epicureae tribuere videtur male ſanus Auctor *Cogitationum Philoſophicarum* (*Penſées Philoſophiques*) de quo vide librum ſatis utilem, cui titulus. *Il Filoſofo Moderno, o ſia l'Incredulo condannato al Tribunale della ſua ragione*: qui converſus in Italicum ex Gallico ſermone, paucis ab hinc annis Lucae prodiit. Inſanus ille Auctor, inter alia, dixerat, non poſſe Atheos hinc urgeri, quod ex fortuito Atomorum concurſu tam non poſſit mundus exiſtere, quam neque Ilias Homeri, neque Henriades Voltaerii ex turbatis caſu quopiam, atque projectis litterarum notis. Etenim, ait apud doctum Scriptorem, quem laudavi = *Io mi guarderei dal far queſto raziocinio ad un Ateo; queſta comparazione gli darebbe vinta la partita* ... *Qualunque foſſe la ſomma preſcritta dei Caratteri, con i quali uno m'obbligaſſe di produr-* re

ſtati ſunt; nempe doctrinam illam Epicureorum adeo ſtultam ipſis Atheis, atque aliis impiis eſſe viſam, ut multis jam a ſaeculis eamdem omnino repudiaverint. Aetate ſane hac noſtra non ea doctrina viget inter Atheos, at alia longe diverſa = *quod omnia* nempe *ex Naturae Divinae*, ut ait Spinoſa, nempe unicae illius ſubſtantiae *neceſſitate promanant* = tam mirabilis viſa minutis Atheis noſtris, quam non intellecta ſententia.

Sed jam geramus Mirabodio morem, neque amplius de Caſu, quoniam hoc ille nomen faſtidire videtur, at de Natura potius verba faciamus. Haec eadem opinio de Natura, nullum agnoſcente dominum, ac ſola omnium genitrice rerum, quoties auſa eſt caput efferre, toties cordatis hominibus & contemptu, & riſu digniſſima viſa eſt. Non enim inter veteres, ac recentiores Atheos, praeter Mirabodium, alii defuerunt, qui cum argumentum a Mundi pulchritudine petitum non mediocriter formidarent, ad naturam ipſam, veluti ad aram, confugerent, ne Deum, quem non eſſe vellent, agnoſcere compellerentur.

Hujus ingenii fuiſſe plerisque videtur Plinius, Naturae caeterum venator, ſi ita loqui fas eſt, & inveſtigator acerrimus, ſed in arte critica, atque ipſa dialectica parum exercitatus (*a*). Scribit enim aliquibus narratis naturae miraculis = *Per quae declaratur haud dubie naturae potentia, idque eſſe, quod Deum vocamus* = quibus verbis declarare videtur, quod alibi (*b*) dixerat = *Mundum numen credi par eſt, aeternum, immenſum, neque genitum, neque interiturum unquam* = & alia in hanc rem plura profecto, quam neceſſe fuerat.

Id hominum genus Seneca (*c*) ita caſtigat = *Non intel-*

re a caſo l'Iliade, v'è pero una data ſomma di combinazioni, che mi renderebbe vantaggioſa la propoſizione = ſubdit hic noſter Auctor = *Non vi ſarebbe altro, che accettar la disfida, e metterlo alla prova. Ecco tutta la riſpoſta, che merita un aſſunto sì proſontuoſo* =

(*a*) *Lib.* 2. *c.* 7.

(*b*) *Lib.* 1. *c.* 1.

(*c*) *De Beneſic. l.* 4. *c.* 7.

Digitized by Google

telligis te mutare nomen Deo? Quid eſt aliud natura quam Deus, & Divina Ratio, toti mundo, & partibus ejus inſerta? = Quamquam autem homo ſtoicus aliquid innuit, quod probare non poſſumus, in eo certe probari debet, quod ſapientiſſima ratione mundum, ac ſingulas ejus partes contendat admirabiliter adminiſtrari.

Porro cum Naturae nomen adeo frequenter uſurpant Athei noſtri, diligentius explicare deberent, quid ei ſuppoſitum velint, ut quod docere cupiunt, intelligi poſſet. Nam ſi priſcos illos Graeciae, vel Italiae Philoſophos conſulamus, alii naturam eſſe dicunt = *vim quamdam ſine ratione cientem motus in corporibus neceſſarios* = alii autem = *vim participem rationis atque ordinis, tamquam via progredientem, declarantemque quid cujuſque rei cauſa efficiat, quid ſequatur* =, (*a*) cujus ſolertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex conſequi poſſit imitando.

Nam recentiores Peripatetici, qui Naturae notionem ita partiti ſunt, ut alia Natura *Naturans*, alia vero *Naturata* diceretur, qua poſtea diſtinctione Spinoſa turpiter abuſus eſt, cum voces Latinis auribus inconditum quiddam ſonantes, ac peregrinum adhibuerunt, tum nihil attulerunt, quod rei, de qua diſputamus, clara in luce collocandae neceſſarium videri poſſet.

Iam ſi altero modo naturae nomen uſurpes, praeſertim ſi non genitam dicas, a qua neceſſario, quidquid gignitur, gigni debeat, tum vero illud Senecae maximè locum habet, te non Deum de medio tollere, quamvis fortaſſe ſublatum cupias, ſed ei nomen mutare, ac de illo, quod mihi videtur addendum, non recte ſentire. Natura ſcilicet ſumma potentia, ſumma ſapientia, parique bonitate praedita, quae ſit omnium artifex, ac moderatrix rerum; cujus voluntati; (quandoquidem tantam rerum molitionem ſine follibus, & incudibus effectam eſſe non ſatis eleganter jocantibus Epicureis ultro concedimus) cujus, inquam,

(*a*) Apud Cicer. *de Natura Deor. l.* 2.

quam, voluntati omnia elementa paruerint, & pareant, quid aliud, quam Divina Natura, atque ideo Deus eſſe poteſt? Porro Naturam hujuſmodi ſaltem confuſa ratione jam agnoſcis, ſi naturam ratione praeditam, atque ordinis amantem, rerum omnium Univerſitati producendae praeficias: cui quidem Naturae ſi qua tribuas, quae praeſtantiſſimae nos, beatiſſimaeque Naturae convenire non poſſe arbitremur, in alium ea quaeſtio locum differenda eſt. Interim habemus, quod volumus. Sin vero, qui ſenſus eſt Mirabodii, Naturam, ex qua omnia conſtant, ſine ratione motus cientem in corpore neceſſarios inducis; quam alii *principium motus, & quietis intimum cuique corpori*, alii *radicem proprietatum* ejuſdem definiunt; tum vero non minus contra te, quam contra ſtultos illos Caſus Epicurei defenſores, argumentum faciet ex Mundi pulchritudine, ac tanta varietate rerum cum ordine tam mirabili conjuncta, tamquam ſponte dimanans (*a*).

Nam, qua ratione probatur hanc rerum univerſitatem non eſſe opus caſus, probatur etiam cauſae non eſſe opus, quae praedita mente non ſit, atque conſilio. Quemadmodum enim caſus, ita & alia cauſa quaevis caeco modo operans, non habet, ut verbis utar inter Philoſophos uſitatis, *proportionem cum effectibus* adeo mirabilibus, atque adeo pulchris. Non ſolum rideretur, qui diceret poëma Virgilii eſſe opus caſus, ſed etiam qui diceret pſittacum quemdam cum, voces humanas imitari didiciſſet, pri-

(*a*) Argumentum a Mundi pulchritudine ducunt Auctores fere omnes, qui tum Atheos, tum reliquos Divinae Providentiae hoſtes impugnant. Ut aliquos appellem nominatim, legi meretur Plato, Ariſtoteles, Plutarchus, variis in locis, ac praeſertim Patres illi, quos Petavius citat. Inter recentiores Paulus Segneri *Incred. ſenza ſcuſa P.* 1. Ray *de Exiſt. Dei demonſ. per Creaturas*, Niewentit *de Exiſt. Dei*, Derham *Theolog. Phyſiq. & Aſtronom.*, De Reaumur *in Mem. ad hiſtor. inſect.*, Hooke *Relig. Nat. P.* 1., Valſechi *L.* 1., ac recenter edita *Diſſertatio de Mundo*, Andreae Spagnii Florentini ex Soc. Jeſu. Romae 1770. in qua, cum hoc ipſe argumentum egregiè tractat, tum plures alios, qui tractant, nominat, atque ſequitur.

Digitized by Google

primo *Arma*, deinde *Virum*, & alia omnia, quodam inſtinctu Naturae, protuliſſe verba, ex quibus admirabile illud poëma conſurgeret.

Nimirum Natura ipſa nos docet, nihil eſſe, ut ajunt Philoſophi, ſine ratione ſufficiente. Ipſi Athei videntur id agnoſcere, cum Deum eſſe negant, quia rationem ſufficientem, cur eſſe credatur, afferri non putant. Iam ratio, cur ſit haec admirabilis Univerſitas rerum, eſſe non poteſt a cauſa, quae nulla, vel etiam non ſumma, ſapientia praedita videatur.

Poteſt id ſimilibus multis facile declarari. Si quis videret pulcherrimam ſtatuam, non abſimilem illis, quae a Phidia, vel Praxitele fieri ſolebant, ac diceret, rationem totam ſufficientem, cur eſſet potius, quam non eſſet, in marmoris ipſius, aut etiam, ſi vis, inſtrumentorum quorumdam, quibus motus impreſſus fuerit, naturam, videri refundendam, nonne aliquid afferret prorſus riſu dignum, & incredibile? Profecto clamarent omnes, mentem Artificis potiſſimum, atque induſtriam fuiſſe laudandam, quae ferreis inſtrumentis uſa marmor ipſum ita ſubigere potuerit, ut formam exprimeret adeo venuſtam, atque adeo nobilem; ac porro mente captum eſſe, qui praeclari artificis mentem in opere tam egregio non agnoſceret.

Etenim optime ſcripſit in hanc rem Wiſtonus (*a*) = *Qui ex artificiis ſibi propoſitis impar eſt ad deducendam exiſtentiam artificis, hic caret ratione, & qui nolit legitimam fateri deductionem illam eſt minus honeſtus ruſtico quovis viliſſimo* = Scilicet ipſa Natura, quacumque tandem ratione, monet, res eo modo diſpoſitas, quo tantum a Mente ſummi conſilii, atque ſapientiae, diſponi videmus, opera cauſae, nihil, aut parum, intelligentis, eſſe non poſſe (*b*). Hoc judicium ſi de medio ſublatum velis, non eſt cur ex ope-

(*a*) Whiſton *Aſtron. Princ. p.* 8. *pag.* 258. Verba damus ipſius, ut exhibet Spagnius.

(*b*) Videndus in hanc rem Buffierius (*Buffiers*) *Elem. de Metaphyſ. Entret.* 6. *n.* 81. *col.* 933.

operibus, quae ſummi quidam viri ſcripſerunt, de illorum ingeniis aliquid ſtatuamus. Semper enim poterit dici, quamvis mente non pollerent egregia, tamen egregia opera conſcribere potuiſſe.

Si quis in ultimas mundi oras, quo nemo unquam appuliſſet, nimbo aliquo, vel tempeſtate Maris, aut alia cauſa compulſus, aliquod illic pulcherrimum aedificium ex pulcherrimis lapidibus conſurgere videret, nonne opus illud artificis, ac praeſtantiſſimi quidem, agnoſceret? Sin autem ab aliquo ejus regionis incola audiret, eſſe quidem illud aedificium omnibus numeris abſolutum, at non alium auctorem habere, quam fatuum quemdam hominem, qui non modo architecturam nunquam didicerat, ſed ne ſuum quidem nomen pronunciare noverat; quique, ut tempus falleret, hac, & illac, per totam diem, ſaxa cum caementis, ac lignis projiciebat, puerosque vocabat plures ludicrae delectationis ſocios: ſi quis, inquam, talia audiret, nonne ſibi tamquam magis fatuo, quam ille, de quo talia dicerentur, illudi putaret? Sin alius vero incola qui ſapientiſſimus omnium haberi vellet, ut alterius errores in narrando corrigeret, hoſpite humaniſſime ſalutato; ne credas, diceret, illi homini, qui temerario lapidum jactui ab amente facto tantam, tamque praeclaram nobiliſſimi edificii conſtructionem tribuendam eſſe commentus eſt. Ego veram te rationem docebo, dummodo me audias, qua id praeſtitum fuerit. Saxa, quibus haec tanta moles confecta eſt, quorum tu ſimilia tuis numquam in regionibus videre potuiſti; ſunt enim hujus noſtrae maximè propria; quemadmodum apud vos magnes attrahit ferrum, ita ipſa mutuo ſeſe attrahunt. Hoc tamen inter magnetem veſtrum, noſtraque ſaxa diſcrimen eſt, quod ea, cum vi attractionis ejuſdem maximè acceſſerint, ita ſe, natura ipſorum ad id occulta quadam vi impellente, conformant, ita ſe accomodant, aut unum alteri ſuperſtruitur, aut adnectitur, aut ſupponitur, ut aedificia tandem pulcherrima conſurgant,

 Do-

Domus, Templa, Theatra, Arces, aliaque hujuſmodi, hominum uſibus opportuna, cujus generis unum tuis oculis obverſatur. Porro, ſi quis iſta afferret, nonne, aut cum eo, quem delirare putaret, loqui, aut ipſe delirare, nec mediocriter, videretur?

Iam haec tota, Mirabodi, ut facile vides, *mutato nomine de te fabula narratur*. Quamquam, ut verum fatear, homo ille, qui ſapientiſſimus haberi vellet, eaque doceret, quae diximus, non adeo incredibilia narraret, ut tu narras, cum naturam, nullo conſilio directam, operum naturalium ſolam effectricem eſſe credulis hominibus perſuadere contendis. Nam, ut omittam, quod ea ſaxa, licet conſilio carentia, poſſent ab ipſo auctore naturae ad opera efficienda tam praeclara dirigi, nonne aſtra, nonne Sol iſte, qui omnia lumine complet, Sol iſte, cujus munere vivimus, nonne Luna, quaeque Stellae dicuntur errantes, nonne terra, tanta frugum, arborum, florum, aquarum, collium, animantium varietate ornata, nonne mare, nonne aër, nonne caetera naturae miracula, quae tuos undique incurrunt in oculos, praeclariora ſunt opera, quam ea aedificia, quae hominum ars naturam imitata extruere conſuevit (*a*)? Quod ſi ars ipſa ſine ratione nihil efficit, quomodo ſine ratione aliquid efficit natura, quae tanto perfectiora, & omni in genere meliora molitur? Quae

(*a*) Quoniam ab inſtituti noſtri ratione alienum eſſet in hoc argumenti genere fuſius immorari, Lectorem rogamus, qui plura de his cognoſcere cupiat, ut eruditiſſimam illam Andreae Spagnii Diſſertationem ſtudioſe legat. Hanc enim propoſitionem = *Mundus eſt admirabilis* = ita declarat, ut Recentiores etiam Philoſophi, atque Aſtronomi, nihil omiſſum a doctiſſimo viro fuiſſe, quod ſummi conſilium, atque ſapientiam Artificis oſtendat, conqueri poſſint. *Sectione* autem *I.* agit de magnitudine corporum, quae ſunt praecipuae Mundi partes, atque hinc de Planetis, de Cometis, de Stellis fixis, de ſimilitudine, quae Planetas inter, ac Tellurem hanc noſtram intercedit. *Sectione II.* de numero agit corporum coeleſtium. *III.* de corporum ipſorum coeleſtium diſpoſitione. *IV.* de brutorum numero. *V.* de numero vegetabilium. *VI.* de ſtructura corporum organicorum. *VII.* de mirabili humani corporis artificio, ubi etiam de humani dotibus animi. *VIII.* ſolvit illorum argumenta, quibus terrae ſtructura viſa non eſt admirabilis.

Digitized by Google

Quae cum ita ſint jure mihi videor eſſe dicturus, homines, qui maxime inſanientes a poëtis immittuntur in ſcenam, cum Mirabodio, contra Deum, Deique cultores diſputante comparari vix poſſe. Nam, ſi non eſt ſapientis hominis opinionem edito libro proponere, quae nulla ſatis probabili ratione defendi poſſit, profecto eſt illius, ut initio ſignificabam,

Quem fanaticus error, & iracunda Diana,

vexet, putare, generi hominum univerſo eam opinionem opponi poſſe, ut in turpiſſimo per omnes aetates errore verſatum fuiſſe videatur (*a*).

CAPUT XXXI.

Ejuſdem ſtultitia Scriptoris alia ratione oſtenditur.

UT nihil ad amentiam, atque ſtultitiam Principis noſtri temporis Atheorum addi poſſe magis aperte declarem, juvat hic aliquid de rationibus advertere, quibus ille velut imponere Pelion Oſſae molitur, ut contra Superos bellum gerat.

Ac primo quidem ad examen revocemus Mirabodii argumentum, quod egregius ille, ſi Superis iiſdem placet, impii Scriptoris impugnator Voltaerius tanti facit, ut a temerariis, ſic enim nos appellat, indoctiſque hominibus, materiam cogitare umquam poſſe negantibus, nulla ratione diſſolvi poſſe arbitretur (*b*). Jactat ergo Mirabodius Theologos, qui materiam a Deo ad cogitandum evehi poſſe negant, ſi quidem ipſi conſtare ſibi velint, Atheos futuros (*c*):

 ete-

(*a*) Rationes alias validiſſimas omitto, ut brevitati ſerviam, quibus impiae doctrinae ſtultitia demonſtrari facile poteſt.

(*b*) Vide Scriptum illud, de quo loquuti ſumus, *p.* 14.

(*c*) *Syſtême de la Nature &c. p.* 100.

etenim eodem modo fieri non poſſe, ut Spiritus, aut Cogitatio materiam producat, quo fieri non poteſt, iiſdem Theologis auctoribus ut Materia ſpiritum producat, aut cogitationem ipſam: non ergo a Deo mundum fuiſſe productum: itaque hunc ab aeterno jam tempore fuiſſe; & cum aeternae duae ſubſtantiae, fatentibus etiam Theologis, eſſe non poſſint, nullum jam aeternum Deum, praeter mundum, eſſe agnoſcendum.

Huic argumento, cum id, in quo cardo difficultatis verti debuerat, ſumat potius, quam probet, nimirum, qua ratione materia ſpiritum, aut cogitationem producere non poteſt, eadem neque poſſe a ſpiritu, aut a cogitatione produci, ſatis reſponſum eſſet, ſi quaedam, populi etiam apta judiciis, exempla colligeremus. Neque enim homo nobilis poteſt aliquem Regem conſtituere, cum ipſe nobilis a Rege conſtituatur, neque domus unquam architectum ex ſe gignere, cum ipſa tamen architectum auctorem habeat, neque charta haec, quam exaro, calamo poteſt aliquid inſcribere, cum ipſe calamus in eadem charta de Mirabodii ſtultitia multo plura quam ſcribat, ſcribere certe poſſit.

Sed quod Mirabodius non fecit, jam nos faciamus, ut magis ad vivum iſta reſecemus. Materia non poteſt ad cogitandum evehi, quod materiae, atque cogitationis notiones ita repugnent, ut altera res alterius veluti *ſubjectum* eſſe non poſſit. Etenim ſi materia cogitaret, jam cogitatio, quae nemini fere *ſubſtantia* videtur, nemini videri debet, materiae *modus* eſſet. Jam porro totum id intelligentiae noſtrae vim, ac notionem omnino fugit. Etenim aliquid multo perfectius inerti materia cogitatio eſt. Neque vero in cogitatione poſſunt ullae proprietates habere locum, aut ſatis cum ea componi, quae cum materia poſſunt, ac debent. Quid Cogitationi cum *Soliditate*, cum *Extenſione*, cum *Diviſibilitate*, cum *Impenetrabilitate*, cum *Gravitate* commune? Plurima in hanc rem homines acuti, neque tantum, qui Religioni favent, ſed etiam inter eos aliqui Religioni non

fa-

ſatis aequi, ac praecipue Baylius, atque Ruſſojus aſſerunt, quae perſequi hoc loco nihil neceſſe eſt. Hoc tantum dico. Ut Mirabodius illud ſuum argumentum urgeat, ac Theologos non ſibi conſtare probet, hoc demonſtret oportet: Si Spiritus nobiliſſimus poſſet materiam producere, materiam ipſam Spiritus ejuſdem fore *modum*, adeoque ſpiritalem etiam ipſam, atque divinam. Id autem qua ratione probat? An dicet id ſatis apertum eſſe, quod nemo vidit ante ipſum, nemo ſuſpicari potuit?

Ac ſane, cum illi Spiritui vis infinita tribuatur, & optimis argumentis aſſeratur, quis jam dixerit, niſi demens, ipſi virtutem non ineſſe aliquid a ſe omnino diſtinctum producendi, atque creandi? Materia, inquit Mirabodius, ſpiritum a ſe diſtinctum producere non poſſet. Ultro confiteor. Sed materiae notionem habeo ab experientia, & ab ipſa ratione mihi comparatam, qua nullam ei video intelligentiam ineſſe, nullam voluntatem, atque conſilium, quin & *mechanicas*, ut ajunt, illius *vires*, quamvis a nulla mente pendere exiſtimarem, valde tamen exiguis finibus comprehenſas eſſe perciperem. Quare poſſe aliquid ab ipſa creari non modo ipſe non intelligo, ſed neque intelligo, qua ratione aliquis id ipſum ſuſpicari poſſit. Num haec omnia, ut reliqua ſileam, ad Spiritum illum, cui te praebes acerrimum inimicum, ne ulla quidem ratione prolata, exiſtimas poſſe transferri? Num argumenta illa ne refutanda quidem exiſtimas, quibus & ſummam illi Sapientiam, & Libertatem, & Potentiam inesse demonſtramus?

Itaque Lector ingenuus videt argumentum, de quo fortaſse Mirabodius, tamquam novo, atque ſuo, gloriari potuiſset, homine indignum eſſe litteris exculto, ac liberalibus diſciplinis erudito. Similia reliqua ſunt, vel etiam magis abſona, ex quibus infame illud opus conficitur.

Pugnat enim, ut Deus non eſse videatur, quod non aliud quam *Ens rationis*, ut ait, eſſe poſſit; cum nec quibus praeditum ſit dotibus, nec quod exiſtat, ſenſus noſtri poſ-

poſſint ulla ratione deprehendere (*a*). Item ex eo, quod ubi ſit Ens illud ſupremum, detegere non poſſimus, eſſe ullo in loco negat.

Hujuſmodi ridiculae rationes non, quod ille vult, conficiunt, ut nullus dicendus ſit exiſtere Deus, ſed ut homo ſtultiſſimus ille ſit habendus, qui Deum eſſe non putat. Etenim qui non putat, non aliis poteſt duci rationibus, quam aut allatis, aut omnino ſimilibus, quas tantummodo tribus Anticyris caput inſanabile probaturum eſſe videatur. Qui leviter etiam ſapit, ſententiam illam Grotii veriſſimam eſſe putat, quam ſubjicio (*b*) = *Quod obtendunt*, inquit, *nonnulli, quia non videant Deum, eo ſe nec credere, ſi quid vident, ſatis vident, quam hoc ſit homine indignum, qui modo mentem habere ſe credat, quam non videt.* = Veriſſima etiam Grotii verba ſunt, quae iis adjacent, ſtultiſque ſolvendis Mirabodii rationibus non paucis aptiſſima = *Nec ſi capere*, inquit, *Dei Naturam noſtro ingenio non poſſumus, ideo talem eſſe Naturam negandum eſt. Eſt enim id inferioris cujuſque proprium, ut quae ſe ſuperiora, atque excellentiora ſunt, capere non poſſit. Ne beſtiae quidem, quid homo ſit, capiunt; multoque minus ſciunt, qua ratione homines reſpublicas inſtituant, ac regant, aſtrorum curſus metiantur, mare navigent. Haec enim omnia ipſarum captum ſuperant* =.

Et hae quidem optimae Grotii rationes Mirabodium fortaſſe magis, quam alios quoſdam impios premunt. Etenim ille ſimiles rationes intorquere conatur contra nos, qui non tantum Naturae tribuere volumus, quantum ipſe tribuit. Itaque nos arguit, quod, cum Naturae quid poteſtas ferat cogitatione conſequi non poſſimus, hinc Naturam ipſam ſtulte nolimus rerum omnium, excluſo Deo, genitri-

(*a*) *Pag.* 167. = *Cette intelligence ineffable, que l'on place au gouvernail du monde, & dont nos ſens ne peuvent conſtater ni l'exiſtence, ni le qualités, eſt un Etre de raiſon* = Alibi ſimilia, nec raro.

(*b*) Hugo Grotius *de Verit. Religionis Chriſtianae L.* 1. *p. m.* 42. Similia his, quae dicit Grotius apud probatiſſimos Metaphyſicos paſſim invenies.

tricem agnoſcere (*a*). Iſta qui loquitur, ſi tamen quid loquatur intelligit, jam agnoſcit, aliquid verum eſſe putandum, cujus rationes omnes non ſatis aſſequi poſſimus. Qua fronte igitur hic idem poterit Supremi Numinis Attributa, maxime Providentiam ſtultis quibuſdam argumentis aggredi, quae non aliud oſtenderent, ſi quid oſtenderent, quam non poſſe omnia nos ad infinitam illam, aeternamque Naturam pertinentia, ingenii noſtri tam imbecillis, & exigui acie comprehendere; neque rationem videre poſſe, cur aliqua Deus optimus eſſe mala permittat, cur aliqua bona non creet, cur demum non eo modo, quo nobis expedire fortaſſe videretur, rerum omnium univerſitatem adminiſtret, & nos, & vitas, & commoda noſtra tueatur? (*b*)

Caete-

(*a*) *C. IV. P. 89. T. I.*

(*b*) Non uno in loco ſecum ipſe Mirabodius pugnat; imo vix error eſt in ejus libris, qui non poſſit ex iiſdem libris facile refutari. Ex. gr. nos arguit, quod Deum credamus = *dont tous les attributs ſont des abſtractions* = (*To. I. Ch. X. p.* 178.) At ſi eumdem audiamus, Natura, quam Divinitati ſubſtituit = *eſt un être abſtrait* = (*T. I. Ch. I. p.* 11.) Saepe nos ridet, quod *aeternum*, & *infinitum* veneremur Deum. Ipſi tamen (*Tom.* 2. *Ch.* 4. *p.* 134. 135.) materia, & *aeterna* eſt, & *infinita*. Idem, cum ex neceſſitate naturae putet hominem agere, quaecumque agit, atrocibus verbis Divinitatem aggreditur, quae ſi Theologorum ſtet opinio, hominem puniat; etenim = *des erreurs invincibles, des crimes involontaires, ne peuvent être punis, que par le plus cruel, & le plus injuſte des tyrans* = (*To.* 2. *Ch.* 10. *p.* 304.) At alio loco docet (*To. I. Ch.* 12. *p.* 228.) juſte per humanas leges hominibus peccantibus poenas infligi. Ipſe autem eos, qui Religionis jugum populis imponant, non modo totis voluminibus concidit, & acerba quavis contumelia vulnerat, ſed a toto terrarum orbe cuperet exterminari. Mirabodius etiam, ut poſſe materiam cogitare doceat, cogitationem ipſam, non ſecus ac materiam, dividi poſſe cenſet (*To. I. Ch.* 8. *note p.* 113.) Paucis tamen interjectis verbis aſſerit = *que les formes de la matiere ſont indiviſibles comme la penſée* = Pugnat ut *vis inertiae* ſit quaedam *Actio*, ac *motus* in materia *ſpecies* (*To. I. Ch.* 2. *p.* 18. & 19.) At eodem capite (*p.* 30.) fatetur non aliud eſſe ab eadem *inertiae Vi* = *que le repos ou la négation du mouvement* = Modo hominem improbum fere ſolius medicinae ope ſanari poſſe contendit (*T. I. Ch.* 9. *p.* 124.) & id quidem ex doctrina ipſius Mirabodii neceſſitatis jugum hominibus imponentis, & nos machinas totidem, per quas agat ipſa natura, eſſe putantis, manifeſto conſequitur; modo educationi, rectae, ſanaeque doctrinae, ac ſanctitati Legum omnia tribuit; ipſe autem ſibi

blan-

Caeterum Mirabodii ſtultitiam illud ipſum prodit, quod aſſeruit, nos ad Supremum Numen eo confugere, quia Naturae vim, & efficacitatem ignoremus. Non enim nos hac ratione argumentamur: Non poteſt intelligi modus, quo res omnes Natura ſine mente produxerit: ergo Natura rerum artifex, atque parens agnoſci non debet: ſed ex rerum omnium ordine pulcherrimo, & conſtantiſſimo Sapientiam ſummam Artificis alicujus, aut Architecti colligimus, quod hae duae notiones, Summi cujuſdam Ordinis, ac Mentis, quae Ordinem illum induxerit, ita ſunt inter ſe conjunctae, ut prima illa ſine altera ſtare non poſſit. Nimirum, ut ſcripſit in hanc rem optime Pluchius apud Spagnium (*a*) = *Ecquando profertur horologium ad demonſtrandum eſſe horologiorum artificem. Hae duae ideae ita inter ſe connexae ſunt, ut nullo opus ſit conatu ad illarum unionem efficiendam, de qua ſi quis dubitaret, nemo eſſet, qui tempus vellet inſumere ad hujuſmodi dubium amovendum* = Huic rationi Mirabodius occurrit praeclara quadam, ac tanto ingenio digna ſententia. Ordo, inquit (*b*), aut Ordinis privatio nihil revera eſt. Omnia ſunt, ut caeca fert Naturae neceſſitas. Igitur ex Ordine rerum colligere nihil poſſumus. Haec tanta furioſi hominis audacia paucis interrogatiunculis irretiri facile poteſt. Quid? cum Ordo ſit, *compoſitio rerum aptis, & accommodatis locis* (*c*) nulla ne tibi, Mirabodi, vel in tuo corpore hujus-

blanditur, ac ſperat humanum genus, librorum ſuorum ope, a tot erroribus, ac foeda ſuperſtitione tandem aliquando deductum iri. Qui plura de hoc genere cupiat, egregium librum legat, quem in Mirabodium anno proxime elapſo (1771.) Bergierius edidit; qui debellato Ruſſojo, & Incredulis aliis, non minus nobilem nunc de Principe Atheorum triumphum ducit. Vide praeſertim *T. I. Ch. XVII. §. VI.*

(*a*) *Diſſert. de Mundo p.* 132. ubi citat Pluchium (*Pluche*) *Spectalc. de la Nature To.* 3. *&c.*

(*b*) *I. Part. p.* 60. = *L'ordre, & le déſordre n' exiſtent point &c.* =

(*c*) Vid. Ciceron. *de Offic. L.* 1. Ordinis ea deſcriptio mihi magis arridet, quam alia quaedam, licet doctis hominibus, Buffierio, Muratorio, Vernejo, Spagnio probata, ſcilicet = *connexio mutua plurimarum rerum in unum finem conſpirantium* = Etenim in hac altera deſcriptione Ordinis, ipſa finis intentio videtur in-

juſmodi compoſitio videtur eſſe? Num perinde tibi eſſet caput infra pectus, ut ſupra collum habere? num idem oculos in tergo, atque in fronte gerere? num idem carere manibus, brachiis, aut pedibus, feminibus, cruribus, atque iiſdem inſtrui? num demum eſſet idem omnia ſitu inverſo, atque turbato membra ita inter ſe mixta, & confuſa gerere, ut nullis uſibus idonea forent, atque ita diſpoſita, & explicata, ut nunc Dei munere circumferimus? Quod pertinet ad mores, quandoquidem & in his ullum ordinem non vis agnoſci, num eſt idem ſervare ſuos, ſervare patriam, atque illos interficere, ac patriam prodere?

Sed ut haec minuta ſolvat, nihil Mirabodius curat. Ille totus eſt in eo, ut perſuadeat per materiam, & per motum omnia poſſe a Natura produci; atque hinc neceſſarium nullo modo videri, ut ad ullam confugiamus Intelligentiam. At in hoc ipſo maximam inſcitiam ille praeſefert; ac ſi Gallum hominem eſſe neſcires, profecto

„ *Boeotum in craſſo jurares aëre natum.*

Etenim nihil eſt in ejus libris, quod poſſit vel probabili ratione quaeſtiones illas reſolvere, quas philoſophus, ac poëta ſane nobilis Cardinalis de Poliniaco luculentiſſimis verſibus in Antelucretio (*a*) propoſuit.

C c „ *Si*

involvi, quae potius ex Ordine ipſo, qui jam probe ſit cognitus, inferri debet. Saltem contra Atheos ea deſcriptione non uterer. Ex his, quae dicimus hoc loco, vides quid aliqui ſibi voluerint, etiam bene de Deo ſentientes, qui putarunt = *vitium committi ab iis, qui ab ordine Univerſi ad ordinantem argumentantur, eumque Deum eſſe inferunt* = quae verba ſunt Wolfii, *Horae ſubciſivae an.* 1730. *Trimeſt. Autumn. p.* 600. Nimirum illi de Ordine locuti ſunt ea ferme ratione definito, quae non ſatis mihi probatur. Caeterum ex iis plerique, aut potius fere omnes argumentum a mira mundi pulchritudine petitum maximi faciunt.

(*a*) Card. de Polignac *in Anti-Lucretio l.* 4. *v.* 1402.

„ *Si nativus erit per ſeſe in corpore motus,*
„ *Ut dos materiae, qualis quantuſve? rogabo:*
„ *Quam verſus Mundi partem? lentuſne, cituſne?*
„ *Rectus, an obliquus? forſan curvatus in orbem?*
„ *Nam cuncti eſſe ſimul nequeunt; unum eſſe neceſſe eſt.*
„ *Si talem, aut talem dicas; alium eſſe repugnat.*
„ *Nam ſecus eſſe nequit, natura quod ipſa popoſcit.*
„ *Sed motus nullae ſpecies cum corpore pugnant:*
„ *Cur ergo hanc per ſe prae cunctis corpus habebit,*
„ *Æquo jure aliam per ſe cum poſſit habere?*
„ *Hanc etiam, ſi per ſe habeat, variare nequibit;*
„ *Nam quod naturae eſt, nulla eſt mutabile cauſa.*
„ *Sed motum ſemper variari poſſe videmus:*
„ *Ergo materiae nativum haud eſſe fatendum eſt.*

Sed ea Mirabodii opinio ſexcentis aliis, &, quod caput eſt, iiſdem optimis argumentis convelli facile poteſt. Ea probatiſſimis in libris, qui cupiat, nullo fere negotio inveſtigabit. Me quidem, = *Jam pudet iſta refellere, cum vos non puduerit iſta ſentire* = Licet enim mihi jam & Mirabodium, & ejus amatores iiſdem verbis affari, quibus alios veritatis hoſtes inclytus Eccleſiae Doctor Auguſtinus (*a*) = *cum vero auſi ſint etiam defendere, non jam eorum, ſed ipſius generis humani me pudet, cujus aures haec ferre potuerunt.* = (*b*)

Et

(*a*) Aug. *Epiſt. mihi 56.*

(*b*) Temporibus adeo corruptis aliquos homines inveniri potuiſſe, quibus infame non diſpliceret Mirabodii opus, nemo non doleat, cui non dicam Chriſtiana charitas, ſed ipſa, quam Natura inſpirat, Supremi Domini reverentia cordi ſit. Voltaerius *Queſtions ſur l' Encyclop. &c. P. IV. p. 285.* = *L' auteur de ſyſtême de la Nature a eu l' avantage de ſe faire lire de Savans, des ignorans, des femmes &c* = At gravior auctor Ludovicus Seguierius graviora narrat, in oratione illa, de qua jam alio loco diximus (*V. Confut. del ſiſtema della Natura ec, Firenze 1771. p. 18. 19.*) Etenim unam ex praecipuis rationibus, propter quas de hoc libro fuſius, quam de reliquis impiis, agere velit, hanc eſſe ait, ut eſt in Italica verſione orationis ejuſdem = *perchè la cabala filoſofica, di cui egli è diventato il codice, annunzia orgoglioſamente queſto nuovo ſiſtema della natura, come che queſti debba annientare tutti i pregiudizj, richiamare l' Univerſo intiero al ſuo ſtato primitivo, e far rientrare il genere umano in tutti i ſuoi diritti* = Vide etiam Bergier *Exam. du Mat.*

Et fuſiorem quidem peſſimi Athei confutationem eo facilius omittimus, quod ille non tam rationibus, aut ſophiſmatibus, quam temerariis, & abſurdis, & immani quadam prolatis vel ferocia vel ſuperbia ſententiis, & fraudibus, & mendaciis pugnat, ac reliquis armis, quae vehementiſſimum Religionis, ac Divinitatis odium, & Impietas ipſa, rationis inimica, ſuppeditare poſſe videatur. Caeterum & eas, quae *Demonſtrationes Exiſtentiae Dei* dicuntur in ſcholis, ita refert, ut non ſatis eaſdem intellexiſſe, vel depravare voluiſſe dicendus omnino ſit (*a*): et ea, quae contra Deum O. M. horrenda quadam, ac Tartareis digna Furiis, impiorum copia verborum, potius quam eloquentia, vomit, tamquam clara ſatis, et explorata, obtrudere contendit (*b*).

Sed jam ex omnibus, quae duobus hiſce capitibus attulimus, rationem colligamus, quae Mirabodii ſtultitiam, ut

(*a*) Seguier (*Confut. &c. p.* 49. = *L' autore entra nel dettaglio delle pruove dell' eſiſtenza di Dio, date dal Clarke, Deſcartes, Malebranche, Nevvton; e benchè non riporti fedelmente neſſuna di dette pruove, benchè non riſponda direttamente ad alcuna delle medeſime, non teme di avanzare, che eſſe non preſentano alcuna ſolida ragione* =.

(*b*) Verba omnium optima, imo fere ſola, quae lectu digna ſint, in tota Voltaeriana Mirabodii confutatione, ea ſunt, quae hic deſcribimus. (*Queſtions &c. P. IV. p.* 293. = *L' auteur prétend que la matière, aveugle, & ſans choix, produit des animaux intelligens. Produire ſans intelligence des êtres qui en ont! cela eſt-il concevable? ce ſyſtême eſt-il appujé ſur la moindre vraiſemblance? Une opinion ſi contradictoire exigerait des preuves auſſi étonnantes, qu' elle même. L' auteur n' en donne aucune; il ne prouve jamais rien, & il affirme tout ce qu' il avance. Quel chaos! quelle confuſion! mais quelle temérité!* = Haec homine docto verba digniſſima: Non item, quae continuo ſubdit = *Spinoſa du moins avouait une intelligence agiſſante dans ce grand tout, qui conſtituait la nature; il y avait là de sa philoſophie. Mais &c.* = Similia ſunt ea, quae p. 277. 278. hoc eodem libro differit. Sed quam Intelligentiam in Materia agentem Spinoſa agnoverit, non tantum ex iis, quae nos alio loco diximus, ſed etiam ex iis, quae omnes dicunt ſinceri Spinoſae adverſarii, colligere poteris. Videbis profecto Voltaerium ea ratione loquentem, nihil minus, quam Spinoſae doctrinam intellexiſſe. Et Voltaerium quidem doctrinas philoſophorum non ſatis aſſequi, quas exponendas, aut etiam impugnandas ſuſcipit, novum videri nulla ratione poteſt. Vide quae ſcripſit in eum Bruckerus *H. Cr. Phil. To IV. P. II.* & egregium librum in Voltaerium a Martino Khale Philoſopho Leibnitiano emiſſum.

aequum eſt, clariſſima in luce ponat. Quamquam humanum eſt in aliqua diſputatione argumenta, quae probabili reſponſioni ſint obnoxia, vel etiam prorſus inepta, proferre, furioſum tamen eſt rationibus, ut levius dicam, non dignis homine docto, atque ſapiente, unanimem generis humani ſententiam, eximiis etiam, atque divinis quibuslibet ingeniis ſummopere probatam, velle concutere. Etenim, ſi quis id moliatur, primo quidem nihil praeter infamiam ſui nominis, & graviſſimam bonorum omnium, imo etiam fere omnium malorum, indignationem expectare poteſt; deinde ſe vehementibus animi motibus, ac perturbationibus ita jactari oſtendit, ut nullus jam, non dicam ſapientiae, ſed rationi relinquatur locus. Haec enim ſi vel momento temporis exiſteret, ut alia plurima ſileam, eum, cujus animo argumenta illa obverſarentur, de quibus locuti ſumus, ſaltem addubitare cogeret, ac ſibi, ſuoque ingenio diffidere. Jam haec omnia, ut facile vides, in Mirabodium cadunt. Et ſtultus igitur, & furioſus Mirabodius habendus eſt.

Satis autem, opinor, ex iis, quae diximus, omnibus, quam contemnenda ſit Scriptorum valde Mirabodio ſimilium, atque adeo Atheorum univerſorum auctoritas apparet; ex quo liquido deſcendit nullam peſſimi generis habendam eſſe rationem, cum Generis humani de Natura divina ſententiae colliguntur. Quae cum ita ſint, hac prima noſtri operis parte, niſi fallor, Auguſtini aurea illa ſententia ſatis a nobis expoſita eſt, atque probata = *Exceptis paucis*, inquit, *in quibus natura nimium depravata eſt, univerſum Genus humanum Deum mundi totius fatetur auctorem.* =

EXPLICIT PRIMA PARS LIBRI PRIORIS.

DE

DE GENERIS HUMANI CONSENSU IN AGNOSCENDA DIVINITATE

LIBRI PRIMI

PARS ALTERA.

Ex Generis Humani Conſenſu Divinitatem eſſe probatur, & adverſariorum confutatis argumentis de illius perfectione diſſeritur.

CAPUT I.

Generis Humani auctoritatem tanti eſſe debere oſtenditur, ut ex ea certo demonſtretur exiſtere Divinitatem.

Veteres aeque ac Recentiores Philoſophos, cum in Atheos arma ferunt, magnum ex generis humani conſenſu praeſidium optimae cauſae quaerere, ſatis, opinor, ſub initium hujus primi libri declaravimus: ubi quid contra Lucianus, Philoſophorum non minus, quam Deorum irriſor, objecerit, expoſitum a nobis fuit. Quod tamen eo loco minime nobis praeſtandum eſſe cenſuimus, hic tandem aggredimur; ut aliquam exiſtere praepotentem, ac ſapientiſſimam, eamdemque beatam, immortalemque Naturam, quam vereri, quam colere, quam divinis honoribus proſequi debeamus, ab hominum unanimi, concordique ſententia comprobemus. Itaque *Demonſtrationem Exiſtentiae Dei*, ut vulgo philoſophi nuncupant, ex earum genere molimur, quae ſolent ab ipſis *morales* appellari. Eam vero lectoribus omnibus probatum iri confidimus, qui certiſſimos potius Artis

Cri-

Criticae canones ſequi, quam ſophiſmatum, ac tricarum ſeſe laqueis involvere, dum alios cupiunt irretire, didicerint (*a*).

Neque tamen hoc loco memorabimus, veteres Graecos tam probe cognitum, ac perſpectum habuiſſe, veritatem omnes latere non poſſe, ut hinc ipſius nomen conflare voluerint Ἀληθεία, ſcilicet, ut monet Lipſius (*b*), *ὡς τὸ μὴ λῆθον*, quod non lateat, ſitque omnibus nota. Neque quod aſsenſu omnium apud Æſchinem (*c*) confirmat Heſiodus:

> *Φήμη δ' ὅυτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα λαοὶ*
> *Πολλοὶ Φημίξωσι. θέος νυ τοι ἐςὶ καὶ ἀυτή.*

Videlicet Famam non poſſe uſpiam omnino perire ſignificat, erroris, aut mendacii convictam, quam plures populi celebraverint; quin & inter Deas etiam ipſam eſſe referendam. Sed & a celeberrima Ariſtotelis ſententia abſtinebimus „ *Quod univerſis videtur, verum eſt* „ (*d*); neque porro illud Senecae ingeminabimus „ *Nemo omnes, omnes neminem, ſinguli ſingulos fallunt* „. Etenim qui cunctos homines in turpiſſimo poſſe cenſent errore verſari, nonne ſtatim cachinnos tollerent, ſi paucorum contra ipſos hominum allatis auctoritatibus pugnare vellemus?

Igi-

(*a*) Non deſunt plures homines docti, qui hanc *Demonſtrationem Exiſtentiae Dei* reliquis omnibus, queis tanta veritas oſtendatur, anteferre non dubitent argumentis. Hinc P. Carolus Sanſeverinus (*della Morale Filoſofia ec. L.* 1.) ita ſcribit = *Queſto univerſal conſentimento delle Nazioni tutte in tutti i ſecoli..... dello eſſerci la preſtantiſſima natura divina, egli è pure per lo ſentir de' Filoſofi noſtri il più invitto, e robuſto argomento per comprovarla. E con ragione in vero &c.* = Ludovicus autem Seguierius (in Oratione habita ad Parlamentum Pariſienſe, quam Italice verſam nos habere diximus) haec habet = *L' unanimità degli uomini a riconoſcere un Dio, è ſtata ſempre riguardata come la pruova la più forte dell' eſiſtenza di queſto Eſſere* = Alii quidam ſimilia dicunt. Ego tamen non aliud hac in re affirmare auſim, niſi hoc argumentum, quae plerumque ſunt hominum ingenia, ad perſuadendum omnium aptiſſimum inveniri, praeter clariſſimam illam rationem, quae a mirabili hujus Mundi pulchritudine, ac partium ordine ducitur.

(*b*) *Ad Senecae epiſt.* 117. *p.* 655.

(*c*) *Contra Timar.*

(*d*) *Ethicor. cap.* 10.

Igitur alia ratione argumentamur. Aut humana auctoritas nullam habet vim ad perſuadendum, quod neque adverſarii dicunt, cum plura narrantibus credant, aut conſenſus hominum in agnoſcenda Divinitate vim habere maximam debet. Ariſtoteles in Topicis id veriſimile dicit eſſe, quod aliquibus ſapientibus verum videtur: neque in hoc aut ab ullo reprehenſus eſt Stagirites, aut vero reprehendi poteſt. Etenim quid aliud eſſe veriſimile dixeris? Jam ſi plurium gravium virorum auctoritas probabilitatem facit, quid omnium hominum ſapientum, atque nationum univerſarum auctoritas, niſi evidentiam efficiet? Quis enim certioribus philoſophiae placitis conſentaneum eſſe non videt, ut eo major, dum caetera paria ſint, probabilitas evadat, quo major eſt eorum teſtium auctoritas, quibus innititur? At vero univerſi generis humani auctoritas centum, vel mille ſapientum auctoritatem ita ſuperat, ut nullam inter ſe comparationem eaedem auctoritates habere videantur. Etenim in humano genere & ſapientes omnes continentur, & longe abeſt a vero, iis omnes homines erroribus obnoxios eſſe, qui paucorum mentes, ſi quaedam peculiares cauſae concurrant, facile poſſunt invadere. Conſequens igitur eſt, ut ea probabilitas, quam habet ſententia totius humani generis auctoritate ſuffulta, tanta ſit, ut quamlibet probabilitatem a ſpectatiſſima gravium virorum ſapientia dimanantem non modo longe, multumque ſuperet, ſed ita ſuperet, ut jam iſta cum illa conferri nulla ratione poſſit. Quid autem, quaeſo, tanta probabilitas, niſi magna quaedam evidentia, cenſenda erit?

Tu Scriptoribus profecto non innumeris teſtantibus certior factus es, extitiſſe Ciceronem, ſeu Julium Caeſarem, ſive Virgilium. Quid ergo fidem adjungere non vis hominibus univerſis; qui nimirum, ut inter ſe moribus, regionibus, ritibus, linguis, temporibus immane quantum differant, in hoc tamen, ut ita dicam, omnes concinunt, quod aliquam exiſtere Naturam divinam affirment? At illi Scripto-

ptores, inquis, viderant eos, quorum geſta narrant, aut ab iis certe, qui viderant, acceperant. Quid igitur? Nonne homines univerſi ſatis tibi teſtantur, ſe Deum tam miris in operibus ea ferme ratione vidiſſe, qua Ciceronis, aut Julii Caeſaris, aut Virgilii Spiritus tantum ex rebus geſtis, aut ſcriptis cognoſci poterat? An praeſtantiores ſunt corporis oculi, quam mentis, ut illi falli non poſſint, niſi ſi quaedam adſint impedimenta, de quibus philoſophi agunt, hi vero ſemper erroribus ſint obnoxii, ut ut clariſſima (ſic enim videtur) quod ipſis objicitur ſub luce colluſtrent?

Hic Atheus dicet, velle ſe magis oculis fidere ſuis, quam alienis: ſe vero nihil tale ſuae mentis oculis uſurpare. Quid? ſi tu corporeis oculis non ea percipere poſſes, quae caeteri omnes percipere ſeſe teſtantur, de quorum fide ne tenuiſſima quidem ſuſpicio ſuboriretur, nonne aliquo te oculorum vitio laborare putares, ac remedium quaereres? Quid igitur tuae mentis oculos non aliquo morbo teneri ſuſpicaris, dum, quae caeteri vident omnes, illi non ſentiunt?

At magis ad vivum iſta reſecemus. Effectus, quod philoſophi noſtri dicunt, generalis cauſa itidem generalis ſtatuenda eſt. Neque enim aliam eſſe *Gravitatis* corporum, aut *Attractionis*, aut *Electricitatis* cauſam in Europa, aliam in America, vel Aſia, vel Africa quiſquam dixerit. Iam cognitionem Divinitatis hominibus communem, inſtar generalis cujuſdam effectus conſiderari quid prohibet? Generalem igitur ei cauſam ſtatuamus, oportet, quae videlicet ad omne hominum genus extendi poſſit. Hujuſmodi cauſa = *alia*, inquit Grotius (*a*), *eſſe non poteſt, quam aut Oraculum Dei ipſius, aut Traditio, quae a primis humani generis parentibus manarit: quorum prius ſi admittimus, conſtat, de quo quaerimus: ſin poſterius, nulla ſane ratio aſſignari poterit idonea, cur primos illos parentes credamus falſum aliquod in re momenti maximi ad omnes poſteros prodidiſſe* =

Quas

(*a*) *De Verit. Rel. Chriſt. l.* 1. *p. m.* 6.

Quas aſſignavit Vir celeberrimus cauſas duas libenter recipio. Sed cum hanc tantum non unicam veritatem omnes ad unum populi retinuerint (etiamſi multo plura ſine ulla dubitatione veteres illi tradiderint, qui quo proprius aberant, ſi ita loqui fas eſt, a divina progenie, eo melius, quae erant vera, cernebant) quis jam non aliam cauſam, vel *rationem ſufficientem* tanti conſenſus requirat? aut quis tertiam illis addendam non putet in ipſa hominum natura poſitam? Equidem in ſententiam Ciceronis eo diſerte ſcribentis = ***Omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturae putanda eſt***.= Nimirum aut omnes innatam Dei notionem, ac velut inſitam, cum primum conditi ſumus, et anticipatam accepimus, quod ipſe ſuſpicatus eſt Epicurus; aut propenſionem quamdam attulimus ad hanc opinionem toto animo combibendam, ſtatim ac menti proponeretur; aut ipſa certe natura ita comparati ſumus, ut ex mundi aſpectu ad conditorem aliquem, atque moderatorem rerum omnium Deum facile cognoſcendum aſſurgamus. Hinc fieri videmus, ut plures, etſi craſſiore mente, aut vitiorum ſuorum tenebris obſita, praeſtantem illam, excellentemque Naturam, quae nos, quae vitam, quae commoda noſtra tueatur, non clare ſatis, evidenterque cognoſcunt, quaſi tamen per umbram videant, tum iidem, etſi non qualis ea ſit penitus internoſcunt, eſſe tamen aliquam confuſa ratione deprehendant.

Jam vero Naturam ipſam *quis dicere falſam audeat*, aut quis voces illus exaudiendas eſſe non putet? Ille quidem, ſi quis adhuc exiſtit, non video, cur ipſa, quae vocant, prima cognitionum principia in dubium revocare non poſſit. Neque enim eſt alia tandem ſatis efficax ratio ſtatuendi, ***Totum eſſe ſua parte majus***, vel caetera hujuſmodi, niſi quod ea vel ipſo naturae lumine ſint manifeſta.

CAPUT II.

Natura ipſa monente Genus Humanum in agnoſcenda Divinitate conſentire, aliis rationibus oſtenditur.

IMpietatem ipſam, ſi per ſe loqui poſſit, nec tam pertinaces habeat patronos, conceſſuram arbitror, non potuiſſe Genus Humanum, niſi monente quodammodo ipſa natura, in quapiam agnoſcenda Divinitate conſentire. Sed quia vel nimis indociles, vel etiam nimis tardi quidam adverſarii ſunt, confutandi fuſius a nobis, & urgendi videntur acrius. In id enim tandem aliquando recidunt, quo nihil philoſopho turpius, ut quidquam fieri ſine cauſa dicant. Nam, ſi non ipſa natura docet homines univerſos, aliquem eſſe Deum, quaenam eſſe, vel dici poterit tantae conſenſionis cauſa?

Critias quidem Atheus arbitratus eſt, hominem extitiſſe, qui cum Religionem ad homines in officio continendos neceſſariam duceret, primus opinionem Numinis invexerit, eaque mortalium animos infecerit (*a*). At quomodo apud gentes etiam immanitate barbaras, multitudine innume-

(*a*) Ita de Critia Sextus Empiricus *Lib. I. adverſ. Phyſicos* = *Critias quidem unus ex iis, qui tyrannidem Athenis exercuerunt, videtur eſſe ex ordine impiorum, dicens, quod antiqui Legislatores finxerunt Deum inſpectorem rerum, quae bene, & male fiunt ab hominibus, ut nemo proximum ſuum clanculum injuria afficiat, cavens ne a Deo puniatur* = Idem quod Critias dixerunt Spinoſa, Tolandus, & magna etiam ex parte Hobbeſius, qui tamen Religionem potius, quam opinionem Numinis convellere conatur. Hi omnes a patrono ſuo Baylio confutantur; (*Diction. Hiſtor. Art. Abdas Rem. B.*) qui etiam advertit, plus nocituram, quam profuturam Regibus, ac Principibus Viris Religionem, ſi falſa eſſet. Religio enim, ut ille ait, Reges ipſos populis aliqua ratione ſubdit. Niſi enim amittendae dignitatis diſcrimini objicere ſeſe velint, Religionem, quam populi ſequantur, etſi forte ſibi minus probatam, ſequi compelluntur. At in opere, cui tit. *Réponſe aux queſtions d' un Provincial &c.* Hypotheſis illa Critiae Baylio non diſplicet.

merabiles, locis infinitas, doctrinam ſuam propagavit? quibus in locis vixit? quos habuit diſcipulos? quibus honoribus tantum Virum mactavit antiquitas, quae bonarum artium inventores ad ſidera tollere ſemper certavit? Porro autem quam longe abeſt a vero unum, aut alterum hominem, ſi vis etiam plures, aliquam opinionem, praecipue ſi commentitia ſit, non uni ſoli civitati, vel provinciae, vel nationi, ſed univerſo hominum generi perſuadere poſſe! Hujus rei difficultatem ſatis Athei noſtri experiuntur. Etenim illi numquam ab orbe condito potuerunt efficere, ut, non dicam natio, non regnum, non provincia, non civitas, ſed vel oppidum, aut caſtellum quamvis exiguum nefariam doctrinam amplecteretur.

Sed his omnibus praetermiſſis unum quaero. Ille nimirum homo, quem Critias arbitrabatur primum ad agnoſcendam Divinitatem mortales impuliſſe, utrum certum, & evidens protulit argumentum, quo haec ſententia tot millibus capitum inter ſe maxime diſſidentium probaretur, an rationes attulit nulla veritate ſubnixas? Si primum; ea certa res, & evidens ſit, oportet, quae certo, & evidenti argumento ſtatuitur; ſi alterum affirmes, hoc enimvero credibile non eſt cuiquam cordato viro, omne hominum genus adeo turpiter decipi potuiſſe. Recte enim illa Lactantius (*a*) = *Quae tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, ſed Platonem quoque, ac Socratem falleret, & Pythagoram, Zenonem, Ariſtotelem, maximarum Sectarum principes tam facile deluderet?* =

Haec maxime locum habent, quod agatur de re, quam recte quiſque dijudicare poteſt. Nempe inveſtigandum eſt, quid vel ipſa, ſi eam audire velimus, vox naturae moneat, quid nos ipſa, quae verſatur ob oculos, rerum univerſitas vel oſcitantes doceat, quid in ipſis cognitionum noſtrarum principiis, niſi nos fallere velimus, aperte contineri videamus.

 Jam

(*a*) *De Ira Dei C. X.*

Jam finge aliquem animo tanta praeditum ingenii vi, quanta percipi poſſit maxima. Ecquid putas, eum tam bene naturae vocem imitari potuiſſe, ut, quod fallacibus argumentis ipſe obtrudebat, natura ipſa docente tradere videretur? Ecquid putas ad orationem illius, quamvis eloquentiſſimam, homines univerſos omnium ordinum, omnium civitatum, omnium gentium, uſque adeo potuiſſe deſipere, ut fallaces illius ratiunculas totidem eſſe naturae voces exiſtimarent?

At liberaliter cum Atheis agamus. Fac potuiſſe, quae diximus, omnia contingere. Deceperit ille homines, fefellerit, in fraudem induxerit. Alia profecto ſunt, quae niſi quis agnoſcat naturae magiſterium, de quo loquimur, explicare non poſſit.

Nempe, non modo omnes homines eſſe Deum in animum induxerunt, ſed ita induxerunt, ut ea perſuaſio nulla unquam ratione, nulla vi, nulla demum fraude convelli potuerit: quoniam quod pauci quidam extiterint, ac modo exiſtant Athei, non aliud efficit, niſi homines quoſdam omnem aliquando ſenſum humanitatis amittere. At enim nos de humano genere quaerimus, non de monſtris iſtis, quae recte dixeris ejuſdem generis dedecora, peſtes, opprobria. Humanum itaque genus Divinitatis notionem non modo conſtanter omni aetate retinuit, ſed contra fraudes omnes, arteſque retinuit, quibus eam perdere impietas conata eſt.

Quis enim poſſit oratione, aut cogitatione complecti, quanto ſtuduerint opere pauci homines athei nefariam propagare doctrinam ſuam, diſcipuloſque nanciſci? Aliqui enim, ut Critias, ut Diagoras, ut Theodorus, aperto marte Divinitatem adorti omnes eloquentiae nervos intenderunt, ut, quod ſibi tanto labore vix, aut ne vix quidem, aliquando perſuaſerant, civibus, aut amicis ſuis perſuadere poſſent. Alii vero, praecipue recentiores, ut Vaninius, ut Spinoſa, ut Tolandus, per cuniculos eo tandem evadere conati ſunt, quo ſcilicet per ipſa moenia nequirent. Hi autem omnes

quid-

quidquid in ſophiſmatibus Dialectica valet, quidquid in impudentia ſcelerum omnium poteſt impunitas, quidquid in omni genere flagitiorum audet impietas, penitus exhauſerunt. Neque tamen unquam, ut ſupra dixi, gloriari potuerunt, Civitatem unam, aut unius oppidi homines univerſos in ſuos errores fuiſſe pertractos.

Et id quidem eo amplius admirationis habere debet, quod omnibus aetatibus homines eloquentia pollentes, aut etiam furore veſani, qui, novis opinionibus inductis, aut veritati, aut errori bellum indixere, innumeros ex omni hominum genere ſectatores facile nacti ſunt. Ipſa opinionum placet novitas. Ipſa, ut dico, novitas blanda eſt conciliatrix, & lena, quae animos hominum permulcet, atque allicit, & ducere, quo vult, unde autem vult deducere, & poteſt, & ſolet. Hinc ſaepe ab avita religione multarum gentium eſt facta diſceſſio, & relicta ſacrificia, & ſpreti ritus, & expulſi Sacerdotes, & aequata ſolo templa, & majorum ipſorum Fides, aut Superſtitio ludibrio habita, quin & uſquequaque proſcripta eſt. Neque vero neceſſe eſt hoc loco exemplum aliquod memorare, cum lector ipſe recordetur. Quaero igitur, cur poſt homines natos Athei nihil tale conſequi potuerint?

Quo te vertere poſſis hoc loco non video. Numquidnam dices, non omnibus viribus Atheos, ut id conſequerentur, conatos eſſe? Venient catervae Scriptorum contradicentium, quos arguere mendacii non poſſis, niſi totius auctoritatem hiſtoriae unico, ut ita dicam, ictu concidere velis. Numquidnam dices, Atheos illos non attuliſſe rationes aptas ad capiendos populos, & ab errore deducendos? At primo quidem; quas rationes Mahummedes attulit, ut Arabes in ſuas partes alliceret? quas Mahummedis Gener, ut deciperet Perſas? quas Xekias, ut Indos? quas alii nebulones, ut alios populos? Eas vero, quibus nihil admodum ſtultius dici, vel fingi queat. Hi tamen non modo diſcipulos habuerunt, atque habent, ſed diſcipulorum potius gre-

ges

ges innumeros, imo populos bene multos, & gentes, & nationes. Deinde quis mihi non aſſentiatur, id exploratiſſima veritate contineri, quod tot ſaeculorum curſu non potuit, niſi argumentis & hominum doctorum, & rudium, & cultarum gentium, & barbararum judicio infirmis, oppugnari?

Accedit, quod rationes aliquae ab impiis propoſitae, ut nullus Deus eſſe videatur, eae ſunt, ut magnum imperitis fucum facere poſſint. Hujus praeſertim generis illae ſunt, quae a malis innumeris ducuntur, quibus hominum etiam nihil tale merentium vita laborat. Hinc illud eſt,

„ *Pompejus nullo tumulo jacet, at Cato parvo,*
„ *Marmoreo Licinus, quis putet eſſe Deos?*

& illud

„ *Cum rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo,*
„ *Sollicitor nullos eſſe putare Deos.*

An vero putas indoctorum hominum mentes mediocriter commoveri, cum impius quiſpiam dicendi bene peritus ſupremi Numinis cultores urget, & quaerit, cur Deus, omnia noſtri cauſa quum faceret, tantam morborum vim eſſe voluerit, cur viperas, natriceſque creaverit, cur mortifera tam multa, vel perniciosa terra marique diſperſerit? Effeciſſent, mihi crede, iſtae rationes, quamvis a ſapientibus viris ſatis ſuperque refutentur, ut mortales plurimos, atque adeo integras gentes in ſuas partes Athei pertraherent, niſi naturae ipſa voce deterritae ab Α'θεότητος impietate ſemper abhorruiſſent.

Sed reſtat hoc loco aliud, & id quidem aptiſſimum, ut confirmet, quod volumus. Etenim hiſtoria declarat, opiniones illas a populis non bene moratis facile fuiſſe receptas, quae vitia foverent, ac libidinum habenas uſquequaque laxarent. Ea potiſſima cauſa fuiſſe videtur, ut exemplum aliquod afferam ſatis in hanc rem opportunum, quamobrem vulgus Ethnicorum non membra ſolum hominis Deo

tri-

tribuerit, ſed uſum etiam membrorum. Hinc enim factum eſt, ut Bacchum, ut Venerem, ut Martem, ut Apollinem libidinibus inflammatos, & quaſi furentes induxerint, omnia rabide oppetentes cum inexplebili cupiditate, quoque affluentius undique voluptates haurirent, eo gravius, ardentiuſque ſitientes. Non enim illi hominibus interdictum iri ſperabant, a quo ne ſumma quidem Naturae divinae perfectio refugeret. Eadem cauſa tot Arabum, ac reliquorum Aſianorum millia in Mahummedis caſtra compulit. Quid enim nunc de Chriſtianis loquar, quorum tot millia fere ſingulis aetatibus novas doctrinas, quas haereſes appellamus, amplexa ſunt, ut vivere liberius, hoc eſt inſanire cum ratione, poſſent? Itaque hac etiam de cauſa quis fore non dixiſſet, ut Atheorum doctrina omnino altas apud ſceleratos populos radices ageret, ac maxime propagaretur?

Cave enim putes ullam ad habenas libidini permittendas aptiorem eſſe doctrinam, aut ullam eſſe, quae flagitioſis hominibus felicius aliquid promittat, aut majus. Mihi quidam ita videtur Impietas cum homine maximis aſſueto ſceleribus agere. Si nullum eſſe Deum tibi perſuadeas, qui a ſomno inertis illius Epicureae felicitatis excitari aliquando poſſit, tum demum inter ſcelera, quamvis magna, tranquillam degere vitam tibi licebit. Tum demum nulla tibi ſanctitatis eſſe debebit, nulla religionis, nulla juſtitiae, nulla pietatis cura. Neque enim unquam aut illae flammae criminum ultrices, aut illi aeterni tortores obverſabuntur animo, neque dies, & noctes cogeris vel invitus inter amabiles voluptates divinum Numen horrere, & ſi quid acciderit (quod cui non accidit?) extimeſcere, ne id jure evenerit. Age jam. Si non ex importuna ſeverae honeſtatis regula, verum ex molli amicae libidinis impetu vitam traducere cupis, Diagorae, aut Spinoſae da tandem aliquando manus. Abjice infauſtam illam Divinitatis notionem, unde aliquis tibi ſemper terror impendet. Age porro; quid ſtas? in Atheorum caſtra concede. Haec, ut dico, Impietas, atque

que alia plura, quae facile, ut vides, flagitioſos homines in fraudem inducere poſſe viderentur. Quod ergo tam paucos aetate quavis induxerit, quis non jure miretur? aut quis alia de cauſa id factum fuiſſe putet, niſi quod natura ipſa tam ſceleratis vocibus aperte reclamat?

Videlicet aliud eſt ea vitia ſequi, ad quae perturbationes hominum propriae tam facile trahunt, aliud eſt rationis, ac mentis omne lumen extinguere. Primum illud flagitioſi homines poſſunt; hoc alterum non ſtatim poſſunt; ſi quidem non eos immania ſcelera brutis animantibus omnino ſimiles effecerint.

Quae cum ita ſint, ſatis, opinor, eſt manifeſtum, naturam ipſam humanam, non quatenus corrupta per Adae crimen opinionum commenta ſequitur, ſed quatenus divinae cujuſdam rationis eſt particeps, eo ferre homines univerſos, ut perfectiſſimam eſſe, praeſtantiſſimamque Naturam & agnoſcant, & fateantur. Contra eas naturae voces aliqui ſeſe indociles diſcipulos praebent. Plurimi etiam ſunt, quibus ob foediſſimam totius vitae conſuetudinem, ac maximarum rerum ignorationem numquam fere Divinitatis cognitio, niſi craſſis circumfuſa, & pene occultata tenebris oritur. Semper tamen in oculos humanae mentis, quamdiu aciem, qua videant, non omnino amiſerint, ſaltem aliqui radii tam ſplendidae, atque tam pulchrae veritatis incurrunt.

CAPUT III.

Ex Generis Humani Conſenſu infinitam eſſe Dei perfectionem oſtenditur.

Etſi ea, quae ſunt hactenus a nobis diſputata, non modo Deum eſſe, verum & ſumme bonum, atque perfectum eſſe probaverunt; tamen operae pretium erit in hac eadem oſtendenda, noviſque rationibus declaranda maximi momenti veritate fuſius immorari. Illud enim in hac tota con-

controverſia omnino tenendum nobis eſſe, atque ab adverſariorum argumentis vindicandum, arbitramur: Homines univerſos, ſi quid efficiant auctoritate ſua, videlicet efficere, infinitam Deo Bonitatem, atque Virtutem, ſive Perfectionem ineſſe.

Opponi ſtatim ab acutis adverſariis poteſt, non omnes profecto nationes tam preclara de ſupremo Numine ſtatuiſſe, quippe quae, nobis etiam concedentibus, ſummae perfectionis illius non aliam, niſi valde confuſam, & erroribus obſitam cognitionem habere dicendae ſint. Quid enim, fortaſſe quiſpiam inquiet, de infinita Dei Bonitate, ac Perfectione cogitat Chiriguanus, ubi Crucem veneratur, neque tamen eum, *qui affixit illi, quod adverſum nos erat, Chirographum decreti*, aut veretur, aut etiam agnoſcit? (*a*) Quid

 Bra-

(*a*) Chiriguani, de quibus hic agimus, ad ampliſſimam regionem pertinent, quae *Chaco* dicitur ab Hiſpanis. Ii nempe ſunt, de quibus Cl. Muratorius regionem eamdem deſcribens (*Chriſtianeſ. felice del Paraguay P. II. p. 150. ed. Ven.*) = *Le principali nazioni, che quivi ſoggiornano*, inquit, *ſono i Ciriguani, Aliponi, Pobas, Guajacuri, Zamuchi, Mocovii*. = Jam vero de illa gente haec habentur in Epiſtola ex Peruviae Provincia data an. 1596. (Eſt inter *Litteras Annuas Soc. Ieſu*.) = *Gens eſt omnium ſtultiſſima, dedita ſuperſtitionibus, ſacriſque caeremoniis. Crucem in magna veneratione habent; Chriſto licet Crucifixo nullum impendant cultum, Divinam tamen in ſalutifero ſigno vim eſſe ſentiunt, praeſentemque ejus opem ſaepe experiuntur. Idcirco eam & in ſuas domos inducunt, &, cum iter faciunt etiam extra ſuos fines, eam manu geſtant. Quod ii, qui Potoſi verſantur, obſervare potuerunt, cum ipſi ſuorum negotiorum cauſa aut in eorum ſines veniunt, aut illi Potoſium ſe conferunt ...... Credunt noſtri ex Paraquariis hanc religionem hauſiſſe, a quibus Chiriguanae ſunt profecti* = Vide ibidem plura = *de eorum Papa, & Cardinalibus, multiſque aliis ritibus, quos a Chriſtianis hauſerunt, quorumque ridiculam imitationem ſuſceperunt*. = In eadem epiſtola dicitur = *Hac ſtulta religionis imitatione Sacellum in Caſtris adornarant: in eo Crucem venerabantur, orabantque ſibi victoriam daret e Chriſtianis* =. Jam vero Chiriguanos iſtos arbitror ab illis eſſe diverſos, quos P. Ignatius Chomèus nullam Divinitatis notitiam habere tradidit. Idcirco teſtimoniis hic allatis non utar in altero hujus operis volumine, ubi ſeparatim de Chiriguanis a Chomèo accuſatis agendum erit. Neque vero neceſſe eſt eruditum hoc loco monere lectorem, Chiriguanorum nomen ab iis, qui de re-

Braſilienſis, aut Huronius, aut Hottentotus, aut Indus, aut reliqui Barbari, dum neſcio quos ritus adhibent a majoribus acceptos, at quem ritibus iiſdem proſequantur, vix, aut ne vix quidem, percontantibus narrare poſſunt? Si quid ergo Generis Humani Conſenſus efficit, non aliud efficit, niſi magnam aliquam eſſe Intelligentiam, quae ab hominibus coli debeat, aut ſaltem coli poſſit, cum reliquis naturis omnibus antecellat. At enim Intelligentiam eamdem infinita praeditam eſſe perfectione naturae, qua nihil majus, aut melius ulla mens cogitare poſſit, hoc ab aliis omnino magiſtris, quam a Barbaris aut antiquis, aut recentioribus diſcendum eſt. Non igitur ea pulcherrima veritas a Generis Humani Conſenſu in agnoſcenda Divinitate probari poteſt. Hoc illud eſt argumentum, quod equidem ita ſolvere cupio; ut nulla jam de veritate, quam diximus, dubitatio locum habere poſſit.

Principio quidem erudito lectori in memoriam revoco, quanta ſit, atque eſſe debeat, naturae ipſius, hoc eſt rectae rationis, auctoritas; qua ſi ſtare quis forte recuſet, aut cum Baylio noſtro parum ſincere loqui, aut cum Pyrrhonicis bene multis propter amentiam inteſtabilis eſſe videatur. Jam evidenti argumento perſpicitur, naturam ipſam docere, ſummam eſſe, atque infinitam veri Numinis perfectionem, cui ne cogitatione quidem addere quidquam poſſimus, vel aliquid animo fingere aut praeſtantius, aut majus. Nam quo magis homines recte judicandi facultate vigent, quo magis naturalem ingenii vim optimis artibus excolunt, eo clarius, atque facilius pulcherrimam eam veritatem agnoſcunt, eidemque conſentanea cogitant, atque animo complectuntur. Barbari etiam populi, quo magis a belluarum feritate diſtant, quarum haud ita levem ſimilitu-

di-

rebus Americae ſcribunt, modo anguſtius, modo latius extendi, ut vel hinc de Chiriguanis admodum pauca, quae non valde confuſa, atque implexa ſint, tenere poſſimus. At hic advertere ſatis eſt illos, de quibus diximus, Divinitatis cognitionem valde imperfectam, & mancam animo gerere.

dinem gerunt, eo magis ad ejuſdem veritatis cognitionem accedunt, aut potius eo minus ab illa diſtant. Quis hinc non ſtatim inferat, eamdem veritatem ea luce fulgere, ut ſani mentium humanarum oculi non poſſint ab eadem nulla ratione percelli?

Nihil eſt quod Athenienſium errores hic Baylius obtrudat (*a*), ut non magis eorum, quam Cafrorum judicia attendenda eſſe fateamur. Noverit Baylius aliquando, vulgus ab iis hominibus cogitatione ſecernere, qui tum ingenii vi, tum liberaliſſimis artibus ita vulgus antecellunt, ut ipſum vulgus hominum brutis animantibus quavis ex parte praeſtat. Noverit etiam Baylius, aliud eſſe veritatem aliquam libenter agnoſcere, aliud ea ſemper loqui, quae vel cum illa quodammodo juncta ſint, vel ex illa ſatis manifeſta conſecutione fluant. Dicta ſunt haec a nobis aliis etiam locis. At quia nimis indociles quidam, vel tardi ſunt, monendi videntur ſaepius. Iſta, inquam, ſi teneat Baylius, profecto videbit, ſententiae noſtrae neque poſſe Athenienſes, neque caeteros Graecos opponi.

Nam divinae ipſius Naturae perfectionem eam eſſe, cui nihil ulla poſſet ex parte majus accedere, numquam Graeci, non prorſus Athei, Philoſophi negare viſi ſunt. Vulgus autem Graecorum (idem de Romanis dicas) admodum moleſte ferre ſolebat, ſi quidquam contra patria illa Numina quiſpiam obloquutus eſſet. Quid? Jove illo, quem Optimum Maximum, Deorum Patrem, ac Regem, ac totius Mundi Dominum appellabant, num cenſebant ii ſtulti homines, aliquid inveniri, aut cogitari poſſe praeſtantius? Nam ſi, Poëtarum fabulis delectati, putabant iis voluptatibus Jovem capi, a quibus honeſti etiam hominis virtus omnino refugiat, non in eo erat error, quod vitium, ac turpitudinem in ſummo Numine locum habere cenſerent, at in eo, quod neque vitium, neque rem turpem illud eſſe, modo

 ſuo

(*a*) Agit id Baylius *Réponſe aux Queſt. C. XCVIII. p. 697. Tom. III. Oper.*

ſuo tempore admitteretur, ſibi perſuadere conarentur, a quo ne Jovis quidem majeſtas, atque ſapientia recederet.

Hinc Terentianus ille adoleſcens tanto libidinis ardore flagrans non ſibi licere negat, quod Jovi etiam ſummo, Jovi Optimo Maximo licuiſſet. Hinc illae cum aliorum Patrum, tum Auguſtini in ſapientiſſimis *de Civitate Dei* libris contra Ethnicos tam acerbae querelae, atque tam graves, quod, cum Deorum ſuorum flagitia celebrarent, ut a quibuſvis hominibus admitterentur, auctores eſſent.

Caeterum & ipſos Epicureos, quod aliquid in doctrina profecerant, omnino pudebat de monogrammis illis Numinibus indigna haec vel ſentire, vel loqui. Hinc etiam ipſi de Poëtis conquerebantur, qui Deorum immortalium lites, & pugnas, & cum humano genere concubitus tanta licentia ceciniſſent. Hinc iiſdem Diis eſſe membra negabant, quibus ad flagitia, vel ſcelera hominibus uſitata abuterentur. Hinc Deorum felicitatem, non in ciborum ſuavitate, non in venerea voluptate quaerenda, ſed in dulciſſima quiete nullis omnino periculis, nullis angoribus, imo nullis unquam cupiditatibus, curiſve turbata conſtituebant. Illud etiam addebant ad perfectam divinae Naturae beatitatem vel maxime facere, quod ſuae virtutis, ac ſapientiae incredibili quodam bono frueretur, neque aliquid praeſtantiſſima unquam mente verſaret, quod non eamdem ſuaviſſima jucunditate perfunderet.

Ac ne omnia, quae ſunt innumera, conſecter hoc loco, jam brevi complectar. Affirmo enim; nullum aut fuiſſe populum, aut eſſe tam rudem, ut non aliquo modo concedat, nihil eſſe Divinitate melius, nihil Divinitate fingi poſſe praeſtantius. Clarius id agnoſcunt, qui vident inter homines acutius; neque tamen id non aliquo modo fatentur, qui vident aegrius. Natura igitur ipſa (nam quae alia eſſe poſſit totius humani generis magiſtra?) homines docet, nihil Deo melius eſſe, nihil fingi a quovis homine poſſe. Jam, quod Natura docet, verum omnino eſt. Verum eſt igitur, nihil divina perfectione melius poſſe vel inveniri, vel fingi.

Quid

Quid autem hoc, amabo, demonſtrat, niſi prorſus infinitam eſſe virtutem, ac bonitatem, nulliſque comprehentam limitibus perfectionem beatae illius, immortaliſque Naturae? Nam, praeterquam quod illi homines id ſine ulla dubitatione concedunt, qui ſapientiae, atque ingenii aliqua laude florent, idem ex iis, quae diximus, aperte conſequitur. Niſi enim ſupremi Numinis eſſet infinita perfectio, jam aliquid ea majus cogitari facile poſſet. Quin etiam aliquid ea majus poſſet eſſe, niſi forte id poſſe negemus eſſe, quod cur eſſe nequeat, nulla in ipſius eſſentia, nulla in caeteris, quae ſunt, ratio inveniatur.

Eadem ratio ab Humani Generis ducta Conſenſu modis aliis haud abſurde proponi poteſt. Nemo quidem dubitabit, quin ſit alicujus naturae, vel ſpeciei proprium, eidemque maxime aptum, quod in rebus fere univerſis invenitur, quotquot in eadem natura, vel ſpecie continentur. Nemo, inquam id profecto negaverit, etſi quae res in eadem ſpecie magis perfectae ſunt, magis ejus proprietatis, aut dotis videntur eſſe participes; quae vero minus in eodem genere poſſunt, aut vigent, minus etiam id habere videntur, de quo loquimur, & quaerimus. Hic exhibenda quaedam exempla ſunt, quae facile animum lectoris ad intelligentiam, cognitionemque convertant.

Quis enim negabit id hominum eſſe proprium, & in ipſa eorumdem hominum natura quodammodo inſitum, ut ſibi, ſuiſque in poſterum conſulant, atque proſpiciant? Nemo tamen etiam illud negabit, homines, qui ſapientia caeteris antecellunt, multo accuratius, ac melius in omne tempus providere, quam homines parum a natura, parum ab experientia ad ſollertiam omnem, prudentiamque comparatos.

Quid ipſe veritatis amor? quid ipſa veritatis cognitio? nonne hominum maxime propria dicenda eſt? Nemini tamen dubium eſſe poteſt, quin plerumque homines optimo pollentes ingenio, magis quam reliqui, veritatis amore flagrent. Nemini etiam dubium erit, quin iidem homines multo

to facilius illa potiantur, etiamſi denſiſſimas inter tenebras ſeſe abdere conſueverit.

Sic hominum proprium eſt honeſtatem amare, vel ſaltem maximi facere, cujus ſi lumen quaſi aliquod aſpexerimus, nihil eſt, quod, ut eo potiamur, non debere nos arbitremur & ferre, & perpeti. Quis tamen neſcit, meliores quoſdam homines, multo magis quam vulgus hominum, honeſtatis ejuſdem amore capi?

Omnes etiam illius verae gloriae, quae virtutis praemium eſt, avidi, atque appetentes natura ſumus. Sed tamen omnes optime norunt, multo magis divina quaedam ingenia gloriam eamdem ſequi, quam aſotos plures, aut viles homunciones, qui ſuis commodis omnia potius, aut ventris etiam ſatietate metiuntur.

Ea, quae collegimus hactenus; & quae colligere multo plura poſſemus, non ita propria hominis eſſe dicuntur, ut ſine illis homo neque exiſtere, neque vero poſſit intelligi. At propria ſunt, atque dicuntur, quod etiam ſine ſtudio, atque induſtria quodammodo ab ipſa hominis natura manent. Jam vero neſcio quid valde ſimile in re noſtra contingit. Homines univerſos eo ferri videmus, ut Divinitatem non modo eſſe, verum & optimam, & maximam, & perfectiſſimam eſſe arbitrentur.

Homines melioribus ingeniis praediti, vel melioribus certe bonarum artium inſtructi praeſidiis veritatem eam ſatis recte cognoſcunt, neque fateri unquam recuſant, nullos Dei Optimi Maximi ſapientiae, atque virtuti, ſeu perfectioni limites aut ab ipſa ejus natura, aut ab alia quavis cauſa fuiſſe definitos. Equidem inter illos neminem fere inveniri puto, qui Fauſti Manichaeorum aliquando principis non rideat inſaniam, ubi apud Auguſtinum illa ſcribit = *Summum, & verum Deum* (a) *utrum ſit infinitus, necne, ſi quaeritur;*

(a) Hic obiter, diligens lector, adverte Manichaeos ipſos unum agnoviſſe Deum; ſcilicet bonorum omnium principium. Alterum enim prin-

tur; de hoc boni, & mali contrarietas breviter poterit edocere: quandoquidem, ſi non eſt malum, profecto infinitus eſt Deus. Habet autem finem, ſi malum eſt. Non igitur infinitus eſt. Illic enim eſſe mala incipiunt, ubi bonorum eſt finis = Conradus autem Vorſtius e Joannis Calvini ſchola Theologus, cum non eſſe Deum *ſecundum Eſſentiam infinitum* affirmaviſſet (*a*), non modo a Catholicis, ſed ab Haereticis etiam acerrime reprehenſus eſt.

Jam vero plerique homines, neque Chriſtianae Religionis in maxima luce conſtituti, neque liberalibus exculti diſciplinis, non ita diſtinctam, ut ſaepe diximus, ſaepe etiam dicturi ſumus, infinitae perfectionis cognitionem animo informant. Omnes tamen etiam barbari, etiam rudes, & efferati, aut clarius, aut obſcurius fatentur, maximum quoddam Bonum eſſe Deum, maxima rerum, quas homo numquam ſatis aſſequi poſſit, ſcientia praeditum, maximis viribus inſtructum, maximaque virtute.

Quin ergo, ſi conſulere in poſterum tempus, ſi veritatem diligere, atque cognoſcere, ſi honeſtatem plurimi facere, ſi gloriam ſequi, propria hominis eſſe dicimus, neque tam a ſtudio, vel a conſuetudine, quam ab ipſa ejus na-

principium, ideſt malorum, quamvis a nemine genitum, & maximis natura ſua viribus inſtructum; Deum non habebant. Sapienter id ſtatuit, & Boſobrio concedit (*in Exercitatione de Haereſi Albigenſium &c. Romae an.* 1756.) unus ex doctiſſimis totius Europae Criticis, Petrus Lazerus meus olim magiſter; cui, ſi quid ego in liberaliſſimis poſſem litterarum ſtudiis, atque optimis artibus, fere totum acceptum referre deberem. Et ea quidem ſententia perſpicuis Veterum teſtimoniis probari poteſt. Sufficiat hic praeter verba Fauſti, quae attulimus, illa etiam conſiderare = *Eſt quidem, quod duo principia confitemur; ſed unum ex his Deum appellamus, alterum Hylen, aut, ut communiter, & uſitate dixerim, Daemonem. Duo principia doceo; Deum, & Hylen; non idcirco videri debeo tibi dicere; duos oſtendere Deos* = Patres autem, qui duos a Manichaeis fuiſſe Deos inductos aliquando ſcribunt, non tam quid illi dicerent, quam quid illis dicendum eſſet, ſi conſtare ſibi vellent, ſpectare videntur.

(*a*) *In Tractatu de Divinis Attributis*, in quo plurima non modo impia, ſed & maxime ſtulta de divinis iiſdem Attributis effutit.

natura, quaſi ſponte, manantia: Quin, inquam, dicemus, etiam hominis eſſe naturae vel maxime proprium, ut ſumma quaeque Deo Optimo Maximo tribuat, atque hinc, dum, infinita perfectio quid ſit, aliquo modo percipiat, infinita perfectione pollere Deum arbitretur? Neque enim alia vel eſſe vel intelligi perfectio vere ſumma, vere omnium, quae poſſint eſſe in quovis genere, maxima poteſt, niſi eadem infinita ſtatuatur.

Non eam certe cognitionem ipſa Hominis eſſentia ita flagitat, ut, ſi cognitio eadem auferatur, illa continuo perire dicenda ſit. At ea Ratio, ſine qua Hominis eſſentia ſtare non poteſt, id facile demonſtrat, id ſuadet, id praecipit. Itaque vere diximus, naturam ipſam, non modo quod ſit Deus, ſed quod infinitus idem ſit, ac ſumme perfectus, aperte docere.

Quo potiſſimum modo id ipſa natura doceat, nihil hic definire neceſſe eſt. Quamquam equidem puto, ex ipſis cognitionum noſtrarum principiis facile homines, qui recta ratione utantur, aliquid poſſe colligere, unde veritas, de qua loquimur, ſatis apte declaretur. Quis, niſi forte contradicendi magis ille ſit, quam veri inveniendi cupidus, non libenter concedat; nihil ejus aut ſapientiae, aut potentiae, aut bonitati addi poſſe, qui totam hanc Univerſitatem tot rerum, atque tantarum, molitus aliquando fuerit, atque perfecerit? Poſſunt quidem ab acutis hominibus plura ſophiſmata excogitari, quibus haec tam clara veritas tenebris offundi videatur. At, qui valent ingenio, atque ſollertia, iidem facile vident, ea ſophiſmata, ſi non ab omnibus ſolvi poſſint, ab omnibus certe rejici, & contemni debere. Statim enim ipſa Ratio monet, nihil poſſe boni, quamvis ea ſtent argumenta, praeſtantiſſimae deeſſe Naturae, quae, cum nullum auctorem, aut parentem agnoſcat, cum a nullius voluntate, vel nutu pendeat, omnium bonorum, quae ſint, aut fuerint unquam, uberrimus fons extiterit.

CA-

CAPUT IV.

De nobiliſſimis quibuſdam Naturae Divinae Attributis agitur, quae ſumma Dei Perfectione agnita facile demonſtrantur.

QUam late pateat ea ratio, quam ſequimur, diligens, & acutus lector facile percipit. Non enim, ſi ea ſtat, de uno, vel altero Dei *Attributo* ſtatuendo, at de univerſis agitur. Quid enim poteſt afferri magis apertum, atque perſpicuum, quam nullam attributionem nobilem, atque ſplendidam non illi convenire nature, cujus & ſummam & infinitam perfectionem eſſe fateamur?

Primum Natura ſumme perfecta non poteſt, niſi una ſola dici. Finge animo, duos eſſe Deos. Quidquid uni concedes, alteri detrahes. Si enim unus non pendet ab altero, jam alterius incommodum non leve eſt, in imperio parem habere, quem ſuperare nequeat, aut frangere. Id etiam neceſſario fert, non omnia ſuae voluntati ſubjici.

Num vero debet alter neceſſario ratum habere, quidquid alter juſſerit? Parere igitur, ac ſervire cogitur. An repugnare poteſt? Primum ei repugnare, quod ſumma Perfectio poſtulat, ut ſit, indecorum videtur, ac malum. Deinde ſumme perfectus ille non erit, cujus decretis alter Deus aeque perfectus intercedere poſſit, ac palam poſſit obſiſtere.

Praeterea neuter Deus neceſſarius erit in ipſa natura rerum. Nam ſi Deum hunc neceſſarium eſſe dicas, ego negabo. Ille enim, ſiquidem ſumme perfectus eſt, plene, ac perfecte neceſſitati ſatisfacit, quae nempe flagitat, ut ſit infinitum, ſummumque Bonum. Itaque ſi Deus eſt ſumme perfectus, Unitas Dei facile demonſtratur.

Eadem ratione conficitur, ut nihil eum lateat, cujus infinita ſapientia eſſe propter ſummam naturae perfectionem neceſſario debeat: eadem, ut nihil ipſe non poſſit, cui ſi

Digitized by Google

quidquam ita obſiſteret, ut ejus impetum aut debilitaret, aut frangeret, in ea ſaltem re melius, atque praeſtantius habendum eſſet: eadem, ut humanae mentis captum omnino ſuperet, qui res omnes, ex quibus mens humana ſuas notiones aut haurit, aut perficit, ita ſuperat, ut nulla jam ſatis apta comparatio poſſit habere locum.

Quin & Immenſus ille ſit, oportet, cujus infinita Perfectio eſt. Bonum enim videtur, & expetendum in iis quemquam eſſe locis, in quibus videlicet ſine dedecore, ſine incommodo poſſit, ac ſine ullo detrimento conſiſtere. Nam quod in loco quiſquam ſit, illa eadem ratio flagitat, quae fecit, ut ſit. Illa autem ratio, cum bona ſit, nihil, quod non ſit aliquo modo bonum, flagitet, neceſſe eſt. Quod ſi eſſe in uno quopiam loco bonum eſt, multo majus bonum eſt in omnibus locis eſſe. Etenim ubi es, operari per te ipſe potes, ubi autem non es, per aliud tantummodo potes, ſi tamen potes. Quod autem homines plurimis e locis melius abſint, quam in iiſdem morentur, ipſorum natura fert incommodis, atque periculis obnoxia, quae ſupremi Numinis perfectiſſima Natura non metuit. Omnibus igitur locis adeſt Deus, qui nullo poteſt in loco damnis, aut moleſtiis affici.

Caeterum, quod ita Deus ubivis eſſet, ut in Spatio ejus natura, corporum inſtar, quodammodo jaceret, indecorum eſſet, ac turpe. Non igitur ea ratione Deus in Spatio eſt. Spatium potius in Immenſitate Dei eſt, ſi modo aliquid eſt, ſeu verius ipſa divini Numinis Immenſitas, quidquid in Spatio eſt, in ſe quodammodo complexa continet, cumque ipſa ſit infinita definit.

Jam vero & materiae cujuſvis expers ea natura putanda eſt, quae ſumme perfecta eſt. Materia enim quaevis, ut nobilis, ut ſubtilis, ut lucida, non imperfecta eſſe non poteſt. Omitto, materiam cogitare non poſſe, quod non acutius profecto, quam verius contra *Spiritus fortes* optimi quique philoſophi docere ſolent. Materia certe concuti poteſt, comprimi, diſtrahi, vel ſecari, vel frangi. Haec

omnia

omnia pati qui poteſt, etſi non patitur, non eſt natura ſua quavis ex parte perfectus.

Materia, inquis, illa, quam Naturae divinae Philoſophi plures admixtam eſſe putabant, non iis obnoxia periculis viſa fuit. Credo equidem. Sed jam hoc loco, non quid quiſque dicat, ſed quam ſibi conſtanter, convenienterque dicat, advertere debemus. Nam, ſi materia illa eſt, partes extra partes utique habere aut debet, aut poteſt. Si hoc non relinquis, quid jam de materiae notione relinquis? Rogo nunc, an partes iſtae poſſint in illas natura ſua quidquam agere? Si neges; non infinito igitur iſtae robore pollent. Si affirmes; pati vim igitur illae poſſunt; ex quo conſequitur, ut iis, quae diximus, incommodis obnoxiae ſint.

Deinde, materia illa divina finita ne, an infinita tibi videtur? Si finita eſt, ubi eſt Dei ſumma perfectio, cujus natura certis quibuſdam limitibus neceſſario coërceatur? Nam ſi natura coërcetur, etiam virtus coërcetur, quae in ipſa natura exiſtit. At ſi materia illa infinita eſt, omnem igitur occupat locum. Itaque, cum in eadem ſpatii particula materia duplex eſſe non poſſit, quidquid materiae eſt, ad ipſius Dei naturam pertinet. Ergo Mundus ipſe Deus eſt, ut quidam non differentes philoſophi, ſed ſomniantes docuerunt. At, ſi Mundus Deus eſt, non eſt ipſe Deus infinitus, ac ſumme perfectus. Plurima enim in Mundo mala ſunt, quae non modo a ſumma, verum etiam a quavis perfectione abſunt. Aliae rationes afferri poſſent, cur Dei natura videri corporea non debeat. At quae diximus, plus etiam ſatis.

Num vero poſſit ei ſumma ineſſe Perfectio, qui Libera Voluntate non fruitur, qui non eſt ſuorum, ut ita dicam, dominus actuum, qui, ſi Fatum neſcio quod aliquid jubeat, actutum parere compellatur? Homines ipſi Libertate nihil habent antiquius, quae *non bene*, ut illud fert Ovidii tritum, atque vulgatum, *pro toto venditur auro*, quae vel ut diſcrimini expoſita defendatur, vel ut amiſſa recu-

peretur, neque ſumptibus, neque periculis, neque laboribus parcendum exiſtimamus. Quis ergo poſſit cogitatione complecti, Deum & beatum eſſe, & omni ex parte perfectum, niſi Liber idem intelligatur, niſi nulla ipſe ratione queat Neceſſitatem pati, quam rebus a ſe conditis, quibus velit, pro ſuo jure poſſit imponere?

Sanctitas quidem illi ſumma eſſe debet, quo nihil melius, nihil poſſimus excogitare praeſtantius. Clarius id eſt, quam ut ratione ulla clarius effici aut debeat, aut poſſit. Qui autem Sanctus idem & Miſericors & Liberalis, & Clemens, & Benignus, & Patiens, idem & Juſtus, & ſcelerum Vindex, & ſceleſtorum Inimicus dicendus eſt.

Levis autem ille, cujus omnino perfecta ſapientia ſit, aut Inconſtans, qui nullis animi perturbationibus agitetur, eſſe certe nullo modo poteſt. Hinc neque ille mutari poteſt, neque verendum unquam eſt, ne ſuis ipſe ſtare decretis aliquando recuſet.

Idem vero, qui perfectus, atque optimus natura eſt, neque fallere, aut mentiri vult; omnis enim, quicumque mentitur, aut fallit, improbus, ac malus eſt; neque fallere, aut mentiri poteſt; cauſa enim, cur mentiatur, aut fallat, illi, qui omnia ſcit, omnia tenet, omnia complectitur, omnia poteſt, eſſe non poteſt.

Similes rationes efficiunt, eſſe Deo Mundi totius, ac rerum prorſus omnium providentiam, curamque vel maximam. Praeclare enim illa Socrates, ut alia multa (a) = *Animadverti mentem tuam, etiam dum ineſt in corpore, ex arbitratu ſuo corpus gubernare. Quamobrem exiſtimandum eſt, Sapientiam illam, quae eſt in hoc univerſo, ſic omnia regere, quemadmodum ipſi gratum eſt. Num tuus oculus ad multa uſque ſtudia pertingere potuit, & non poteſt Dei oculus ſimul omnia intueri? Numque tuus animus tum de rebus, quae hic accidunt, tum de illis, quae in Ægypto ſunt, & Sicilia cogitare poteſt, & non poteſt Dei ſapientia ſimul omnium habere curam?* =

Si

(a) Apud Xenophont. *De Dictis, & Factis memorabilibus Socratis p. 576.*

Si forte diſſentis, finge animo Deum curis omnibus, ut Epicurus ajebat, vacuum, atque ſolutum; qui neque de mundi fabrica ſollicitus olim fuerit, neque modo de tot rerum eventibus quidquam cogitet, cum non aliud fere, niſi, mihi bene, mihi pulchre eſt, animo verſare videatur. An poterit Deus iſte ſapientiſſimus vel haberi, vel dici, qui tam multa neſciat? an prudentiſſimus, qui omnia negligat? an optimus, qui nemini bene facere velit, qui neque benevolentiae faciat apud ſe, neque gratiae locum, qui ſceleſtum, ac pium aeque contemnat, qui nullum virtuti ſervare praemium, nullam crimini poenam velit infligere? An Mundi totius Rex, atque Dominus iſte Deus haberi poterit, cui nulla ſit de Regno ſuo, nulla de hominibus, qui dominum eumdem agnoſcant, & colant, & diligant, vel minima cogitatio? Sardanapali cujuſdam id eſſe videretur, aut Niniae, vel Gallieni alicujus, aut Elagabali, aut Claudii. An vero Mundi Rex, atque hominum univerſorum Dominus ille non eſt habendus, cui nihil boni deſit, nihil deeſſe poſſit?

Praeterea, Deum eſſe, ut poſuimus, ſumme perfectum, homines collegiſſe videntur, quod bona omnia, quae novimus, originem a Deo ſumpſiſſe, perſpicua ratio ſuadeat. Jam ſi a Deo bona ſunt, profecto a Dei voluntate ſunt. Etenim doctrina *Syſtematis*, ut vocant, *Emanativi* quid magis ridiculum, aut indignum Deo complecti animo poſſumus? An cum Dei Natura perfectiſſima ſit, ab illa tot imperfectae res, atque tam viles neſcio qua neceſſitatis, aut fati lege dimanant? Quid? Si ab homine quidquam, niſi homo, naſceretur, nihil magis pudendum eſſet, a Deo autem & monſtra, & ſerpentes, & ferae, & quae vel ipſa humanae mentis cogitatio refugit, oriri & poſſunt. & debent? Quomodo rei cujuſquam natura poteſt in deteriora converti, niſi & fatiſcere queat, & labefactari, & ipſa temporis diuturnitate corrumpi? Si haec in Deo locum habent, vitia profecto plurima locum habent, atque hinc ſumme perfectus, atque hinc vere optimus, vere maximus nullo modo dicendus eſt.

Jam

Jam ſi res univerſae non a Dei Natura, ut e bruta ipſa tellure fruges, atque arbores extant, ſed a Dei Liberalitate, ut ab optimo quoque Rege innumeri pauperes, quidquid habent, accipiunt, Dei ſine dubio Providentia eſt. Nam primo quidem & quod res in ſuo quaſque genere perfectas eſſe voluit, atque omnibus numeris abſolutas, providentiae vel maximae fuit: deinde nemo poteſt, niſi vecors, animo reputare, conditarum fuiſſe rerum a Deo curam abjectam, vel, tamquam ab inerti poëta, cum initio praeclare omnia deſcripſerit, extremos, ut ita dicam, actus fuiſſe neglectos.

Non poteſt ille, mihi crede, aut labore frangi, aut corripi taedio, aut moleſtia vinci, qui ſemel res tantas, atque tam varias incredibili ſapientia machinatus eſt, ac praepotenti voluntate compoſuit. Nam & labor eos tantummodo labefactat, qui debilibus, infirmiſque membris utuntur, qui brachia, qui crura, qui latera exercent, qui numquam in alia corpora quidquam agunt, ut non virium aliquid ipſorum corpora amittant. Moleſtia vero, vel taedium illos non raro vincit, qui nihil animo verſare queunt, ut non a multis, quae pertinent in ſuam felicitatem, eodem animo revolvendis, aliquandiu diſtrahantur; cum tamen ea, quae cogitant (idem de iis, quae volunt, aut agunt) non poſſint plenam iiſdem, atque perfectam felicitatem afferre. Hinc novae res eaedem gratae nobis plerumque ſunt, quaſi non leve forſitan oblectamentum allaturae, quod ſuppeditari ab aliis non poſſe, ipſa tandem experientia didicimus; hinc & ipſa copia bonorum, hinc varietas placet, hinc & loca, & actiones vitae, hinc ipſa ſolatia commutare, voluptateſque contendimus. Haec autem, ſi poſſent in Deo locum habere, ſumme perfecta illius natura non eſſet. Ejus enim beatitudo tam levis eſſet, ut ipſam poſſet de minimis hiſce rebus longiuſcula cogitatio turbare, vel etiam perdere. At enim ſumme perfecta Dei Natura eſt. Non eſt igitur iis, quae diximus, in divina Natura locus.

Jam, ſi non affert Providentia Deo neque laborem, neque

que moleſtiam (haec enim Epicurus cum ſuis timere videbatur) a Deo utique habenda eſt. Sapientis enim eſt, atque conſtantis numquam opus illud relinquere, quod, cum ultro ſuſceptum eſt, tum neque laborem, neque periculum creat, neque taedium, neque ratio, quamobrem prorſus abjiciatur, ſatis idonea unquam exiſtit. Ambroſius quidem illa ſapienter (*a*) = *Quis operator negligat operis ſui curam? Quis deſerat, aut deſtituat, quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere; nonne major injuria eſt feciſſe, cum aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit, non curare, quod feceris, ſumma inclementia?* =

Recte etiam illa Simplicius (*b*) = *Cum tale ſit Numen, quale deſcriptum eſt, cognitione praeditum exquiſitiſſima, & potentia firmiſſima, & voluntate optima, & omnes res a ſe producat, nec ignoret res a ſe conditas eſſe curandas (qui ſtupor ne in ſtupidiſſimas quidem pecudes cadit; nam illae quoque ſuos curant foetus) neque ob magnitudinem relinquet; quae enim res erit major conditore ſuo? neque ut viliores, quam quae curentur, aſpernabitur; nam ſi tales erant, cur omnino condebantur? At nec voluntas ejus eſt accuſanda, quaſi ob delicias, & ſocordiam eas negligat: hominum enim iſti affectus ſunt, nec omnium, ſed non proborum; cum ne pecudes quidem ita delicatae ſint, & ignavae, ut foetus ſuos negligant. Neque vero tamquam viles eas contemnit, quas condere non eſt dedignatus. Sic nullo modo fieri poteſt, quin Deus conſulat rebus a ſe conditis* =.

Hominibus quidem ſaepe contingit, ut aliqua de cauſa, quae diligentiam ipſorum fugerit, aut ſuperaverit, non tale opus, in quo elaborabant, exiſtat, quale ipſi fore ſperabant. Hinc & curam operis, & opus ipſum abjiciunt. At Dei ſapientiam latere nihil unquam potuit, ſiquidem ſumma, ſiquidem infinita putanda eſt. Ea ſunt igitur ipſius opera, quae fore ipſe praevidit. Si voluit ergo ſemel illa producere, quid jam de illis aut nihil cogitare ſtatuit, aut nihil

(*a*) *L. de Officiis C. XIII.* (*b*) *In Caput XXXVIII. Epicteti.*

hil ſaltem ſua voluntate decernere? Alterutrum enim erit, ſi nulla Dei Providentia erit. Alterutrum vero pueri eſſe poſſet, qui ſaepe multa velit, quorum ipſe rationes ignoret, non gravis hominis, aut prudentis, aut docti, cui vivere cogitare ſit. Quanto minus id ergo dicemus illius eſſe, cujus infinita perfectio eſt, atque ſapientia!

Saepe etiam contingit, ut homines alicujus operis curam abjiciant, propterea quod idem opus neceſſitatis, aut utilitatis gratia, quae jam nulla ſperetur, aggreſſi aliquando fuerint. Deus autem, quae fecit, cum nulla re prorſus indigeat, ideo fecit, ut iis bene eſſet, quos ipſe juſſit exiſtere, & divitiarum ſuarum participes illi fierent, quos divinae ipſius Naturae ſimilitudinem habere voluit. Haec autem ratio ſine dubio flagitat, ut Deus iiſdem perpetuo conſulat. Etenim quid boni jam illi ſperare poſſint, qui negligantur omnino, qui deſerantur a Deo?

Haec ratio maxime locum habet, quod in ipſo Deo felicitas hominis conſtituenda ſit (*a*). Equidem citius non eſſe velim, quam ipſo Deo, quem unice diligere debeo, numquam frui mihi contingat. In illo enim eſt *Omne Bonum*, quod ante concupivi, quam, quid eſſet, verbis explicare poſſem, aut etiam ſatis clara cogitatione complecti; cujus quidem Boni ut particulam adipiſcar, voluntate, aut natura feror, quocumque feror. Ergo niſi tandem ipſo Deo fruar, etſi tempus, & horas aliquo modo fallam, vere felix,

(*a*) Nihil neceſſe eſt de Felicitate, ſive Beatitudine hic loqui, quam *ſupernaturalem* Theologi pro ſuo jure vocant. Eam quidem ardenter plurimi cupiunt. At quod ita cupiant, non ab ipſa tantum natura eſt. Itaque omnia, quae hic dicimus, de Felicitate, aut Beatitudine dicta ſaltem intelligas, quam iidem *naturalem* appellant. Eam non poſſe, maxima ſaltem ex parte, conſtitui, niſi vel in quadam multo clariore, quam nunc habeamus, Primae Cauſae cognitione, vel in eo, quod ab eadem cognitione conſequitur, naturalis etiam ratio probat. Videtur id ipſe Plato cum aliis quibuſdam Ethnicis agnoviſſe. Ex his autem nemo non inferet, auxilium Dei multo magis neceſſarium nobis eſſe, ut *ſupernaturalem* illam Beatitudinem aſſequamur.

lix, vere beatus eſſe non potero. Quod ſi numquam vere beatus, ero ſemper miſer. Etenim ſemper id ardenter optabo, quod me conſecuturum numquam eſſe, certo ſciam. Praeſtat autem non eſſe, quam miſerum ſemper eſſe. Jam Deo potiri quis poſſit, niſi Deus ipſe velit, ut quiſpiam ipſo potiatur, niſi adjuvet, ut humo idem ſeſe tollat, atque altius aſſurgat; niſi quodammodo manu trahat? Multum enim ejus infinitae Majeſtati, ac Dignitati deeſſet, ſi poſſent humunciones ita ipſo frui, ut non ipſe tantum beneficium, ac donum iiſdem impertiretur. Atqui, ſi totum id verum eſt, Dei, ut ſtatim vides, Providentia eſt.

Caeterum, quod & homines, & aliae quaecumque res divina Providentia prorſus indigeant, rationibus haud ſane paucis confirmari poteſt. Neque enim, cur hoc momento quiſquam exiſtat, ratio ulla ſufficiens eſſe poteſt, niſi divina voluntas, qua fiat, ut nunc exiſtat: Quod enim antea quiſquam extiterit, cum neceſſario non extiterit, non id efficeret, ut in poſterum quoque tempus idem eſſet. Si enim ejus natura tum quoque, cum erat, non ipſa ferebat, ut eſſet, ſed ab alio, ut eſſet, acceperat, quomodo feret, ut eadem illo momento ſit, quo nondum eam eſſe percipimus? At, ſi vult Deus, ut ego nunc exiſtam, profecto mihi pro tempore hoc eodem vel maxime conſulit. Eadem enim ratio probat, velle Deum, omnia me nunc habere, quae divino ejus munere olim accepi. Neque vero, ſi olim, quaecumque habui, a Deo habui, ratio ulla ſufficiens unquam erit, ut, ſi qua poſt acquiram, non ejuſdem beneficio acquiram.

At, his omiſſis, illud ſufficiat advertere, quod hujus loci magis proprium eſſe videatur: videlicet Deum, ſiquidem ſumme perfectus eſt, id habere, ut ſine illius aut imperio, aut voluntate neque res exiſtere queant, neque vero quidquam operari, vel agere. Ecquis enim, id totum ſupremo Numini melius eſſe, quam contrarium, non arbitretur? Jam, ſi res, tum ut exiſtant, tum ut agant, Dei vo-

Digitized by Google

luntas neceſſaria eſt, Dei fine dubio Providentia eſt. Pluribus hoc idem perſequi nihil oportet. Res enim per ſe ipſa loquitur.

Quae cum ita ſint, vides, opinor, candide lector, quantum interſit eam veritatem probare, in quam ſtatuendam, ipſius quodammodo naturae ductu, homines univerſos convenire, diximus. Quamquam & illud hoc loco addendum eſt; non pauca, quae diximus, ab ipſo Generis Humani Conſenſu propria etiam, ac peculiari quadam ratione deduci. Nam qui ſtatuunt, eſſe Deum, iidem ultro fatentur, & Potentem eſſe, & Sapientem, & Juſtum, & Sanctum, & omni animi virtute praeditum.

Neque eſt, cur Furias etiam, & Charontem, & Plutonem, & Mali Principium apud antiquos, nec non maleficas neſcio quas naturas apud recentiores quoſdam Americae populos eodem nomine, quo ſupremum illud Numen, vocatas fuiſſe, memineris. Nam & hominum iſtiuſmodi non tam ipſas voces, quam opiniones, conſidero. Notio Divinitatis in eorumdem animis illa eſt, qua naturam excellenti virtute, ſapientiaque maximam, & a nulla cauſa productam, & immortalem, & beatam, & rerum omnium longe optimam, ac preſtantiſſimam eſſe putant. Quod Naturam illam eodem nomine, quo res etiam alias, appellent, non efficit, ad has eaſdem res illius naturae notionem tranſtuliſſe, ſed nomen illud latius, quam par eſſet, ab iis uſurpari. Æquum enim foret, ut, quod longe caeteris rebus omnibus antecellit, ac praeſtat, nomine appellaretur, ut a Chriſtianis, aliiſque fit, ipſi tantum proprio, ac maxime ſuo. Caeterum Naturam eamdem proprietatibus iis excellere, de quibus diximus, nemo unquam negavit, modo ut, quid ſint illae proprietates, aliqua ratione perceperit.

Idem fere de Providentia dicas, quam ab Humano Genere vel univerſo agnoſci, haud equidem negabo, quod aliqui leves e Graecia philoſophi eamdem de medio tollere voluerint. Scite enim in libro *de Iſide, & Oſiride* ſcripſit illa

Plu-

Plutarchus = *Vetuſtiſſima proinde a ſacrarum profeſſoribus rerum, & legumlatoribus derivata eſt opinio, auctore incognito, fide firma, & indelebili, non in ſermonibus ea tantum, & rumoribus, ſed & in myſteriis, ac ſacrificiis tam Barbaris, quam Graecanicis exſtans, neque caſu ferri, & a fortuna pendere Univerſum, mente, ratione, ac gubernatione deſtitutum &c.* = (a). Similia vidimus ab Æliano doceri, ſimilia item ab aliis.

Concedo equidem, non paucos homines etiam ingenio, doctrinaque claros perperam de Providentia Dei fuiſſe locutos. Concedo, nationes etiam vel fuiſſe vel eſſe, quae negent, ſupremi Numinis majeſtate, ac felicitate dignam videri de fluxis quibuſdam, caducifque rebus providentiam, & curam. At primo quidem univerſi Providentiae hoſtes tuto contemni poſſunt. In eos enim optime quadrant, quae de veris Atheis in prima hujus ejuſdem libri parte dicebamus. Deinde advertendum, ex illis pleroſque cenſere, a ſupremo Numine Geniis quibuſdam, aut Intelligentiis homine nobilioribus rerum, quae ſub Luna fiant, aut quae ſaltem in hac noſtra tellure contingant, procurationem fuiſſe commiſſam. Omnia igitur aliqua tandem ratione divinae Providentiae, aut Voluntati ſubjiciunt. Aliquam igitur & ipſi divinae Providentiae notionem relinquunt, ut Divinitatis notio-

(a) Ipſius verba ſunt = Παμπάλαιος αὐτὴ κάτεισι ἐκ θεολόγων καὶ νομοθετῶν εἴς τε ποιητὰς καὶ φιλοσόφους δόξα τὴν ἀρχὴν ἀδέσποτον ἔχουσα, τὴν δὲ πίστιν ἰσχυρὰν καὶ δυσεξάλειπτον οὐκ ἐν λόγοις μόνον, οὐδ᾽ ἐν φήμαις, ἀλλὰ ἔντε τελέταις, ἔντε θυσίαις καὶ βαρβάροις, καὶ Ἕλλησι πολλαχοῦ περιφερομένην, ὡς οὔτ᾽ ἄνουν καὶ ἄλογον καὶ ἀκυβέρνητον αἰωρεῖται τῷ αὐτομάτῳ τὸ πᾶν = Subdit quidem eo loco Plutarchus, eamdem eſſe de principiis duobus altero bonorum, altero malorum, opinionem hominum, atque famam. At diligenter hic advertendum eſt, eam ex antiquiſſima *traditione* manaſſe, de Satana ſcilicet, *cujus invidia mors intravit in orbem terrarum*, & qui caeteras intulit calamitates, quibus quotidie premimur. Ea *traditio* apud Hebraeos, veteris Religionis cultores, ſanctiſſime cuſtodita fuit; ſed apud alias gentes foede corrupta. Nihil tamen hinc contra totius Humani Generis auctoritatem. Etenim Ethnici de principio malorum alii alia ſenſerunt. In eo autem, quod univerſi fere homines aliquando tenuerunt, quamdam eſſe improbam, malevolamque naturam, quae plurimas in homines, cum poſſet, calamitates immitteret, nullo modo erraviſſe dicendi ſunt.

tionem ab impiis fere omnibus hominibus aliquam aliquo modo relinqui dicebamus.

CAPUT V.

Impii confutantur, praecipue Mirabodius, qui Conſenſum Generis Humani, de quo loquimur, ab inani quodam metu repeti jubent.

Quod furore, nec illo quidem apollineo, percitus tot ante Saeculis Lucretius ſcripſerat:

„ *Primus in orbe Deos fecit Timor, ardua Coelo*
„ *Fulmina cum caderent*:

id & Spinoſae maxime placuit (*a*), & impiis hominibus haud ſane paucis, quos *Illuminati*, ſic enim appellari volunt, hujuſce noſtri *Saeculi Incommoda* non injuria profecto nuncupaveris (*b*). Itaque mirum eſſet, ſi non idem Atheorum illi Principi placuiſſet, in cujus libro ſi, quidquid Impietas unquam effutivit, reperiri dixero, ſane non mentiar (*c*).

Verum id totum ita Mirabodius poſuit, ut, more ſuo, non ſibi convenire videatur. Etenim hoc eodem in libro timorem ultoris Dei potiſſimam eſſe cauſam ſtatuit, quamobrem homines illius excutiant aliquando jugum, & liberi, & Athei fiant (*d*). Qui tam contrarios effectus eidem cauſae tribuit, nonne parum conſiderate ſcribere dicendus eſt? Sed & alia quamplurima ſunt in hac eadam re Mirabodii pec-

(*a*) *In Praefat. ad Tract. Theologico-pol.*

(*b*) E. g. in libris, quos hic indicamus, *Contag. Sacrée Ch. I.*, *Eſſai ſur les préjugés Ch. VII.*, *Les trois Impoſteurs C. II. n. 1.*, *Origine du Deſpotiſm. Orient.*, *L' Antiquité devoilée par ſes Uſages*, *Diſſert. ſur Elie*, *& ſur Enoch*. Huic etiam errori magna ex parte favet Voltaerius *Diction. Philoſ. Art. Religion*, *& Philoſ. de l' Hiſtoire C. V. p. 16.*

(*c*) *Syſtêm. de la Nat. To. II. C. I. IV.* & alibi ſaepe.

(*d*) *Ib. Cap. XIII.*

peccata, quae cum a doctiſſimo Bergierio ſatis, ſuperque notata fuerint (a), non deſiderant orationem meam.

Illud tamen ſilentio praeterire non debeo, quod vel ex iis omnibus, quae ſupra dixi, ſatis conſtat; non poſſe opinionem Divinitatis a gentibus univerſis tanta conſenſione receptam, tantaque conſtantia ſervatam in fatuum neſcio quem, anilemque timorem refundi: perinde ac ſi nec inſipientes, nec ſapientes advertere potuerint, nimio ſe metu corripi; quem Athei noſtri tam feliciter detegant, & excutiant. Quid enim? Num potuit ultoris Dei metus efficere, ut ne homines avitas de Religione ſententias, & caeremonias, & ſacra repudiarent, quae ſanctiſſime omnia majores cuſtodienda tradiderant? Num potuit idem metus efficere, quominus commentitios Deos ex aris dejicerent, eoſque pedibus conculcarent, ante quos finitimae gentes genua flectebant, aut quos etiam ipſi majores & victimis, & thure venerati fuerant? Quis ergo in eum furorem agere potuit homines univerſos, ut, ne forte Deum aliquem experirentur magis iratum, vel ut haberent, ad cujus aras aerumnis, & calamitatibus preſſi confugerent, ſemper Deum aliquem eſſe putaverint, quem exiſtere, ſi adverſarios audimus, neque probabilis auctoritas, neque perſpecta ratio demonſtrat?

Neque enim ego poſſum cogitatione conſequi, quomodo Timor Divinitatem & fecerit, & ſervaverit, niſi à Timore univerſum Genus Humanum non modo ſemel deceptum, ſed & in amentiam non ita levem fuiſſe compulſum, adverſarii & dicant, & ſentiant. Quis enim, niſi demens, eſſe judicem in aliqua civitate putavit, quod judicum, ac judiciorum metu perterreretur? Quis, niſi demens, hoſtes adeſſe credidit, quod ipſum hoſtium metus exanimaret? aut exilia, luctus, orbitates, & caetera, quae ſunt hujuſmodi, pati ſe arbitratus eſt, quod iis nominibus auditis palleſcere conſueverit? Jam vero, ſi quis haec, aut ſimilia de toto Ge-

ne-

(a) *Examen du Matérialiſme &c. Tom. II. C. I. &c.*

nere Humano & dicat, & ſentiat, illius omnem ingenii vim, ac judicandi ſollertiam illuc abiiſſe pronuncies,

„ *Quo res amiſſae coëunt, ubi vitrea quondam*
„ *Inventa eſt liquidi cuſtos ampulla cerebri* (*a*).

Quid quod Naturam divinam ſapientiſſimi quique homines, florentiſſimaeque nationes eſſe praedicarunt & benignam, & clementem, & humano generi amicam, cujus vel incolumitati, vel etiam commodis maxime praeſenti providentia proſpiceret? Hinc enim videmus, & feſtos dies in ejuſdem honorem inſtitutos magna hominum non quidem moerentium, ſed & gaudio geſtientium frequentia celebrari, & carmina poëtarum, & muſicorum cantus, & nitorem templorum, & viarum ornatus, neque obſcura, neque dubia publicae laetitiae ſigna praeferre. An vero parum iſta declarant, homines non ſollicito timore perterritos, at ſuavi ſpe citius illectos optimae, ac praeſtantiſſimae Naturae cultum omni aetate exhibuiſſe? Quare quod homines, Deum ab improbis timendum eſſe, cenſeant, non turbatis, ac prope ad inſaniam actis animi motibus, ſed aliis omnino cauſis tribuendum eſt.

Illud etiam diligentius advertere Mirabodius debuiſſet, quod & omnis hiſtoria docet, & quotidiana exempla declarant, nihil minus fortibus, & ſapientibus Viris eſſe commune, quam leviſſimum quemdam timorem: quo tamquam aniculis, aut pueris, dubia ſub luce inter nemora forte ambulantibus, quae non ſunt, niſi rerum umbrae, terribiles quaedam res videantur eſſe, certiſſimum, niſi audaciam, & animum ponas, exitium allaturae. Quid? nonne tot hominum millia fortiſſimo animo ingentia quaeque pericula terra marique ſubeunt? nonne mortem ipſam, ut ita dicam, quotidie laceſſunt, ac provocant? nonne ipſa vulnera in acie non

(*a*) Settan. Min. *Satyr. I.*

non ſentiunt, aut ſentiunt quidem, ſed tamen mori malunt, quam audaciam ponere, vel tantiſper a dignitatis gradu dimoveri? Nonne multo plures eo progrediuntur, ut ipſius Numinis, quod colunt, aut colendum exiſtimant, nullo fere timore, aut certe leviſſimo ſeſe tangi patiantur? Hinc enim tam facile perditi homines, & flagitioſi, ***quae maxima turba eſt***, perturbatis animi motibus illuc ſeſe abripi ſinunt, quo virtus, & ipſa lex naturae vetat. Eos tamen, ut ſciant eſſe Numen ſibi maxime iratum, nullae graves curae, nullae animorum aegritudines exedunt, at quotidie magis novae libidines incitant, & futiles laetitiae exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Credo equidem, hos inanis quidam timor plerumque coërceret, ut non id contra commentitium Numen efficerent, quod Epicurus contra patriam Superſtitionem, atque adeo contra Religionem omnem, incredibili audacia praeſtitit. Etenim, ut de illo Lucretius,

„ *Humana ante oculos foede cum Vita jaceret*
„ *In terris oppreſſa gravi ſub Relligione,*
„ *Primum Grajus homo mortales tollere contra*
„ *Eſt oculos auſus, primuſque obſiſtere contra.*

Neque vero eſt, cur Mirabodius reponat, ſua quidem ſententia illos homines fuiſſe immaniter perterritos, qui primum Deos eſſe putaverunt: ab illis autem poſteros, quamvis fortiores, in eumdem errorem, nec non timorem aliquem, facile pertahi potuiſſe. Equidem omittam hoc loco, quod tamen Mirabodio ſapienter Bergierius exprobrat, non recte dici, Deos citius, quam unum, verumque Deum, a primis illis hominibus fuiſſe cultos, cum non a Superſtitione ad Religionem, ſed ab hac ad illam, antiquiſſimis temporibus, ipſa ſibi gradum humana imbecillitas fecerit: quemadmodum & alios omittam Mirabodii errores, id potius totis voluminibus perſequentis, quod eſſe utcumque potuerit, quam quod fuiſſe credibile videatur. Fingamus ita rem eſſe, ut Mirabodius ponit. Antiquiſſimi homines, cum undi-

dique mala, undique calamitates ingruerent, nimio timore perterriti, atque turbati, neſcio quam excogitaverint Divinitatem, quam & poenas a ſceleratis repetere, & precibus, votiſque placatam piis hominibus praeſto eſſe crediderint. Nondum id attigiſti, Mirabodi, in quo totus eſt hujuſce quaeſtionis cardo.

Explicandum enim eſt, quomodo timor ille ad poſteros omnes, etſi non adeo vehemens, tam longe lateque manaverit, atque tam alte mortalium omnium animos occupaverit, ut nulla unquam vi, nulla ratione, ab eorum, qui modo ſe homines eſſe meminiſſent, pectoribus, quamvis etiam plus aequo fortibus, & audacibus, exterminari potuerit. Etenim quam multa fuerunt, quae timidi majores tradiderant, nec tamen poſteri receperunt! Nam & olim populos quoſdam, politioribus nondum diſciplinis excultos, terruiſſe videtur & ille triceps apud Inferos Cerberus, & Cocyti fremitus, & tranſvectio Acherontis, & *ſaxum ſudans nitendo* Siſyphus, & mento ſummam aquam attingens ſiti enectus Tantalus. Quem tamen, ubi homines philoſophiae praeceptis imbui coeperunt, adeo deliraviſſe cenſes, ut iſta crederet?

Nimirum verum illud, quod in re valde ſimili Cicero aſſenſu omnium ſcripſit „ *Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat* „. Quare, ſi omnes homines Divinitatem aliquo modo timent (quod utinam ita verum eſſet, ut non potius de incredibili plurimorum hominum audacia conqueri deberemus) non id efficitur, quod vult cum ſuis Mirabodius, omnes homines inani fuiſſe terrore deceptos, ſed revera Divinitatem exiſtere, quae nobis timenda ſit, niſi domitas didicerimus habere libidines, coërcere omnes cupiditates, noſtris non intemperanter abuti, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Non enim aliam timor ille Humano Generi communis poterit habere cauſam, niſi quae in ipſa hominum natura poſita ſit (*a*).

(*a*) Videtur id ipſe Mirabodius aliquando agnoviſſe, ut probat Bergierius *Exam. du Matérial. T. II. C. I. p. 7. &c.*

CAPUT VI.

Aliud refutatur Mirabodii mendacium, quod rerum naturalium, atque cauſarum inſcitia ſuſpicionem Divinitatis indiderit.

QUid jam contra Mirabodium, ac reliquos impios dicemus, qui fontem alium communis erroris, de rerum domina Divinitate, communem fuiſſe naturae virium, ac legum ignorationem diſerte ſcribunt? quod quidem petulantiſſimum commenti genus a Lucretio didicerunt, illa ſcribente:

„ *Praeterea Coeli rationes ordine certo,*
„ *Et varia annorum cernebant tempora verti,*
„ *Nec poterant, quibus id fieret cognoſcere cauſis:*
„ *Ergo perfugium ſibi habebant, omnia Divis*
„ *Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.*

Iſta qui ſcribant, ecquis non reprehenſione ſolum, ſed & convicio, & poena quavis dignos eſſe non putet? Illud tamquam in hac tota re levius quiddam omittimus: ea ne leviter quidem adverſarios attingere, quae ſunt in hac noſtra controverſia ipſis explicanda vel maxime. Cur enim, quando coeperunt Athei non modo *dicere in corde ſuo, Non eſt Deus*, ſed & impios animi ſenſus qua ſcriptis qua voce pandere, cur univerſum Genus Humanum, praeclaris ſcilicet argumentis de tanto errore admonitum, in ſententias illorum non modo non ivit, ſed eas potius vel indignatione vel riſu excepit, ut ne oppidum quidem unum, aut pagus quamvis exiguus, ad abnegandam Divinitatem inde permoveretur? Quid noluerunt homines ſaltem alicujus Provinciae, vel Urbis, ea, quae tanto ſuo malo

„ *Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri?*

Nimirum ea lex Divinitatem agnoſcendi eſt, ad quam non tam docti, quam facti, non tam inſtituti, quam imbuti ſumus;

mus; & quam rudes etiam homines a natura potius haurire, atque exprimere, quam ab hominibus aliis accipere, aut diſcere videantur.

Haec, inquam, ſi omittamus, numne qui homines univerſos ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum inſcitiae arguit, ingenti quadam inſcitia ſeſe laborare declarat, intolerabili ſuperbia, atque arrogantia conjuncta? Ac ne verbis ſolum attingamus ea, quae probare cupimus, proponenda quaedam quaſi moventia ſunt, quae rudes etiam Atheos ad cognitionem, ſi fieri poteſt, intelligentiamque convertant.

Animo enim parumper, & cogitatione fingatur ingens plurimorum Virorum conventus, optimis artibus, ac ſcientiae copia praeſtantium. Diſputent illi multiplici ratione inter ſe de maximis rebus, at in una quapiam, aut altera ſententia ſtatuenda non uſitata quadam conſenſione conſpirent. Qui contradicat & malum hominem eſſe graviſſimis verbis pronuncient, & reipublicae noxium, & vero etiam hebete ingenio, aut potius nullo. Tum adoleſcentulus quidam in eum conventum obrepat, qui vix Grammaticae rudimenta primoribus, quod ajunt, labris attigerit. Is magna voce clamet: univerſos illius conventus homines propter maximarum rerum ignorationem in ea ſententia ſtatuenda turpiter decipi: ſe unum audiendum eſſe, qui nolit eamdem recipi: ſuas enimvero voces qui audire velint, veritatem aſſecuturos; qui ſecus, tamquam fatuos homines, id affirmantes, quod ne ipſi quidem percipiant, eſſe contemnendos. Id ſi contingeret, quid, candide lector, ad illius adoleſcentis, ſi quidem ſui compotem eſſe conſtaret, temeritatem, atque ſuperbiam, addi poſſe cenſeres?

Neque enim arbitror te, quamvis in legendis Baylii libris exercitatus fueris, velle neſcio quid hoc loco de primis illis Chriſtianis & pueris, & mulieribus Ethnicorum ſapientiam contemnentibus inſuſurrare. Etenim, ut reliqua ſileam, cum inſanientes illos Philoſophos Chriſtianae virgines,

nes, ac pueri reprehendebant, non id agebant, ut ſua propria ratio ſibi relicta cum illorum ratione pugnaret, ſed ejus auctoritatem ſequebantur, & humanae cuilibet anteponebant, quem ſapientiſſimum eſſe Deum, nemo fere negare poterat, quin prudens ac ſciens in craſſiſſimis haerere vellet erroribus. Ipſius etiam Dei virgines illae, puerique voces tam perſpicuas audiebant, ut, quin ipſe loqueretur, nulla ratione dubitari, & veritas, & pietas, & religio ſineret. Sed puerum, aut adoleſcentulum, neque a natura, neque ab arte ſatis ad diſputandum inſtructum rationem ſuam, & ingenium, atque ſollertiam cum centum, aut mille ſapientum doctrina committere, id enimvero nullo modo ferendum eſſet.

Facile vides, opinor, acute lector, quorſum haec tota ſpectet oratio. Nemo enim ſanus dubitare poteſt, quin & Mirabodius, & univerſa Atheorum cohors, ſi cum Humani totius Generis doctrina, ſapientiaque conferatur, multo minoris auctoritatis haberi debeat, quam illius adoleſcentis loquacitas cum centum, aut mille ſapientum gravitate comparata.

Quid enim tantulum illud Spinoſae acumen, quid puerilis illa Mirabodii eruditio, & quaedam copia verborum, quid ſimilium Scriptorum non aliis fere nervis, quam robuſtae impietatis, vigens oratio, ad totam Hebraeorum, Chaldaeorum, Perſarum, Ægyptiorum, Phoenicum, Graecorum, Romanorum, Sinarum prudentiam? quid ad Chriſtianarum Gentium tot, atque tantarum, ſapientiam? quid ad reliquarum omnium Nationum qualemcumque ſollertiam, atque doctrinam?

Haeccine igitur paucorum hominum vilis, & abjecta manus ſupremi Numinis cultores vexet omnibus contumeliis? haeccine pudendi cujuſdam timoris, aut ſimulatae pietatis graviſſimos quoſque viros arguat? haeccine ſapientiſſimos philoſophos, haeccine divina quaelibet ingenia, haeccine totum ſemper Humanum Genus in turpiſſimo affirmet erro-

re, propter naturalium cauſarum ignorationem (*a*), fuiſſe verſatum? Quid erit ſuperbiam in furorem convertere, niſi hoc eſt? aut quid inſani hominis, qui neque ſe, neque alios norit, magis proprium dici, vel fingi poteſt? Equidem vereor, ne, ſi libri quidam hac aetate conſcripti pervenerint ad poſteros, longe aliis eamdem nominibus, quam *Saeculi aurei*, vel *illuminati* aliquando vocaturi ſint.

CA-

(*a*) Notatu dignum eſt, quod contra Mirabodium, eam ignorantiam hominibus exprobrantem, Bergierius ſcripſit. (*Ex. du Matérial. To. II. C. I. p. 6.*) = *S' il eſt vrai que plus l' homme eſt ignorant, & ſtupide, plus il eſt ſuperſtitieux, c' eſt mal-à-propos que certains critiques ont voulu chercher dans un autre hémiſphere des peuples ſauvages, qui ne connuſſent point Dieu, qui n' euſſent aucune Religion, pour tirer de leur ignorance une induction contre le conſentement général de tous les hommes, qui prouve l' exiſtence d' un Dieu. Ces Critiques imprudens ſoutenoient, qu' il y a des peuples tellement barbares, qu' ils n' ont point de Religion. Notre Philoſophe prétend au contraire, que plus ils ſont barbares, plus ils ſont portés à ſe faire une Religion. L' on n' exigera point de nous la conciliation &c.* = Acute iſta Bergierius. Attamen, ut verum fatear, in eo *bonus dormitat Homerus*, quod, nullos eſſe populos immaniter efferatus ſine ulla Religione, ſignificat. Nam, ſi de Americanis pluribus praecipue loquamur, non videtur id ita negari poſſe, ut fidem diligenti, & curioſo lectori tua faciat oratio. Itaque illud potius contra Atheos, & Atheorum hac in cauſa patronos, urgendum eſt: hujuſmodi gentes non omni prorſus Divinitatis cognitione carere; quamvis, ob inſignem barbariem, & impietatem, non eam religione ulla proſequi velint, ac dicere ſoleant, non quidem eſſe illam obſequiis indignam, ſed non praeſtolari hominum obſequia, ut iiſdem benefaciat, aut a malis inferendis abſtineat. Unica ratio eſt Cl. Bergierium hac in re defendendi, ſi forte nomine Religionis non certa quaedam obſequia, vel ritus, qui hominibus innoteſcant, intelligi voluerit, ſed admirationem illam cum levi ſaltem reverentia conjunctam, quam, ſi quis de Divinitate cogitet, non animo ſaltem aliquando concipere, vix poſſit. Hoc ſenſu videtur Juſtus Lipſius loqui, qui barbaris etiam, ac ſilveſtribus Americae populis aliquam religionem tribuit. At multo ſaepius nomine Religionis ea, de quibus diximus, publica obſequia venire ſolent, atque etiam debent.

CAPUT VII.

Potiſſimum argumentum oſtenditur, quod Humanum Genus ad agnoſcendam Divinitatem impulit, ac non modo Mirabodius, ſed & Diderotius confutatur, qui vim ejuſdem argumenti magna ex parte elevare videtur.

IN eo multus eſt Mirabodius, ut rationes exponat, quibus homines in fraudem iuducti commentitia Numina coeperunt aris imponere, ac multiplici ſuperſtitione venerari. Fatetur Bergierius, neque alii fateri dubitant, Mirabodium in ea re vel omnino, vel magna ſaltem ex parte non decipi. Sed in eo certe, bonis omnibus auctoribus, valde decipitur, quod, ut jam innuimus, prius commentitia Numina, quam unicum Deum, totius Naturae dominum, fuiſſe ab hominibus creditum, ſumat citius, quam probet. Deinde in eo etiam turpiter labitur, quod ad totum Humanum Genus confidenter extendat, quae nonnullarum tantummodo gentium fuiſſe, probare poteſt.

Sed ille craſſiſſimus eſt in re noſtra error, aut fraus, quod numquam inter falſorum Deorum cultum, & cognitionem Divinitatis, accurate diſtinguere videatur. Atqui ſunt eae duae res omnino diverſae; quod fuſius contra Baylium alio loco perſequemur. Nunc illud tantummodo volumus: aliis omnino rationibus Ethnicos fuiſſe ductos, cum Elementa venerari, cum Jovem Coeli Regem conſtituere, cum Junonem, aut Palladem, aut Mercurium, aut Bacchum, divinis honoribus proſequi coeperunt; aliis autem rationibus Humanum Genus omni aetate ſenſiſſe, Vim aliquam eſſe, Poteſtatemque divinam, quae ſumma intelligentia, ſummaque Naturae perfectione fruatur, & longe hominibus, ac reliquis rebus omnibus antecellat. Primum illud non ad Humanum Genus univerſum, ſed tantum ad gentes aliquas in Humano Genere comprehenſas pertinet. Itaque

que Mirabodio liceat, inſcientiam illarum, quantum vult, arguere, dummodo, multò majorem ſuam inſcientiam eſſe, aliquando meminerit. Alterum vero, quod eſt totius Humani Generis, multò validius eſt, quam ut mendaciis, & fraudibus labefactari poſſit.

Ut enim reliqua ſileam, argumentum profecto, quod a mira mundi pulchritudine, atque aptiſſimo partium ordine, tanta rerum varietate conjuncto, ducitur, nemini non ſatisfacit, qui modo ſimile hominis aliquid habere videatur. Hoc, inquam, argumentum (neque enim nunc de innata Dei cognitione diſputo, quae ſit, necne ſit, nihil in his libris definire neceſſe eſt): at ſi de argumentis loquamur, hoc certe, quod attigimus, & maximam, & nobiliſſimam Humani Generis partem Divinitati ſubdidit (*a*).

Caeterae ferme omnes rationes in media philoſophia poſitae, haud ſcio an vim tantam, ac robur fuiſſent habiturae. Nam primo quidem non omnes, qui veniunt, aut venire volunt in ſapientum numerum, ſinguli ſingula probant, quae contra proterviam Atheorum divina etiam ingenia protulerunt (*b*). Itaque facile fieri poſſet, ut plurimos

(*a*) Non poteſt hoc loco nobis opponi, quod aliqui, nobis auctoribus, Divinitatem eſſe non inficiati fuerint, etſi Deum Conditorem Mundi, vel ſaltem ipſius Mundi moderatorem fateri noluerunt. Hi quidem nobiliſſimum argumentum, de quo ſermo eſt, contempſerunt. Sed, ut omittam neteruntii quidem leviſſimorum hominum auctoritatem eſſe faciendam, ubi cum reliquo humano genere conferatur, primo quidem aliis rationibus eoſdem ipſa natura docere potuit, Divinitatem exiſtere: dum enim potiſſimum argumentum exponimus, quod natura ipſa ſuppeditat, ut Divinitatem agnoſcamus, non dicimus, nullam aliam eſſe rationem, qua veritatem eamdem nos ipſa natura doceat: deinde ſaepe contingere videmus, ut improbi praeſertim homines naturae vocem, qua parte nihil incommodum, aut difficile praecipiat, aut nunciet, non inviti agnoſcant, ſed eamdem, qua parte vitioſis ipſorum cupiditatibus obeſt, quantum quidem poſſunt, audire detrectent. Quare haud ſcio, an ſatis efficax ratio duci ab illorum inconſtantia poſſit, ut non cum ipſis etiam aliquid natura loqui exiſtimetur. Haec praecipue in Epicureis locum habent.

(*b*) Ut curioſo lectori geramus morem, non gravabimur, quod hic attigimus, quibuſdam doctorum hominum ſententiis, aut exemplis, breviter illuſtrare. Nam primo quidem

Car-

Digitized by Google

mos addubitare cogeret doctorum hominum his de rebus tanta diſſenſio; praeſertim cum, eſſe Deum, ſit ex iis ve-

ris

Cardinalis Alliacenſis, qui magnam inter Scholaſticos acuminis in diſputando famam aſſecutus eſt, negavit, ut auctor eſt Suareſius (*P. Suarez*) *Metaph. Diſp. XXIX. Sect.* 2. = *demonſtratam fuiſſe Dei exiſteutiam, aut demonſtrari poſſe* =. Deinde Gormaſius (*P. Gormaz*) ſubtilis pro tem orum illorum conditione philoſophus habitus, nec ineruditus, ea ſcripſit *Diſput. I. Sect.* 1. *n.* 19. = *Videmus vix ullam aſſiguatam eſſe huc uſque demonſtrationem metaphyſicam de Dei exiſtentia, quae pluribus, & magnis Doctoribus non diſpliceat.* = Idem clarius etiam profeſſi ſunt cum Zabarella Scholaſtici plures, in quos acrius, quam par eſt, Antonius Genuenſis (*in Elem. Metaph.*) invehitur. Erraverunt illi quidem, mea ſententia, nec leviter. Non tamen putarunt, quod ipſis Genuenſis tribuit, non poſſe, quod ſit Deus, lumine rationis oſtendi. Cenſuerunt ii tantummodo, non eſſe apta ſatis & evidentia quaedam e ſubtilioribus petita rationibus argumenta, quae philoſophorum ſunt maxime propria. Caeterum pii homines, & acuti, numquam dubitare viſi ſunt, quin = *Coeli enarrarent gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiaret Firmamentum* =; quem verſiculum quidem ipſe Voltaerius (*in Metaphyſ. Nevvton.*) aptiſſimum argumentum eſſe ſcripſit inter omnia, quibus, eſſe Deum, demonſtrare poſſimus. Quod pertinet ad recentiores, nemo fere ignorat, quantopere ſub hujus aetatis initium diſputatum fuerit inter celebriores philoſophos, de optima ratione demonſtrandi hominibus per argumenta Divinitatem. Nemo tamen negavit, inter eoſdem nisi philoſophi nomine non ſatis dignus aliquis auctor, ex mundi pulchritudine colligi, quod ſapientiſſimus artifex haec omnia molitus aliquando fuerit. Plerique ſcilicet argumentum prae caeteris improbarunt petitum *ab Idea Entis ſumme perfecti*. Cujus quidem argumenti auctor Carteſius vulgo exiſtimatur; ſed intelligendum eſt, apud antiquiores etiam Scholaſticos haud ita obſcura, vel implexa ratione propoſitum inveniri: ſunt autem ii Scholaſtici, Anteclus, Ægydius, Dionyſius Carthuſianus, Albertus Magnus, Liranus, Abulenſis, aliique. Nos hic idem argumentum clariſſimis ipſius Carteſii verbis proponemus, ut acutus lector videat, an credibile ſit, illo totum Humanum Genus potuiſſe capi, vel poſſe = *Animus meus*, inquit (*Princip. Phil. P. I. C.* 14.) *conſiderans inter diverſas ideas, quas apud ſe habet, unam eſſe Entis ſumme intelligentis, ſumme potentis, & ſumme perfecti, quae omnium longe praecipua eſt, agnoſcit in ipſa exiſtentiam non poſſibilem, & contingentem tantum, quemadmodum in ideis omnium aliarum rerum, quas diſtincte percipit, ſed omnino neceſſariam, & aeternam. Atqui ex eo, quod exempli gratia percipiat, in idea trianguli neceſſario contineri, tres ejus angulos aequales eſſe duobus rectis, plane ſibi perſuadet, triangulum tres angulos habere aequales duobus rectis: ita ex eo ſolo, quod percipiat exiſtentiam neceſſariam, & aeternam in Entis ſumme perfecti idea contineri, plane concludere debet, Ens*

ſum-

Digitized by Google

ris unum, quae flagitioſorum, hoc eſt non exiguae partis Humani Generis, mentes, animoſque concutiunt. Quare veritas haec, niſi Solis inſtar nolentium etiam in oculos incurreret, facile a pleriſque repudiaretur. Fieri enim videmus in hujuſmodi maxime rebus, ut

„ *Acclinis falſis animus meliora recuſet.*

Praeterea plerique homines publicae, vel domeſticae rei procuratione diſtenti, vel aliis impliciti curis, aut immanitate efferati, aut ingenii tarditate, craſſaque minerva impediti, aut molli demum, otioſaque ſegnitie diffluentes, liberales diſciplinas, quibus iſta continentur, ne ſummis quidem labiis attigerunt: ex quo fit, ut neque ſatis tam ſubtiliter inveſtigata percipiant, ſi forte audiant in Lycaeis, inter philoſophos, optimorum quoque copia verborum explicata.

At argumentum illud, de quo loquimur, tam clara in luce ab ipſa natura proponitur, ut nihil afferat ab hominum quoque vulgarium ſenſibus alienum, nihil ab imperitorum intelligentia, ſenſuque disjunctum. Nulla ſane eſt tam efferata barbaries, cui modo rationis lumen affulgeat, quae

ſumme perfectum exiſtere: Magiſque hoc credet, ſi attendat, nullius alterius rei ideam apud ſe inveniri, in qua eodem modo neceſſariam exiſtentiam contineri animadvertat. Ex hoc enim intelliget, iſtam ideam Entis ſumme perfecti non eſſe a ſe effictam, nec exhibere chimaericam quamdam, ſed veram, & immutabilem naturam, quaeque non poteſt non exiſtere, cum neceſſaria exiſtentia in ea contineatur ”. Haec celebris ea demonſtratio, quae non modo philoſophis, ſed & aliquibus Patribus, ut Auguſtino, & Anſelmo, placuiſſe dicitur; nunc vero temporis fere neglecta jacet. De illa, ſi plura cupis, vide Fabricium *Delect. arg. C. X. p.* 329. & Clarkium *To. I. de l'Exiſt. de Dieu C.* 4. Equidem eorum, qui demonſtrationem eam excogitarunt, aut adornarunt, ingenium non leviter admiror. At profecto me, ſi Atheus eſſem, non iſta convincerent.

Digitized by Google

quae dum porticum, dum templum, dum domum, vel urbem contemplatur, non ab artificibus mentis alicujus, atque conſilii illa omnia conſtructa putet. Sunt tamen ea & multo minus admirabilia, quam quae oculis quiſque ſuis intuetur quotidie opera naturae, & multo quidem faciliora. Quis ergo modo coelum ſuſpexerit, aut oculos in ipſam, quae noſtris obteritur pedibus, tellurem demiſerit, aliquam eſſe neget maxima ſapientia, parique potentia Mentem, quae tantis operibus, atque tam pulchris in ipſa natura praeſideat?

Itaque ſapienter, ac vere, ſi de argumentis inſtituatur ſermo, Plutarchus illa ſcripſit (*a*) = *Notionem Dei ſuggeſſit primum conſpecta eorum, quae in mundo inſunt, pulchritudo. Nihil enim pulchri temere, & fortuito naſcitur, ſed ab arte aliqua efficitur. Mundum pulchrum eſſe figura, color, magnitudo, & aſtrorum varietas arguunt* =. Et infra = *Id quoque nos ad Dei cognitionem deduxit, quod cum Sol, Luna, & reliquae Stellae infra terram deferuntur, eadem rurſus magnitudine, colore, locis, temporibuſque iiſdem oriuntur* = ac rurſus = *Homines enim coeperunt Deum agnoſcere, cum viderent Stellas tantam concinnitatem efficere, ac dies, noctesque, aeſtate, & hyeme, ſuos ſervare ſtatos ortus, atque obitus; indeque terram animalia, & fructus proferre* =.

Hinc & graviſſimi totius Graeciae philoſophi hoc idem argumentum tanti fecerunt, ut ad ipſum urgendum omnes tum ingenii ſui, tum etiam eloquentiae vires exerendas arbitrarentur. Quid enim potuit aut gravius in hanc rem, aut magnificentius dici, quam quae Libro X. de Legibus, atque aliis etiam in locis Deus ille philoſophorum habet, cui primas ex ſapientibus viris facile conceſſit antiquitas? Quid etiam nobilius, aut ſublimius afferri, quam quae tanti Viri diſcipulus ſcripſit, aureum orationis flumen fundens

 Ari-

(*a*) *De Plac. Philoſ. Lib. I. C. V. p. m.* 292. 293.

Ariſtoteles, cujus elegantiſſima verba Cicero haud ſcio an elegantioribus latinis verbis expreſſerit? (*a*)

Hanc

(*a*) = *Si eſſent*, inquit apud Ciceronem *de Nat. Deor. Lib. II. qui ſub terra ſemper habitaviſſent bonis, & illuſtribus domiciliis, quae eſſent ornata ſignis, atque picturis, inſtructaque rebus his omuibus, quibus abundaut hi, qui beati putautur, nec tamen exiſsent uuquam ſupra terram, accepiſſent autem fama, & auditione eſſe quoddam numen, & vim Deorum: deinde aliquo tempore patefactis terrae faucibus ex illis abditis ſedibus evadere in haec loca, quae uos incolimus, atque exire potuiſſent, quum repente terram, & maria, coelumque vidiſſent, nubiumque magnitudiuem, ventorumque vim cognoviſſent, aſpexiſſentque Solem, ejuſque cum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognoviſſent, quod is diem efficeret toto coelo luce diffuſa: quum autem terras nox opacaſſet, tum Coelum totum cernerent aſtris diſtinctum, & ornatum, Luuaeque lumiuum varietatem, cum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorumque omnium orsus, & occaſus, atque in omni aeternitate ratos, immutabileſque curſus: haec cum viderent, profecto & eſſe Deos, & haec tauta opera Deorum eſſe arbitrarentur* = Haec Ariſtoteles, qui Phyſicorum etiam VIII. noſtrum hoc argumentum exornat, atque urget. Neque vero audiendi ſunt, qui Stagiritem ajunt non haec ex animi ſui ſententia protuliſſe, verum ut imperitioribus fucum faceret. Hi non aliam tam ridiculae calumniae rationem afferunt, niſi quod Ariſtoteli Deus fuerit ingens tantummodo quidam Siſyphus, ea poena ſcilicet damnatus a Fatis, ut Coelum Supremum per totam aeternitatem incredibili celeritate contorqueat. Sed quanto fallantur opere, qui de Ariſtotele tam prave ſentiunt, is demum viderit, qui, partium omni ſtudio ſepoſito, ipſius libros attente legerit. Ex. gr. *Metaphyſ. XII. Summa II. C. III.* ita de ſupremo illo Motore diſſerit = *Degentia vero* (Vita), *qualis nobis pauco tempore, optima illi eſt. Siquidem ita ſemper illud eſt. Nobis autem profecto id impoſſibile eſt .... Ipſa vero intellectio ſecundum ſe ejus eſt, quod ſecundum ſe optimum eſt, & quae maxime eſt, ejus quod maxime eſt .... Si igitur ita beue ſe habet Deus ſemper, ut nos aliquando, admirabile eſt. Quod ſi magis, adhuc admirabilius eſt. At ita ſe habet. Caeterum vita quoque profecto inexiſtit* (*Deo*)*: ſiquidem intellectus operatio vita eſt. Ille vero eſt actus. Actus vero per ſe illius vita optima, & perpetua eſt. Dicimus itaque Deum ſempiternum, optimumque vivens eſſe Quare vita, & aevum coutiuuum, & aeternum Deo ineſt. Hoc enim eſt Deus. Quicumque vero, ut Pythagorici, & Pſeuſippus, putaut optimum, & pulcherrimum non eſſe in principio, eo quod plantarum quoque, ac animalium priucipia cauſae quidem ſuut, bonum vero & perfectum in his eſſe, quae ex his ſunt, non recte putaut. Semen namque ex aliis prioribus perfectis eſt. Neque ſemen primum eſt, ſed quod perfectum eſt .... Quod itaque*

eſt

Hanc eamdem viam iniverunt, cum, eſſe Deum, oſtendere cuperent Zenonis, Cleanthiſque diſcipuli, ac tota Stoicorum familia, quorum & idem Cicero, & Manilius, & Seneca tam multa in hanc rem & ſubtiliter excogitata, & acute dicta, & apte concluſa retulerunt, ut mirum ſit, quod ſaepe diximus, tam graves philoſophos in Atheorum

I i 2 ſo-

eſt quaedam aeterna, immobiliſque ſubſtantia, & a ſenſibilibus ſeparata, conſtat ex dictis. Oſtenſum autem eſt, quod nec ullam magnitudinem poſſibile eſt hanc ſubſtantiam habere, verum impartibilis, indiviſibiliſque eſt...... At vero quod & impaſſibilis, & inalterabilis eſt &c. = Jam qui ea de Natura Divina ſentit, profecto non ita male ſentit, ut, ſi quando ex Mundi pulchritudine Deum *optimum, ac pulcherrimum* eſſe colligat, non ex animo loqui dicendus omnino ſit. Quod ſi rerum, quae ſub Luna fiunt, perpetuam ſupremo Numini curam adimit Ariſtoteles, non inde ſequitur, ut nullo modo putaverit, ſingulas rerum ſpecies, quas minime neceſſarias habuerit, infinitae illius Mentis vi, ac deſcriptione fuiſſe aliquando, aut ſaltem ab aeterno, conſtitutas. Multo minus inde inferre licet, non in ea fuiſſe Ariſtotelem opinione, ut ab infinita ſupremi ſapientia Numinis caeterae Intelligentiae, quarum infimae terrenis, humaniſque rebus praeſint, occulta quadam ratione juventur. Denique, ſi non omnia, quae Ariſtoteles de Natura Divina dixit, inter ſe videntur ſatis apte poſſe cohaerere, non ideo ſtatim impietatis illius, qua major eſſe non poſſit, damnandus eſt; ſed & ejus acumen, & conſtantia deſideranda; & ii ſunt amice, ac leviter corripiendi, qui videntur, aut potius viſi ſunt, putare; non fuiſſe Ariſtotelem in ea ſententia comprehenſum, qua Philoſophos Ethnicos Apoſtolus *evanuiſſe in cogitationibus ſuis* graviſſime teſtatus eſt. Sed jam ipſa Ariſtotelis Graeca verba multo meliora, imo & clariora, quam Latina ſit interpretatio, percurramus = Διαγωγὴ δὲ ἐςιν (τῇ ἀρχῇ ἐξ ἧς ἤρτηται ὁ ὐρανὸς ϗ ἡ φύσις) οἵα τε ἡ ἀρίςη, μικρὸν χρόνον ἡμῖν. ὕτω γὰρ ἀεὶ ἐκεῖνο ἐςιν. ἡμῖν γὰρ ἀδύνατον.... ἡ δὲ νόησις ἡ καθ᾽ αὑτὴν, τῦ καθ᾽ αὑτὸ ἀρίςου. ϗ ἡ μάλιςα, τῦ μάλιςα.......... Εἰ οὖν ὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτὲ, ὁ Θεὸς ἀεὶ θαυμαςόν. εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον ἔχει δὲ ὧδε, ϗ ζωὴ δέ γε ὑπάρχει. ἡ γὰρ νῦ ἐνέργεια, ζωή. ἐκεῖνος δὲ ἡ ἐνέργεια. ἐνέργεια δὲ ἡ καθ᾽ αὑτὴν, ἐκείνυ ζωὴ ἀρίςη. καὶ ἀΐδιος. Φαμὲν δὲ τὸν Θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον, ἄριςον. ὥςε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ Θεῷ. τῦτο γὰρ ὁ Θεός. ὅσοι δὲ ὑπολαμβάνουσιν, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Σπεύσιππος, τὸ ἄριςον καὶ κάλλιςον μὴ ἐν ἀρχῇ εἶναι, διὰ τὸ καὶ τῶν φυτῶν καὶ τῶν ζώων τὰς ἀρχὰς αἴτια μὲν εἶναι, τὸ δὲ καλὸν καὶ τὸ τέλειον ἐν τοῖς ἐκ τύτων, ὐκ ὀρθῶς οἴονται τὸ γὰρ σπέρμα ἐξ ἑτέρων ἐςὶ προτέρων τελείων. καὶ τὸ πρῶτον οὐ σπέρμα ἐςιν, ἀλλὰ τὸ τέλειον.... . Ὅτι μὲν οὖν ἔςιν ὐσία τις ἀΐδιος, καὶ ἀκίνητος, καὶ κεχωρισμένη τῶν αἰσθητῶν, φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων. δέδεικται δὲ, καὶ ὅτι μέγεθος ὐδὲν ἐνδέχεται ἔχειν ταύτην τὴν ὐσίαν, ἀλλὰ ἀμερὴς καὶ ἀδιαίρετός ἐςι......, ἀλλὰ μὴν καὶ ὅτι ἀπαθὲς, καὶ ἀναλλοίωτον =.

ſocietatem a recentioribus quibuſdam ſcriptoribus potuiſſe compingi.

Manilii poëtae Stoici, & Stoicorum, ut diximus, ſententias exprimentis, verſus aliquos hic afferre ſufficiat. Etenim nos ille jubet advertere, in Aſtrorum ordine, & curſu

„ *certis quod legibus omnia parent;*
„ *Nuſquam turba nocet, nihil illis partibus errat*
„ *Latiùs, aut levius; mutatove ordine fertur.*
„ *Quid tam confuſum ſpecie, quid tam vice certum eſt?*
„ *Ac mihi tam praeſens ratio non ulla videtur,*
„ *Qua pateat, mundum divino numine verti,*
„ *Atque ipſum eſſe Deum, nec forte coiiſſe, Magiſter*
„ *Ut voluit credi, qui primus moenia mundi*
„ *Seminibus ſtruxit minimis, inquè illa reſolvit.*
„ *Ecquis enim maria, & ſtellas, & ſydera coeli,*
„ *Ætheraque immenſos fabricantem finibus orbes,*
„ *Solventemque alios, conſtare, & cuncta reverti*
„ *In ſua principia, & rerum mutare figuras:*
„ *Quis credat tantas operum ſine numine moles*
„ *Ex minimis, coecoque creatum foedere mundum,*
„ *Si fors iſta dedit nobis, fors ipſa gubernat?*
„ *At cur diſpoſitis vicibus conſurgere ſigna,*
„ *Et velut imperio praeſcriptos reddere curſus*
„ *Cernimus? &c.* (*a*)

Ipſe

(*a*) Hi Manilii verſus etiam oſtendunt, quantopere mentiti fuerint. Joannes Tolandus (*Orig. Iudaic. p.* 106.) & Antonius Collinius (*de Libert. Cogit. p.* 219.) ubi non alia illum, quam recentiores Pantheiſtas, Divinitatis, ac Providentiae hoſtes, ſcripſiſſe jactarunt. Neque tamen aſſentior Laurentio Bonincontrio Miniatenſi, qui anno 1484. commentarium edidit in Manilii carmina. Negat autem ipſum Manilio Mundum viſum eſſe Deum. Contrarium enim optime ſtatuit Jo. Laurent. Moshemius (*ad Cudw. C. IV.* §. 20. *&c.*) quem tamen ipſum non audio, ubi Manilium inter Spinoſae praeluſores numerat. Itaque Stoicus poëta Divinitatis, & intelligentis, & providae, & perfectae notionem ad Mundum ipſum deterſit; qui error diſtat, ut vidimus, ab Ἀθεότητος impietate.

Ipſe quidem Cicero ita hoc argumentum exornat, ut mea quidem ſententia ſit, caeteros ab illo, quod pertinet ad artem apte, diſtincte, ornateque dicendi, ſemper omnes, hic autem etiam ipſum a ſeſe ſuperatum. Videtur autem hoc argumentum non modo a Cicerone tamquam illorum proprium exornari, quorum ſententias, Academicorum more, ſuſcipit defendendas; at vim in ejuſdem animum omnino magnam habuiſſe. Multis hic praetermiſſis advertere ſufficiat, Ciceronem in extremo ſecundo *de Divinatione*, cum quid ipſe proprie de Religione, ac Divinitate ſentiret, pandere videretur, illa ſcripſiſſe = *Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) ſuperſtitione tollenda religio tollitur. Nam & majorum inſtituta tueri ſacris, caeremoniiſque retinendis ſapientis eſt: & eſſe praeſtantem aliquam, aeternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum coeleſtium cogit confiteri* =.

Sed & Philo Judaeus, & Dio Pruſaeenſis, eloquentiſſimi Viri multa in hanc rem ſcripſere praeclara, & Epictetus, & Simplicius, & Sextus Empiricus; & Proclus, caeterique Platonici, non levem in hoc argumenti genere tractando laudem adepti ſunt; ex quibus multa ſumit, ac recitat divinus ille Petavius (*a*), quem cum vel maxime aliquando laudare cupiam, quibus potiſſimum laudibus proſequar, ignoro.

Quis enim facile definiverit, utrum ab eruditione ſingulari magis ille celebrari debeat, qua reliquos aetate ſua fere omnes doctiſſimos Viros anteceſſit, an ab incredibili, divinaque ſapientia, qua tam feliciter inveteratae cujuſdam barbariae, ſcholas non ita paucas iis temporibus occupantis, immane jugum excuſſit? Vidit enim vir ille, vidit, quomodo ſpinoſum illud plurium Scholaſticorum acumen, & exile, ac verſatile diſputandi genus, optimorum Auctorum lectione, hiſtoriae, atque artis Criticae cognitione, etiam

(*a*) *Lib. I. Theologic. Dog. C. I.*

iam orationis nitore, ac dignitate quadam emendari, ac temperari oporteret.

Sed ex eodem Petavio diſcimus, non aliam fere, praeter hanc rationem, de qua loquimur, & quaerimus, *vulgi*, ut ipſe ait, *aptam judiciis*, a Chriſtianis Patribus, ac Philoſophis Saeculo VIII. antiquioribus uſurpatam fuiſſe. Rationes enim *e ſubtilioribus*, ut idem loquitur, *argumentis petitas* primus eo ſaeculo Joannes Damaſcenus induxit.

Jam vero & Auctores a Petavio relati, & Petavius ipſe, ut innumeros alios, optimos caeteroqui, Scriptores tacitus praetermittam, noſtrum hoc argumentum, a mundi pulchritudine, atque ordine ductum, ita verſant, atque pertractant, ut ingenio cuilibet non prorſus hebeti ſatisfacere poſſe videantur.

Ex his autem illud etiam ſatis, opinor, vides, candide lector; non levem impudentiam Diderotii fuiſſe, qui, non modo Epicureorum ſtultitiae quibuſdam in locis faviſſe viſus eſt doctis hominibus, quibus liceat de his rebus judicare, ſed ea etiam aperte ſcripſit (*a*), quae non mediocriter omnia, a nobis hactenus diſputata, labefactare poſſent. Narrat enim Newtonum, Niewentitium, Muſchenbroëkium, fuiſſe primos, qui Ἀθεότητα contra veterum, ſi ſuperis placet, philoſophorum ictus immobilem everterent: Argumenta porro, quae rem hanc conficiant, non ex metaphyſica ratione, ſed ex *Phyſica*, ut vocant, *experimentali*, quae tantum

(*a*) Is eſt infamis operis auctor, quod inſcribitur *Penſées Philoſophiques*. (§. 17. 18.) = *Ce n'eſt pas de la main du Metaphyſicien, que ſont partis les grands coups, que l'Athéiſme a reçu: Ce n'eſt que dans les ouvrages de Neuton, de Muſcembroek, de Nieuventit, qu'on a trouvé des preuves ſatisfaiſantes d'un Etre ſouverainement intelligent. Graces aux travaux de ces grands hommes, le monde n'eſt plus un Dieu: c'eſt une machine, qui à ſes poulies, ſes reſſorts, & ſes poids* = imo & diſerte ſcribit, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Baſilium, caeteroſque, cum Mundi machinam non cognoverint, ne Divinitatem quidem cognoviſſe. Vide de hoc libro, ejuſque Auctore *Diction. Antiphil. Art. Did.* Eadem habet etiam Diderotius in aliis libris contra Religionem conſcriptis; in eo praeſertim, cui titulum fecit *Lettres ſur les aveugles, & ſur les ſourds*.

tum illis Viris debeat, eſſe petenda, & alia in hanc rem ſine auctoritate, ſine doctrina, ſine lepore. Qui ita ſcribit, argumentum ex praeclaris naturae operibus, quae omnium ante oculos verſantur, a philoſophis omnibus non ita recentibus ductum nihili facit, & ſapientes illos, & totum Genus Humanum per tot ſaeculorum curſum, caſu potius, ut ita dicam, quam probe perſpecta ratione, nobiliſſimam veritatem aſſecutum fuiſſe putat.

Sed illud commode accidit, quod hujuſmodi ſcriptor temeritatem ſuam ita prodit, ut nihil in ejus auctoritate elevanda deſudandum ſit. Quis enim, niſi vocibus, quae facilius quidem certe, quam atomi Epicureae convenire poterant, ut ex calamo tam inepte ſcribentis exciderent; nulla enim ingenii vi, nullo ſapienti conſilio collectae videntur; quis, inquam, niſi hujuſmodi vocibus decipi ſeſe patiatur, hominem in hiſtoria philoſophiae prorſus hoſpitem, in ipſa vero philoſophiae ſcientia adeo rudem, ut, quid Metaphyſica ſit, prorſus ignoret (id enim ex iis, quae retulimus, aperte concluditur) vel unius teruntii faciendum eſſe arbitretur?

Quid autem tribus illis, quos diximus, praeſtantiſſimis hominibus ingratius potuiſſet accidere, quam per hujuſmodi nebulones tam injuſtis laudibus ſua nomina celebrari? Alexandrum quidem Magnum, veteres tradiderunt, nihil indignius, quam ejus generis laudes, ferre conſueviſſe. Itaque cum ei Graeculus neſcio quis libellum obtuliſſet, in quo plus aequo res ejus quaedam geſtae amplificabantur, quibuſdam quoque mendaciis admixtae, & Scriptoris temeritatem caſtigavit, & libellum in praeterfluentem aquam (erat enim in cymba) projecit, graviſſime pronuncians: tot ſe veras meruiſſe laudes, tamque praeclaras, ut commentitiis non indigeret.

Nemo quidem, niſi forte, in aliqua potius Arabum, quam Peripateticorum ſchola, nihil omnino dicere, quo tempore multa proferat verba, didicerit, nemo, inquam, ne-

gat,

gat, novam huic noſtro argumento lucem & a Triumviris illis, & a recentioribus aliis Scriptoribus allatam vel noſtra, vel patrum memoria fuiſſe (*a*). At nemo item cordatus homo negat, ſuam argumento ſtare vim, etiamſi ea tantum conſiderentur, quae videlicet, quemcumque patremfamilias ex aliquo circulo arripiamus, facile nobis percontantibus narrare poſſet.

Quis enim hunc hominem dixerit, qui, remota etiam ſubtilitate diſputandi, non poſſit diſtinctius mundi totius motus, converſioneſque contemplari, & aſtra illa, quae recte naturae totius totidem miracula dixeris, multum inter ſe altitudine, aut humilitate diſtantia, quorum tamen vagi motus rata ſemper, & certa ſui curſus ſpatia definiunt? Quis adeo ſit expers ingenii, ut non vehementi percellatur admiratione, cum Solem hunc tanta celeritate moveri, vertique videat, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute, & conſervatione rerum omnium?

Quid? aër hic, qui vitalem, ac ſalutarem ſpiritum praebet animantibus, ac modo huc, & illuc effluens ventos efficit, modo nubes, humoremque colligit augendis agris ne-

(*a*) Huc exemp. gr. ea optime faciunt, quae magnus ille philoſophus, aut potius recentiorum philoſophorum princeps Newtonus advertit *in Optica ad quaeſtion. 13. p. m. 345.* = *Dum Cometae moventur in orbibus valde excentricis, undique, & quoquo modo verſum in omnes partes coeli, utique nullo modo fieri potuit, ut caeco fato tribuendum ſit. Quod Planetae in orbibus concentricis motu conſimili ferantur omnes, tam miram univerſitatem in Planetarum ſyſtemate, neceſſario fatendum eſt, intelligentia, & conſilio fuiſſe effectam* = At rationes e Newtoniana doctrina ductas ad argumentum hoc noſtrum confirmandum nemo magis illuſtrat, quam praeſtantiſſimus Newtoni diſcipulus Samuel Clarkius, ubi *Ens neceſſarium* infinita ſapientia inſtructum eſſe demonſtrat (*Tom. I. de l' Exiſt. de Dieu*): quamvis & alii doctiſſimi recentiores non levia nobis ad Sapientiam divinam cognoſcendam praeſidia ſuppeditent. Neque vero nimis oratione exaggeratum illud videri debet, quod de praeſtantiſſimo Aſtronomo Caſſinio ſcripſit Fontanellius (*M. de Fontanelle Eloge de Caſſini Hiſt. de l' Acad. des Sciences T. IX.*) = *Les Cieux qui racontent la gloire de leur Createur n' en ont jamais plus parlé à perſonne qu' à lui, & n' ont jamais mieux perſuadé* =.

neceſſarium, modo frigoris, modo caloris facit varietates, tribuens aliud ſerendi tempus, aliud metendi, num parum admirationis habere ſolet?

Quid jam de Mari dicam, cujus ea eſt aequoris immenſitas, tanta gemmarum, atque unionum copia, tanta inſularum varietas, ac multitudo, tanta orarum amoenitas, tanta, atque tam pulchra partim ſubmerſarum, partim innantium, partim ad ſaxa inhaerentium genera belluarum!

Jam ſi, ut animis, ita oculis, totam ſimul intueri terram poſſemus, nulla eſſet inſatiabilior ſpecies, nulla pulchrior aſpectu, ut nulla eſt ad rationem, ſollertiamque praeſtantior. Neminem tamen etiam modo non cum admiratione delectant & herbae, quibus veſtiuntur, & fruges, quibus diteſcunt agri, tot alendis animantibus opportunae, & vites, quae novis pubeſcere incipiunt, ac luxuriari pampinis, pauloque poſt uvas fundunt ſalutari humore turgidulas, & poma, queis nihil tum uſu laetius, tum viſu pulchrius terra producit, & flores, quorum incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Quid de arboribus dicam, quarum aliae ſemper virent, aliae hyeme nudatae, verno tempore tepefactae frondeſcunt? Quid montes veſtitos, atque ſilveſtres, quid fluminum opportunitates enumerem? quid medicamentorum ſalutarium pleniſſimas terras? quid reconditas auri, argentique venas? quid caeterorum metallorum fodinas, infinitamque vim marmoris?

Jam vero nulla eſt dicendi tanta vis, tantaque copia, ut ſatis animantium varietatem, ac pulchritudinem exprimat, quorum incolumitati ſervit, & commodis ipſa tellus, dum viciſſim tellurem ipſa non ſinunt aut ſitu ſterilem ubique ſqualleſcere, aut ſtirpium aſperitate vaſtari. In ipſis enim animantibus, quae magis deſpiciuntur, quam ſollers eſt, ſubtiliſque tum ad uſum, tum ad venuſtatem deſcriptio partium, quam admirabilis omnium fabrica membrorum! Omnia enim, quae aut intus incluſa ſunt, aut exterius apparent, ita nata, atque locata ſunt, ut, ſi quis aliquid cor-

rigere velit, aut deterius ſit facturus, aut id profecto deſideraturus, quod nulla fieri ſatis apta ratione poſſit.

Nihil hic de divino animali dicam, cujus ea eſt membrorum compoſitio, ea lineamentorum conformatio, ea dignitas oris, atque majeſtas, ut nihil cum ejus pulchritudine, ac perfectione poſſit ex tota rerum natura comparari. Multo enim plus admirationis Animus ille habere debet, atque illa Mens tam ſagax, atque tam prudens, ut ignoſcendum aliqua ratione videatur Antiquis, qui decerptam ex ipſa Mente divina putaverunt.

Haec, inquam, omnia, & quae ſunt his etiam plura naturae opera, omnium admirationi, atque omnium oculis expoſita, de Vi, ac Sapientia Supremi cujuſdam Numinis tam clare, tamque perſpicue Mortales admonent, ut nemo, etiamſi velit, ex animo negare facile poſſit, a perfectiſſima fuiſſe hominibus proviſum, praeſtantiſſimaque Natura.

Stultus igitur Diderotius (liceat enim homines, qui nulla piorum Virorum, nulla Religionis, nulla ipſius Chriſti Domini reverentia ducuntur, ſuis aliquando nominibus appellare) ſtultus, inquam, ille, qui non potuiſſe homines ante Newtonum, Niewentitium, & Muſchenbroëkium divinam ſatis cognoſcere ſapientiam, ſignificavit. At multo ſtultior, imo & mendax Mirabodius, & impius, qui rerum naturalium inſcientiae, qua homines univerſi tenerentur, Divinitatis cognitionem, tamquam certiſſimae cauſae, tribuere non erubuit. In quem illa verba Auguſtini optime cadunt (a) = *Unde ſcio, cujus animam non video? Reſpondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte ex operibus corporis agnoſcis viventem, ex operibus creaturae non potes agnoſcere Creatorem?* =

Et argumentum quidem hoc noſtrum ad metaphyſicam rationem revocari facile poteſt. Quamquam autem id alio etiam in loco non ita leviter, aut curſim ipſi praeſtitimus, utile tamen his temporibus erit, neque prorſus injucundum, di-

(a) *In Pſ.* 73.

diverſis eamdem veritatem modis proponere, ac novis etiam rationibus confirmare.

Nam primo quidem, non eſſe Mundum ab Atomis fortuito motu concurſantibus, ut altera alteram apprehenderet, haec etiam ratio declarat. Id eſſe non poteſt, quod notiones involvit duas omnino contrarias, atque inter ſe pugnantes. At enim mundus a caſu factus duas hujuſmodi notiones involvit. Non poteſt igitur dici mundus a caſu factus.

Etenim Mundi notio clara, quantum ſat eſt, atque evidens, rei notio eſt, quae maximum habeat ordinem, ac pulchritudinem: quoniam aptis, & accomodatis locis ita maxima quaeque in mundo corpora definiuntur, ita etiam in ſuo genere minima quaeque elaborantur, ut, ſalvis Naturae legibus, quas ad perfectionem ipſius Univerſi vel maxime facere videmus, nihil melius excogitari poſſit, nihil aut uſu, aut forma praeſtantius.

At Caſus notio rei eſt, ſi tamen rei, quae ſuapte natura ordinem quemvis excludat. Ea enim cauſarum, quae dicuntur fortuito operari, natura eſt, & ingenium, ut non eaſdem ſemper ineant agendi rationes, neque conſtantem teneant modum, ac minime perturbatum. Hinc fieri videmus, ut, ſi quando cum machinatione quadam certa, atque conſtanti moveri aliquod opus, homines etiam pingui minerva conſpiciant, ut Sphoeram, ut Horarium, ut alia ejuſdem generis, non dubitent, quin ars adhibita fuerit, quae ſaltem tanta ſit, quanta eſt illius operis abſolutio, atque perfectio.

Quare ſapienter illa quidem certe Quintus Tullius Cicero pronunciavit (a) = *Ita ne vero quidquam poteſt caſu eſſe factum, quod omnes habet in ſe numeros veritatis? Quatuor tali jacti caſu venereum efficiunt. Num etiam centum venereos, ſi* 400. *talos jeceris, caſu futuros putas? Aſperſa temere pigmenta in tabula oris lineamenta efficere poſſunt. Num etiam Veneris Coae pul-*

(a) Apud Marcum Fratrem *de Divin. I.*

pulchritudinem effici poſſe aſperſione fortuita putas? Sus roſtro ſi humi A litteram impreſſerit, num propterea ſuſpicari poteris, Andromacham Ennii ab ea poſſe deſcribi? Fingebat Carneades in Chiorum lapicidinis, ſaxo diffiſſo, caput extitiſſe Paniſci: Credo aliquam non diſſimilem figuram, ſed certe non talem, ut eam factam a Scopa diceres. Sic enim ſe profecto res habet, ut numquam perfecte veritatem caſus imitetur =.

Praeterea poſſumus hic rationem urgere, petitam *a ſtatu corporum*, quam rationem & contra Atheos, ut Deum eſſe oſtenderet, poſt Anaxagoram, Socratem, atque Platonem, tota urgebat antiquitas, & contra Spinoſam, ut *Ens neceſſarium* libera voluntate praeditum eſſe concluderet, ut alios recentiores omittam, Samuel Clarkius egregie promovit, imo & Peripatetici plures non leviter attigerunt. Is enim eſt *corporum ſtatus*, qui modo in natura obtinet, ut alius omnino eſſe potuerit.

Ut id oſtendatur, ad ſenſum intimum libertatis, quem habent homines, ut corporum ſtatum immutare poſſint, confugere nihil neceſſe eſt; praeſertim cum non pauca poſſint contra libertatem, faventibus non modo Hobbeſio aliquo, aut Collinio, ſed & Stoicis, & Nationibus pluribus, profecto non rudibus, Athei reponere, quae vim argumenti, ſin minus infringant, aliqua tamen ex parte retundant.

At enim clara notio, atque diſtincta docet, & corpus hoc noſtrum alium omnino ſtatum habere potuiſſe, & idem de corporibus caeteris eſt intelligendum, quae talem, ac tantam magnitudinem, figuram, formam, aut ſitum, aut quietem, aut motum, aut alia ſimilia ſervant. Qui enim dubitare non potes, quin ſingula corpora non poſſint natura ſua pluribus eodem tempore in locis eſſe, aut plura ſimul eadem ſpatii parte natura ſua circumſcribi? Quia ſcilicet, quam animo conceptam geris, corporis notio cum notionibus proprietatum illarum, quae naturaliter eidem ineſſe dicantur, nullo modo componi poteſt. Atqui eadem notio perſuadet, has eaſdem poſſe particulas materiae ſervari,

vari, etſi quod componunt corpus aut conſtringatur, aut relaxetur, aut in quiete detineatur, aut agitetur motu, aut aliarum particularum acceſſio, aut plurium quoque avulſio, ac diſtractio fiat.

Jam ergo, cum nihil ſine ratione ſufficiente eſſe poſſit, cauſa quaedam ſit, oportet, ab hoc ſtatu corporum, & ab ipſa corporum natura omnino diverſa, quae, ut ut materia non creata exiſtimetur, hunc ſaltem *corporum ſtatum* induxerit.

Ridiculum hic illud eſt Spinoſae effugium = *Corpus motum*, inquit (*a*), *vel quieſcens, ad motum, vel quietem, determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum, vel quietem, determinatum fuit ab alio, & illud iterum ab alio, & ſic in infinitum* =.

Multa hic Metaphyſici dicunt, ſubtiles homines in diſputando, & graves, ut, Spinoſae rationes, non autem noſtras (quod Phariſaeus ille moliebatur) exitum reperire non poſſe, oſtendant. At nobis potiſſimum illud argumentum, de quo jamdiu agimus, tenere ſufficiat. Etenim ſatis, & plus quam ſatis, illud argumentum tum ſeſe ipſum, tum optimam cauſam noſtram tueri poteſt.

Quaecumque cauſa dicatur eſſe ſtatus omnium corporum, ea certe maxime ſapiens, maximeque potens dicenda eſt. Nam ſtatus hic omnium corporum opus eſt & immenſae magnitudinis, ac difficultatis, & maximae pulchritudinis, atque ordinis. At enim ex operis difficultate, ac pulchritudine, Cauſae ipſius potentia, ſimulque ars, & ſapientia colligi neceſſario debet. Id profecto & ipſi adverſarii quotidie faciunt, cum templa vident, aut theatra, aut domos,

aut

(*a*) *Ethicae P. II. Prop. XIII. Lem.* 3. Eodem effugio doctrinam ſuam de animi, quem putat ex materia coaleſcere, motibus rueri ſe poſſe, opinatus eſt Etenim *Eth. P. II. Prop. XLVIII.* = *Mens*, inquit, *ad hoc vel illud determinatur a cauſa, quae etiam ab alia determinata eſt, & haec iterum ab alia, & ſic in infinitum* = Eadem *P. I. Eth Prop. XXXII.* ſcripſerat de iis, quas *volitiones* appellat,

aut minus etiam aliquod opus affabre elaboratum. Cauſa igitur, quae Statum hunc omnium corporum induxit, & maxima potentia, & pari ſapientia inſtruitur. Jam, ſi haec duo conſtent, ipſi Athei ſeſe manus daturos eſſe pollicentur, ac reliqua Dei Attributa ſtatim agnituros, quae ſcientia, & cognitione comprehendere poſſimus.

Hic, antequam ad reliqua tranſeamus hujus libri maxime propria, liceat alia ratione noſtrum hoc idem argumentum proponere, quae ratio mihi, ut ingenue fatear, magis, quam alia quaevis in hac diſputatione probatur. Quod natura docet, ac demonſtrat, ut verum, nemo negare poſſit, quin prudens, ac ſciens in amentium numerum venire velit. Jam, ſi naturam audimus, de hac veritate dubii eſſe non poſſumus, quod videlicet opera mirae cujuſdam perfectionis, ac pulchritudinis, praeſertim ſi plurima ſint, & ad id, quod ſapientiſſima mens, ut finem, ſpectare poſſit, optime facientia, ſint opera mentis, tanta ſaltem ſapientia praeditae (idem de potentia) quanta operum eorumdem perfectioni reſpondeat. Hoc, inquam, ἀξιώμα, ſeu pronunciatum eodem naturae lumine illuſtratum nobis apparet, quo prima illa cognitionum principia, ***Totum eſt ſua parte majus***, ***Quodlibet eſt, vel non eſt***, & caetera hujuſmodi, de quibus ne Pyrrhonem quidem ipſum ex animo dubitare unquam potuiſſe, cenſeo. Non igitur illud ἀξιώμα nobis demonſtrandum eſt, verum hoc ipſum eſt oſtendendum, a nemine ſanae mentis in dubium ex animo vocari.

Oſtenditur autem quotidianis exemplis, iiſdemque clariſſimis. Etenim quis, etiamſi maxime cupiat, dubitare poſſit, an Vaticanum Divi Petri Templum, an reliqua Urbis miracula, an pontes, ac viae, pulcherrima aedificia, & picturae, & ſtatuae, quibus Florentia diſtinguitur, a ſapientiſſimis, ac prudentiſſimis artificibus fuerint elaboratae?

Neque eſt, cur Mirabodius opponat, nos, haec ab hominibus tantum facta eſſe, arbitrari, quod ab hominibus tantum ſimilia opera fieri viderimus. Nam & multa ſunt, quae

quae tantum per homines fieri, quotidie videmus, neque tamen, ſi graviſſimi quidam viri, aliqua in regione nobis adhuc incognita omnino aliis e cauſis prodire, nunciaverint, ut rem prorſus incredibilem negaturi ſimus. Exemplum habeo in hac eadem charta, quam oculis luſtras, humana ſcilicet induſtria fabricata, quam tamen in aliqua Indiae parte vel ex arboribus enucleari, vel alia ratione a natura productam in humanos uſus converti, non id eſſet, dummodo plurimi teſtes nunciarent, quod fidem omnem ſuperare videretur.

Nemo tamen eſſet adeo vecors, ut plurimis etiam teſtibus nunciantibus credere vellet, in Aſiae, vel Americae remota quadam regione, cum lapidibus aliquando pluiſſet, aut e terra ipſi lapides erupiſſent, temeraria eorumdem concurſatione porticus extitiſſe, vel theatra, vel templa, vel aedes, ex quibus pulcherrima quaedam urbs, omnibus partibus abſoluta, conſurgeret. Quid ita? Num de theatris, aut templis, aut aedibus, ipſa tecum diſtinctius, & clarius natura loquitur, ut ea omnia ſcias a cauſa temere agente, vel caeca naturae neceſſitate non potuiſſe produci? Minime vero. Etenim de paucis tantum aliquibus veris & clare, & diſtincte natura loquitur, quae ſint reliquarum cognitionum ſemina quaedam, atque principia, & ad quae deinde plurima ſagaci conſilio referre poſſis, aut ſenſuum ope collecta, aut ſapienti rectae rationis uſu, ſtudioque comparata. Dicamus igitur, te a natura ipſa doceri, quod poſuimus: *Opera mirae cujuſdam perfectionis, atque ordinis, praeſertim ſi plurima ſint in eumdem finem, ut videtur, conſpirantia, non poſſe niſi a ſapientiſſima cauſa originem ducere* (*a*).

Id

(*a*) Non modo Buffierius eam propoſitionem eſſe per ſe notam optimis rationibus evincit in ſuis Metaphyſicae Elementis, ſed & eamdem, ut propoſitionem per ſe notam, vel Ethnici, vel Chriſtiani Scriptores ſumere videntur. Non enim illam tam argumentis probant, quam exemplis declarant, a quotidiana experientia petitis, & eos, qui repugnent, aut contemnendos, ut ſtultos, aut non audiendos, ut mendaces,

Id vero ſi conſtat, facile omnia, & quaſi ſponte, ſequuntur, quae contra Mirabodium, ac reliquos impios ſunt urgenda vel maxime. Etenim, quae illi opponunt, ut pulcherrimi ejuſdem argumenti vim elidant, vel adoleſcentes facile ſolvunt in liberaliſſimis Metaphyſicae ſtudiis tantiſper exercitati. Cum enim nihil ipſe Mirabodius reconditum attulerit, nihil ſociorum ſuorum expectatione dignum, nihil denique novum, praeter illud tartarei furoris genus, quo aperta fronte, & intolerabili horrendorum verborum atrocitate, ipſam in ampliſſimo fulgentem naturae ſolio Divinitatem aggreditur, in optimis quibuſque Metaphyſicorum libris arma reperies, quibus immanem illam proterviam vulneres, atque conficias.

Nobis autem jam vela orationis contrahenda ſunt, ut de rationibus aliis dicamus, quibus ab adverſariis totius Humani Generis excipi poteſt auctoritas. Etenim, quae diximus hactenus, eo tantum diximus, ut, non poſſe Generis Humani Conſenſum rerum naturalium inſcientiae, tamquam cauſae, tribui, magis etiam, quam neceſſe fuiſſet, aperta, & accurata oratione demonſtraremus.

CA-

ces, iiſdem exemplis oſtendunt. Ipſe S. Thomas, qui tam ſubtiliter difficilia quaeque rimatur, atque perſequitur, argumentum a mundi ordine ductum ita proponit, ut propoſitionem eam ipſam non probet, ſed ex ea probet, quod probandum erat. Ait enim (*Lib. I. contra Gentes*) = *Impoſſibile eſt aliqua contraria, & diſſonantia in ordinem concordare, niſi alicujus gubernatione, ex qua ſingulis tribuitur, ut ad certum finem tendant: ſed in mundo videmus res naturarum diverſarum in unum ordinem concordare: ergo oportet eſſe aliquod, cujus ſapientia mundus ſit, & gubernetur, & hoc dicimus Deum* =.

CAPUT VIII.

Ridicula quaedam argumenta Baylii confutantur: ea praeſertim, queis vult efficere, non audiendam eſſe Naturam, etiamſi Divinitatem exiſtere doceat.

QUoniam Mirabodio Baylius & ingenii acumine praeſtitit, & varietate doctrinae, Generis Humani auctoritatem argumentis petere potuit & ſubtilioribus, & in ſpeciem quidem aliquanto firmioribus. Sed hic maxime illud eſt Saurini dictum, quod alio loco attulimus, in memoriam revocandum: Baylium hunc ipſum non raro argumenta proferre, quae vix Dialecticae, vel Artis Criticae tirones excidere ſibi paterentur. Quod vitium quidem in diſputando graviſſimum non tam, optima veritatis inveniendae facultate caruiſſe, ut quidam concludunt, quam, ut ego ſaepius adverti, veritatis ejuſdem occulendae veſano ſtudio celebrem Sophiſtam flagraviſſe, demonſtrat. Hujus generis argumenta quaedam hoc toto capite perſequemur, fuſius de aliis quibuſdam, poſtea dicturi. Omnia enim accuratius refutare, cum ex iis, quae ponimus in his libris, atque probamus, facillime ſolvantur, nihil neceſſe eſt.

Velut quod ait, Generis Humani communem, concordemque ſententiam naturali cuidam deſidiae poſſe tribui, qua homines univerſi langueant (*a*), iiſdem fere argumentis

(*a*) *Répons. aux Queſtions &c.* C. CIII. *p.* 708. = *J'avoüe*, inquit, *qu'il (l'homme) n'adhere jamais à l'erreur, que lors qu'elle eſt revetüe des aparences de la vérité; mais comme les objets, qui n'ont que ces aparences, ſont dificiles à diſcerner des ceux, qui ſont réellement vrais, la pareſse le détermine à ſe contenter des premiers fantômes, qu'on lui préſente, & comme les fantômes ſont innombrables, au lieu que la vérité eſt unique, il nous eſt bien plus aiſé d'en trouver quelcun, que de la trouver elle même &c.* = Haec ille, inter caetera, ut argumentum ſolvat ex eo ductum, quod vera illa neceſſario ſint, quae vera univerſis hominibus eſſe videntur.

refutatur, quibus Mirabodii communem inſcientiam accuſantis furor irretitus eſt.

Quamquam haud equidem ſcio, an majorem Humano Generi Baylius injuriam inflixerit. Etenim non modo graviſſima rerum quoque faciliorum ignorantia laborare ſignificavit, ſed inſtar oſcitantis hominis eſſe voluit, qui patefactis, ut ita dicam, animi foribus volitantia quaeque falſarum rerum ſimulacra in illum invadere, quemque fortuna det, in eodem occupare locum, prae incredibili quadam ſegnitie ſinat.

Hic equidem a Baylio ſciſcitari velim, an ea ratione ipſe ſe gereret, cum accuratum ipſi judicium de graviſſimis rebus ferendum eſſet, vel tot exarandi libri, in quibus impietas cum elegantia, ſi fas eſt ita loqui, doctrinaeque varietas cum Dialecticae, atque Artis Criticae contemptu certare ſaepenumero videatur? Nam, ſi Baylius ipſe non ita ſe gerebat (erat enim & acutus, & ſagax, & doctrina excultus) quanto minus credibile cuilibet erit cordato viro, tantam inertiam, & ignaviam omnium hominum animos occupare potuiſſe! Nam & plurima ſemper fuerunt, hodieque ſunt hominum millia, quae nihil magis, quam accurata veri delectet inveſtigatio, quaeque nullum laborem fugere ſoleant, tum ut abſurdas opiniones ex hominum animis convellere, tum ut communes errores ipſi detegere, aliquando poſſint.

Quod ſi Baylius ipſe, non ſatis diligenter prae deſidia, etiam cum haec tam praeclara ſcriberet, omnia ſeſe conſideraviſſe dicat, quae conſideranda erant, ipſi fidem habere, haud equidem recuſabo. Inurbanum enim, & agreſte quiddam eſſe cenſent, hac aurea ſcilicet aetate, plures e Voltaerii, aut Ruſſoji ſchola politi, ſi mendacii ſaepenumero tam graves Auctores arguas. His tantum auctoribus parcendum eſt, ſi, dum Chriſtianam Religionem perdere conantur, Jeſum Nazarenum fuiſſe mendaci quolibet homine mendaciorem, eadem opera demonſtrare moliuntur. Sed jam viderit ipſe Baylius, quid homines de argumentis, imo &

& libris, ſtatuere debeant, quos negligenter, & oſcitanter fuiſſe conſcriptos, ipſe auctor ex animo fateatur.

Mihi quidem illud omnino verum ſaepe videri ſolet; Baylium ipſum in hac tota controverſia nullum fere argumentorum, aut rationum habuiſſe delectum, ſed obvias quaſque complexum, omnibus indiſcriminatim uti voluiſſe. Sperabat enim fortaſſe, rationes aliquas doctis etiam hominibus, acutiſque placituras: at plurimas indoctis, qui ſibi ipſi docti videntur, ideſt pleriſque lectoribus, probatum iri.

At enim, his omiſſis, quale tandem illud eſt, magna optimorum verborum copia declarare, quam difficile ſit, inter ea, quae ſunt a natura, & inter ea, quae ſunt a conſuetudine, puerilique diſciplina, diſtinguere? Hinc Baylius effici judicat (*a*), non eſſe hominibus etiam univerſis credendum, ubi conſenſu quamvis unanimi aliquid recipiunt, verumque putant (*b*).

 Sed

(*a*) *Continuat. des Penſées &c. §. XVII. a p. m.* 62. fuſiſſime.

(*b*) Hoc idem argumentum propoſuerat Samuel Parckerus Anglicanus Epiſcopus, qui (*Diſp. VI. de Deo, & Provid. Divina Sect.* 17.) rationem a Generis Humani Conſenſu ductam ad oſtendendum, quod Deus exiſtat, ante Baylium oppugnavit. Nos autem ideo contra Parckerum ipſum plura non ſcribimus, quod & pauca quaedam attulerit, neque admodum confutatione digna, & ea ipſa vehementius Baylius noſter promoverit, hoſtis profecto tam acer, ut vere de ipſo Virgilianum illud praedicare poſſimus:

„ *ſi Pergama dextra*
„ *Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.*

Quod autem Parckerus ait, ab hoc argumenti genere ſe praecipue abhorrere, quia tantopere illo Epicurei utebantur, veri ſcilicet Athei, ac dicis gratia Deum relinquentes, vitia quaedam indicat ipſius Parckeri, fortaſſe non ita levia. Incredibile enim eſt, quantum doctus ille Proteſtans in diſputando voluntati tribuat, ac ſuſpicioni. Haec quidem in Parckeri operibus non ita raro animadvertas. Sed hic alterum illud prodit, cum probare non vult, quod inimicis, ut ipſe putat, Divinitatis probatum eſt, aut certe ad ſe defendendos adhibitum. Alterum vero prodit, cum non vult ulla ratione in animum inducere, gregem Epicuri ex animo ſtatuiſſe, aliquam ſummis honoribus dignam exiſtere Divinitatem. Etſi enim Epicureos hac in re mendaces fuiſſe, probare non poteſt, ipſe tamen fuiſſe ſuſpicatur. Confecta res eſt. Mendaces illi fuerunt, atque Atheis adnumerandi. Hujuſmodi Scriptores fuſius convincere nihil neceſſe eſt.

Sed facillima eſt animadverſio, in multis quidem illud eſſe difficile, non autem in omnibus. Nam Baylius etiam ipſe multa multis in locis profert, quae non a conſuetudine, aut inſtitutione, ſed ab ipſa natura profluere, non modo ſumit, ſed & argumentis efficit. Jam ergo ipſi probandum eſſet, caeteris omiſſis, in quibus multus eſt, ſuſpicionem Divinitatis inter ea poſſe numerari, quae non a natura, ſed a conſuetudine univerſae gentes hauſerunt. At id ne leviter quidem probat. Nos autem contra probamus, conſuetudinem ipſam colendi aliquam aliquo modo Divinitatem non poſſe, niſi ab ipſius naturae inſtinctu manare. Non enim ſola hominum inſtitutio eam vim habere potuiſſet, ut temporibus, ac locis omnibus, in tanta morum, & opinionum varietate, vigeret, cum tot, atque tam graves a majoribus traditas conſuetudines, etiam poſt plures aetates, poſteri, vel ſapientiores, vel etiam ſtultiores effecti, facile repudiaverint.

Alio in loco (*a*) Baylius ipſe advertit, Scriptores, de quorum fide nemo dubitat, per veriſimiles conjecturas inquirere, quaenam *Idololatriae* fuerit origo. Putant igitur, inquit, hoc opus ab arte eſſe repetendum. Quid inde confici poſſit, profecto non video. At illud conficiendum erat; ab arte, vel fraude Regum, aut Legumlatorum inſtitutione Divinitatis opinionem repeti oportere. Ecquid ratione magis inepta concludi potuit? Etenim aliud eſt, putare *Idola* Ethnicorum eſſe colenda, aliud, praepotentem exiſtere Divinitatem. Neque haec altera Conſenſu Generis Humani firmata ſententia debet ab hominum aliqua fraude duci, quod ille cultus ab hominum non levi fraude manaverit.

Non minus in Artem Criticam, ac Dialecticam Baylius ipſe peccat, ubi ait (*b*), in *circulum*, quem Logici vocant, *vitioſum* incidere, quotquot illud argumentum inſtituunt:

Quae

(*a*) *Contin. des Penſées &c. §. XVIII. p. 64.*

(*b*) *Contin. des Penſées &c. §. XXIV. p. m. 108.*

Quae natura docet, ea omnes populi vera eſſe conſentiunt: Hujuſmodi conſenſus eſt evidentiae ſignum: At evidentia veritatis: Vera ſunt igitur, quae natura docet. Singula quidem hujus argumenti pronunciata propriis, ac ſuis rationibus oſtendi poſſunt, ac ſolent. Quare non video, cur in *circulum vitioſum*, qui tale argumentum proponat, incidere dicendus ſit. Norunt enim pueri, qui Logicae praecepta primoribus, ut ajunt, labiis attigerint, tum *circulum vitioſum* fieri, quando, ut aliquid probetur, hoc ipſum ſumitur, quod probandum erat, ut, quamvis multis contexta verbis, ſemper tamen in ſe ipſa tortuoſo quodam gyro redire videatur oratio. Nihil tale in argumento propoſito animadvertimus.

Etenim, ſi Pyrrhonici fallacibus quibuſdam concluſiunculis ea vera eſſe negent, quae natura docet, opportune corripiuntur, quod, cum illis iiſdem documentis omnes homines aſſentiantur, non poſſunt niſi evidentia dici. Nam ſi evidentia non eſſent, homines, qui aut ſtudio novitatis, aut amore gloriae, aut invidentia, vel odio, aut aliis innumeris de cauſis, facillime in oppoſitas abeunt, diſcrepanteſque ſententias, neutiquam tanto conſenſu iiſdem documentis aures praebuiſſent. Jam vero, quae ab ipſa evidentia commendantur, ſiquidem ea ſit evidentia, cui nihil ex iis deſit, quae Logici requirunt, eadem vera ſtatuenda ſunt. Id ſi quis neget, poterit utique vel ipſius naturae admonitione convinci. Sed contra eos, qui naturam audiendam non eſſe clamaverint, nemo adhuc, opinor, ſtatim ad iſta confugit. Fingit ergo Baylius hoſtem, quem feriat.

Qui contra Pyrrhonicos diſputat, citius oſtendit, ſi, quae ſunt prorſus evidentia, non eadem vera ponantur, omnè non modo ſenſuum, ſed & rationis ſublatum iri judicium, ac nihil jam animo reputari, nihil definiri poſſe, imo nec dici, cum nulla ratio, niſi valde inepta, jam eſſe queat, quamobrem hoc potius, quam illud, eſſe, aut etiam videri, dicamus. Nam ſi de iis eſt dubitandum, quae omni

ex

ex parte evidentia nobis apparent, quavis ex parte omnis animi aſſenſio cohibenda erit, ac porro dubitandum, videatur nec ne verum, quod, nobis videri, verum videtur. Ita fiet, ut Pyrrhonicus, ſi conſtare ſibi velit, & non illius, quamvis inviti, evidentiae ipſo lumine interdum feriatur animus, nihil vel ipſe ſecum, vel cum aliis loqui jam poſſit, atque adeo ſit inter pecudes potius, quam inter homines, numerandus. = *Hoc enim uno* ut apud Ciceronem Craſſus ajebat, *praeſtamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, quodque exprimere dicendo ſenſa poſſumus.* = Quae cum ita ſint, in illo argumento, quod Baylius carpit, nihil eſt, quod in *circulum vitioſum* tantopere, Dialecticis auctoribus, formidandum inducat.

Illud etiam ex dictis intelligis: magis inſaniviſſe, quam poëtam deceret, eum, cujus verſus ita Baylius in ſpeciem reprehendit, ut magnopere tamen probare videatur (*a*). Canit autem

„ *Quid dicam miſerum me agere, & quam ducere vitam,*
„ *Irrequietum animi, & quaerentem indagine vana*
„ *Naturam ſemper fugientem, quae ſe ubi paulum*
„ *Oſtendit mihi, mox facies in mille repente,*
„ *Ceu Proteus, converſa ſequentem eludit, & angit*
„ *Moerentem ſeniique horas, caſſumque laborem?*
„ *Nuper enim tenues ſpecies, ſimulacraque rerum,*
„ *Quae fluere ex ipſis dicuntur, perque meare,*
„ *Omnia dum ſector meditans, tacituſque requiro*
„ *Avia ſilvarum, & ſecreta ſilentia ſolus,*
„ *Cognovi tamen his ſpectris illudier ipſis;*
„ *Ut ſenſus feriant noſtros, ſemperque laceſſant,*
„ *Perque fores, cauſaſque animae vadantque, meentque,*
„ *Ac*

(*a*) Refert ea Baylius *Réponſe &c.* *Cap. CI. p.* 705. ex Carminibus Fracaſtorii *edit. Genev. an.* 1637., & ex iis poëtam dicit inferre = *des choſes mortelles, ou pluſtoſt naturelles &c.* =.

„ *Ac remeent ; ipſamque nec inter ſomnia linquant .*
„ *. . . . quo tandem , o ſemper mortalia quaerens ,*
„ *Hanc colere uſque voles terram ? nunquam ne relinques*
„ *Has tenebras ? numquamne in lucem lumina tolles ?*
„ *An neſcis , quaecumque hic ſunt , quae hac nocte teguntur ,*
„ *Omnia res prorſus veras non eſſe , ſed umbras ,*
„ *Aut ſpecula , unde ad nos aliena elucet imago ?*

Ea ſcilicet elegantiſſimi poëtae, non tamen ſapientiſſimi, carmina, niſi forte mitiorem aliquam in partem interpretando trahas, puram putamque ſapiunt Pyrrhonis doctrinam, qua nullam capitaliorem peſtem Philoſophia, vel Philoſophiae potius inimica Sophiſtarum Ars in orbem invexit.

Ac ſane, cum nihil homini praeſtabilius ingenio natura dederit, nihil eſt huic divino muneri, ac dono tam inimicum, quam generalis illa de rebus omnibus dubitatio. Hinc enim & illae tenebrae in omnem philoſophiae faciem offuſae, hinc & diſciplinarum perturbatio, ac magna confuſio, hinc & bonarum artium interitus, cum non levi Reipublicae detrimento, conſequitur.

Quin & eadem dubitatio delectum rerum omnium ita e medio tollit, ut nullus ad officii inventionem aditus pateat, & ipſius mentis ita lumen obruit, atque reſtinguit, ut nuſquam prorſus appareat.

Finge enim animo, vere homines alicujus civitatis Pyrrhonis doctrinae tanta conſtantia adhaerere. quanta percipi poſſit maxima. Facile videbis, hujuſmodi homines, more brutorum, non alio progreſſuros, quam quo libido, non ratio ferat. Haec certe non modo imperium, ſed ne levem quidem auctoritatem tueri poteſt, ubi quid ſit inter vera, quid inter falſa ponendum, neque audet dijudicare, neque poteſt. Si enim eſt de omnibus dubitandum, neque illud ſatis conſtanter ſtatui poterit, ut ſupra dixi, hoc eſſe oppoſito veriſimilius, hoc probabilius, quo ſapientis hominis vita regi poſſit. Nam quod hoc ſit probabilius eſt aliquod verum,

Digitized by Google

rum, de quo non minus, quam de iis pronunciatis: *Quodlibet eſt, vel non eſt, Totum eſt ſua partes majus*: dubitare queas.

Haec tamen tanta ſtultitia perſpicax ingenium Baylii potuit, vel improbam potius voluntatem ita pervadere, ut non ſine magno bonarum artium, ac Religionis malo elegantiſſimos ejus fere omnes libros infecerit. Hinc etiam in hac noſtra controverſia, neque uno tantum in loco, aperte pugnat, ut, etiamſi Genus Humanum naturae voce admonitum Divinitatem exiſtere putet, non inde tamen exiſtere Divinitatem colligere poſſimus. Ratiunculas autem profert adeo ineptas, ut illum voluiſſe veritati tenebras obducere, non autem potuiſſe, facile ſentias (*a*).

Quod enim, ait, a natura hominis profluit, non ideo bonum, aut verum putandum eſt. Nam & adulteria, & mendacia, & fraudes, & quaecumque ſcelera homines admittunt, corrupta enimvero natura inſtigante admittunt. Puerorum aetas id aperte declarat, quae, ut optimis inſtituta ſit parentibus, ac magiſtris, eo tamen ipſo naturae pondere fertur, ut modo aequales in fraudem inducat, modo aliena ſurripiat, modo voluptati indulgeat, modo irae obſecundet, modo caeteris animi perturbationibus habenas permittat. Quid quod ipſa hominis natura errorem multo magis, quam veritatem proſequi videtur? Nam & fabulae magis, quam hiſtoriae, hominibus placent, & ſi qua vera didicerunt, paulo poſt innumeris mendaciis omni ex parte cor-

(*a*) Lege, ſi vacat, & confer, quae Baylius variis in locis producit, ut *Contin. des Penſées &c.* §. *XXIII. a p. m.* 100. *Rép. aux Queſtions &c. Ch. XCVI. a p.* 693. *T. III. Oeuvr. & ib. C. CIII. p.* 708. *&c.* Ibi confirmat, quae dicit, etiam ex eo, quod Deus in Scriptura hominibus, qui puram veritatem ferre non poſſunt, ſe revelaverit = *ſous des images très-fauſſes, qu' il ſe donnât des pieds, & des mains, du repentir, & de la colère* = Parum profecto Baylium novit, ſi quis eum putat, quam impia haec, & quam inepta ſint, nullo modo vidiſſe, aut non optime tenuiſſe, quid inter odium veritatis, ac difficultatem ſublimiora quaedam vera intelligendi, vel quid inter mendacia, & allegorias interſit.

Digitized by Google

corrumpunt. Neque vero, inquit, Chriſtianos hac de re dubitare ipſa Scriptura ſinit, quae totum per Adae crimen humanum genus, humanamque naturam depravatam fuiſſe tradit. Hinc etiam & Haereticis, & iis, quos Spiritus fortes dicimus, tam vehementer Chriſtiani obſiſtunt, ne ſuos errores in vulgus ulla ratione ſpargant. Id enim ſi contingeret, brevi plurima hominum millia in illorum caſtra ceſſura eſſent.

Haec, aliaque ſimilia Baylius, quae nunc enucleare non ita neceſſe eſt, quamquam non digna ſano homine eſſe videntur. Argumentatio autem fere tota in voculae unius ambigua ſignificatione nititur; quod quidem & alio in loco advertimus.

Natura, inquit, humana malorum omnium eſt radix. At naturae humanae nomen multa complectitur. Nam & quod pertinet ad Eſſentiam hominis eo nomine venit, & animus totus, & corpus cum membris univerſis ad ipſius naturam pertinere dicitur, & quae tum animi, tum corporis, aut neceſſitas, aut proclivitas quaedam, vel inducit, vel petit, naturalia vocamus. Quod magis ad rem noſtram facit, naturae nomen & Rationem illam complectitur, qua nihil in homine praeſtantius, atque divinius, & Appetitum, quem etiam Ethnici ſub rationis jugum eſſe mittendum graviſſime pronunciabant, certiſſimam, niſi coërceatur, peſtem hominibus allaturum.

Ut alia praetereamus, ex Appetitu (*a*) vel praecipua falſarum opinionum, vel certe una ex praecipuis cauſa ducitur. Hominem enim ſuperbiae ſtimulis agitatum, & amore novitatis, & vanae laudis abreptum, quae fucata quadam pulchritudine micant, & pleriſque admirabilia videntur, ſectari cogit, ut vanitati veritas, atque umbris ipſae res ce-

(*a*) Vocem hanc ea ſignificatione hic uſurpamus, qua Cicero, ac reliqui aetatis aureae Scriptores. Itaque nihil neceſſe eſt hic Theologorum diſtinctionem inter *ſuperiorem*, & *inferiorem* appetitum proponere, quae tamen optima eſt, atque in aliis diſputationibus diligenter tenenda.

dere omnino debeant. Sed & rationibus aliis Appetitus uberrimos errorum fontes ubique creat. Profectò, quae ardenter cupimus, ea facile vera eſſe putamus, & cum amori habenas laxamus, aut odio incitamur, aut timore corripimur, intelligentiae partes, atque rationis, perverſa voluntas occupat: quae caeca cum ſit, aegre homines alio, quam in profundas errorum foveas, uſquequaque patentes, trahit.

Atqui de hominis Ratione iſta dici non poſſunt. Nam primo quidem ad aliqua vera digitum intendit, quae nemo non videat, & amplectatur, quin ſit truncis potius, quam hominibus aſſimilandus. Ex iiſdem veris alia quaedam ſagax illa Humani Generis magiſtra ita elicit, atque deducit, ut nemo item poſſit, niſi oculis animi captus, non probe percipere, quam arcto cum illis nexu, atque vinculo iſta cohaereant. Sed & eadem nos docet, quomodo ex iis omnibus ad alia etiam cognoſcenda nobis aditus fieri poſſit, praecipue ſi certa quaedam nobis bonarum artium praeſidia comparemus. Fatetur tamen ingenue, plurima eſſe, quae probabiliter tantum, plurima, quae obſcure, atque confuſe, plurima, quae nullo modo cognoſcere poſſimus.

Jam primi illius, & alterius generis vera nos natura ipſa docere dicitur, quod naturali tantum ingenii vi, ſine artis etiam auxilio, humana ratio ea detegat, ut diximus, atque demonſtret. Caetera non tam naturae, quam arti tribuuntur, quod nihil fere ad ea tenenda ſine arte natura valeat.

Jam ſi de veris illis dubitare velimus, quae Ratio ipſa aperte, ac perſpicue univerſos homines docet, primo quidem id conſequi conabimur, quod vix, aut ne vix quidem conſequi, ſaltem omni ex parte, poſſimus. Deinde non aliud agemus, niſi ut cum ratione inſaniamus.

Nego enim eos, qui ſe de omnibus dubitare dicunt, ex animo loqui. Ac ſane, ut reliqua ſileam, ſi quam ipſis injuriam irroges, videbis illico leves homines, non minus

quam

Digitized by Google

quam garrulas quaſque foeminas, iraſci. Quid ita? Nam quae res videtur illis injuria, beneficii loco fortaſſe habenda eſt, & hoc ipſum in dubium vocandum eſt, an propter injurias iraſci ſit non minus abſurdum, quam ſi propter maxima quaeque beneficia contumelias, ac vulnera inferre pares.

Quod autem de iis, quae ratio aperte, ac perſpicue docet, dubitare inſania ſit, eaque non levis (*a*), praeter eas, quas attigimus, rationes aliae declarant. Profecto nemo non dicet, ſtultum hominem illum eſſe, qui pedibus, aut oculis, aut manibus carere ſe putet, quibus optime illum inſtructum eſſe caeteri vident. Hoc ſi negemus, dementes nos eſſe eadem ſententia fatebimur, qua domos omnes, a Chriſtiana Charitate ad amentes coërcendos, atque curandos erectas, vacuas relinqui oportere pronunciabimus. Jam pedes, aut oculos, aut manus habere nos a natura conceſſas, non tam evidens eſt, quam facultatem habere nos, non pauca vera certo cognoſcendi; atque hinc dubitandum de iis non eſſe, quae Ratio aperte, ac perſpicue docet. Haec enim tota veritas eadem evidentia fulget, qua prima illa, quae dicimus, cognitionum principia: *Quodlibet eſt, vel non eſt*, *Totum eſt ſua parte majus*, ac caetera hujuſmodi. Nam ſi de veritate illa dubitare liceret, jam de principiis etiam his liceret, quae profecto ideo tenemus, quod ea Ratio ipſa aperte, ac perſpicue doceat.

Neque tamen eadem veritas, quod Ratio audienda homini ſit, clarioribus argumentis oſtendi debet. Opportune

 enim

(*a*) Non poteſt hic opponi, Chriſtianae Fidei Myſteria, quae veriſſima nos eſſe defendimus, contra Rationem eſſe. Etenim optimi quique Scriptores cum Divo Thoma id rotunde negant. Sunt autem ea ſupra Rationem, & contra Rationem potius eſſet illa non credere. Videt enim ipſa Ratio eſſe credenda, quae Deus homines docere dignatur, neque Myſterium aliquod falſum eſſe cenſendum, quod naturali lumine cognoſci non poſſit. Monet etiam Ratio, ſua documenta, vel ἀξιώματα non illuc pertingere, quo Fides ipſa hominem ducit ſupra Naturam ipſam elatum. At de his in aliis libris fortaſſe plenius agemus.

enim Sapientes admonent, cum ea, quae per ſe clara ſunt, rationibus a nobis inventis clariora facere volumus, verendum eſſe, ne tenebris citius offundamus.

Itaque aſſenſu omnium illa dixit Ariſtoteles (*a*) = *ſunt autem vera, & prima, quae non ab aliis, ſed a ſe ipſis fidem habent; neque enim in ſcientiarum principiis quaerenda ratio eſt, ſed unumquodque per ſe eſſe fide dignum oportet* = Hinc alibi (*b*) loquens de natura, ridiculum putat, eam eſſe, demonſtrare. Tum ſubdit = *Manifeſtum eſt enim eorum, quae ſunt ejuſmodi, eſſe multa, quae natura adminiſtrantur. Porro, quae manifeſta ſunt, per obſcura demonſtrare illius eſt, qui quid per ſeſe, aut non per ſeſe perſpicuum ſit, non poteſt dijudicare* =.

Facit in hanc rem Clemens Alexandrinus, ubi dicit (*c*) = *Quaeſtionum alias ſenſu opus habere, ut ſi quaerat aliquis, an ſit ignis calidus, aut nix alba: alias admonitione, & increpatione, ut ait Ariſtoteles; velut eſt iſta percunctatio, an parentes honorare oporteat: quaſdam etiam poenam mereri, cujuſmodi eſt illa; demonſtrari ſibi petere eſſe providentiam* =.

Quae cum ita ſint, nihil, opinor, Baylius pro ſua cauſa pejus afferre potuit, quam tot ridiculas ratiunculas, quibus, quod nos natura docet, non accipiendum eſſe demonſtraret. Neque enim quae facile oſtendunt, Naturam, qua parte per Adae crimen corrupta eſt, non ſequi niſi errores, ac vitia, eadem oſtendunt, Rationem ipſam naturali virtute, quae vera ſint, ſine erroris periculo indicare non poſſe.

Aliud autem eſt in tantis tenebris non ſemper ipſi fulgere lumen, quo vera diſcernat a falſis, aliud ipſius mentis aciem ita fuiſſe perverſam, ut, quae vera ſunt, tamquam falſa, & contra quae falſa ſunt, ea tamquam vera proponat. Quis enim eſt, qui, quod noctis tempore non admotis facibus nihil videat, aut etiam de die minima quaeque, vel nimis longe diſſita, oculorum acie non aſſequatur, idem

(*a*) *I. Topicorum*. (*b*) *Phyſicor. I. C. I.* (*c*) *Stromat. Lib. V.*

idem dubitet, an manibus, vel pedibus ipſe careat, caeteriſve membris, queis hominis natura viget?

Itaque non quod pueri fabulis delectantur, aut viri mendacia conſuunt, quando non tam veritatem, quam novitatem. aut ſua commoda quaerunt, ideo ſapientes dubitabunt, an Pars reperiri poſſit, quae Toto ſit major, vel aliqua res eo tempore non fuerit, quo tamen erat. Nec quia genio indulgere, aut etiam veneri operam dare nemo fere, ſi valetudine floreat, atque aetate, recuſat, quin ſit honeſtatis, quam voluptatis amantior, ideo illi dubitabunt, an Ratio mentiatur, ubi voluptati, ac reliquis omnibus bonis Virtutem anteponendam eſſe pronunciat.

Quamobrem, ut illuc, unde digreſſa eſt, redeat oratio, ſi Natura ipſa, hoc eſt, ſi nativa quadam vi Ratio ipſa monet, aliquam agnoſcendam eſſe Divinitatem, nemo ſui compos, graviſſimas illius voces mendacii, vel erroris arguet, aut etiam fortaſſe argui non injuria poſſe, ſuſpicabitur.

Neque vero illuc, opinor, jam confugiet Baylius, ut dicat, Naturam, non qua parte ſanam Rationem inſtruit, ſed qua parte aegrum agitat Appetitum, docere, quod aliqua ſit pie, ſancteque colenda Divinitas. Quid enim afferri poſſet ab ipſa recta Ratione magis alienum? Nam primo quidem homines praecipue ſapientiores hoc advertiſſent, & caeteris, ut ab errore caverent, auctores fuiſſent. Videmus enim eoſdem plurima, quae Appetitui haud paullo jucunda ſunt, ut inimica Rationi repudiare; neque ea, quae, ſi vera eſſent, homines voluptate perfunderent, idcirco vera eſſe, arbitrari. Deinde, ut nihil ad homines in officio continendos Divinitatis cognitione aptius excogitari poteſt, ita ne fingi quidem animo poteſt, cognitionem, quae plerumque adeo moleſtas injiciat furenti Appetitui habenas, aut ſaltem illius impetus retardare conetur, ab ipſo Appetitu originem trahere. Itaque, ſi Natura ipſa hominibus oſtendit, Deum exiſtere, eo nimirum oſtendit, quod Ratio ipſa, ut diximus, ea, qua pollet, verum agnoſcendi naturali virtute facile

cile percipit, rerum omnium optimam, ac praeſtantiſſimam exiſtere Mentem, ſumma ſapientia, ſumma potentia praeditam, quam vereri, ac diligere debeamus.

Apage igitur, Bayli, nugas. Sophiſmata, quae tantum leviſſimos homines capiant, aliquando relinque. Si ſapis (ſapis autem, quotieſcumque vis) argumenta propone, quae tuo digna ſint ingenio, atque doctrina, non quae ſtultum hominem, & helleboro curandum te fuiſſe, hactenus non oſtendant, quoad contra mentem te fuiſſe locutum, ſuſpicari poſſimus.

C A P U T IX.

Graviores Baylii rationes confutantur ab exemplis errorum petitae, quos univerſum genus hominum probaviſſe dicit.

QUÆ petivit argumenta Baylius a turpibus quibuſdam erroribus, mentes omnium hominum aliquando occupantibus, cum aliquanto graviora iis, quae propoſuimus hactenus, tum ejus ingenio eſſe digniora, nullo modo negare poſſum. Quare ignoſcendum fortaſſe quibuſdam eſt optimis viris, haud ſcio tamen an ſatis acutis, aut eruditis, qui rationibus iiſdem turbati, atque capti non amplius auſi ſunt univerſi Humani Generis auctoritatem tueri.

At belle illud accidit, quod his iiſdem argumentis Baylius innumeras, eaſdemque manifeſtas, miſcuit ineptias. Pugnat enim, ut, ſi Generis Humani auctoritas tanto ſit in pretio, vulgares etiam recipiendi ſint errores; imo & noſtrae gentis (noſtram enim caeterarum omnium anteponere ſapientiae ſolemus) opiniones de Religione, de Legibus, de univerſa Republica, caeca quadam ratione nobis tenendae ſint (*a*).

His

(*a*) Vid. *Continuat. des Penſees &c.* §. *IV. p.* 8. ubi probandum ſumit = *Que la multitude d'aprobateurs n'eſt pas une marque de verité* = atque affert inter caetera illud Senecae *de V. B.* = *Tritiſſima quaeque via, & celeberrima maxime decipit* = Vide etiam a §. *VIII.* uſque ad *XIII.* Vide rurſus §. *XXX. XXXI.* & *XXXII.* Praeterea *Réponſe aux Queſtions &c.* C. *XCVI.*

His omnibus facile reſpondetur, neque gentis alicujus eſſe doctrinam, atque ſapientiam ex vulgaribus rumoribus, aut opinionibus aeſtimandam, neque doctum hominem, ſi regulas Artis Criticae teneat, ita facile commiſſurum, ut Humani Generis totam auctoritatem intra regionis, in qua natus, aut educatus eſt, fines contineri putet. Itaque oleum, & operam perdit Sophiſta noſter, etſi vafer, & callidus, ubi tantas de innumeris plurimorum erroribus tragoedias excitat. Quem enim nobis majorem numerum Bayli narras? quos communes popelli errores? quam facilitatem multitudinis in falſis opinionibus penitus animo hauriendis? Quid verba Senecae recitas = *Non faciam, quod victi ſolent, ut provocent ad populum* = atque alia ſimilia? Nos non ad populum provocamus, non inſciam turbam ſequimur, non Deum eſſe ponimus, quod multo plures homines id concedant, quam negent. Conſenſui totius Humani Generis fidimus, qui gentium omnium, ac populorum, omnium ſapientum, omnium, qui ſimile hominis aliquid habeant, imo, ut multis argumentis aperte probamus, ipſius naturae voce commendatur. Itaque, ſi quis, de quo Conſenſu nos agamus, probe meminerit, jure mirabitur, te non modo paginis, ſed & capitibus integris ab eo, quem Logici *Statum Quaeſtionis* vocant, aberraviſſe.

Sed & illa eadem, quae innuimus, argumenta in ſpeciem graviora ſolvuntur, ſi teneamus diligenter ea, quae ſupra a nobis explicata ſunt. Omitto nunc, quod fuſius poſtea perſequar, quaecumque attulit exempli gratia Baylius, univerſo Generi Humano numquam fuiſſe probata, etſi probata fuiſſe Baylius tam confidenter affirmet. At certe ſi quos errores univerſi homines complexi ſunt, ita complexi ſunt, ut fruſtra naturae vocem in illis, atque auctoritatem requiras. Divinitatem vero exiſtere ita omnes homines fatentur, ut, ſi attendantur omnia, quaecumque ad eam auctoritatem commendandam attulimus, non aliud poſſis in eo Conſenſu, niſi naturae vocem agnoſcere.

Fa-

Facile id acuto, ac docili lectori patebit, ſi falſas opiniones conſideret, quas Baylius multis aetatibus invaluiſſe probaret, ſi quid probaret: Eclipſes, exempli cauſa, & Cometas eſſe timendos; Canis aſtrum non levem habere vim in hominum vitam; Ope divinationis futura poſſe praeſciri, & caetera, quae ſunt hujuſmodi.

Per luſtra profecto, ne ſaecula nunc dicam, plurima, quibus bonae artes, ac litterae maxime viguerunt, aut fere ab omnibus illa opinionum portenta ſpreta ſunt, aut certe a ſapientioribus ludibrio habita popelli tantummodo metum excitare, vel ſuperſtitionem alere potuerunt. Noſtris quidem, ac paulo ſuperioribus temporibus, facile fuit ſapientiſſimis quibuſdam hominibus, ſin minus eas opiniones radicitus evellere, at certe ita peſſundare, ut nullo modo univerſis nationibus, quin & haud ſcio, an fere univerſis unius nationis non prorſus barbarae hominibus amplius placere poſſint. Id, inquam, ſatis oſtendit, illa opinionum monſtra non a ſana, integraque hominis Ratione, ſed ab Inſcientia Matheſeos, & Aſtronomiae, aut a ſimilibus cauſis prognata eſſe.

Neque vero hinc, quod maxime notari velim, Humani Generis multum auctoritati detrahitur. Nulla enim extant antiquiorum, vel recentiorum monumenta temporum, ex quibus colligere liceat, ſapientiſſimas quaſque gentes in id incubuiſſe, ut certiores de rerum harum veritate fierent, neque tamen potuiſſe. Apparet potius ex iiſdem monumentis, eas quaeſtiones a ſapientibus aut fere fuiſſe neglectas, aut, ſi quando tractatae ſunt, ita ſolutas, ut ſaltem plurimi nihil admodum a veritate aberrarent; populum vero aut nulla expectata ratione crediditſſe majoribus, aut oculorum judicia, cum ea ſuſpiceret, quorum cauſas ignorabat, fuiſſe ſtulta ratione ſecutum.

Quod vero Matheſeos, & Aſtronomiae liberaliſſima ſtudia non ita floruerint, ut ab anili quavis ſuperſtitione omnium hominum animi liberarentur, non multum admi-

ra-

tionis habere debet. Nam, ut caetera omittam, ea eſt illarum artium natura, ut ſapiens quiſque percipiat, illas non potuiſſe, niſi poſt plures aetates, a divinis ingeniis perfici, quae non parum ab aliorum, praecipue veterum, induſtria profeciſſent.

Nihil horum in re noſtra dici poteſt. Nam generalis ille Conſenſus in agnoſcenda Divinitate, non modo unius eſt, aut alterius aetatis, aut plurium, ſed prorſus omnium, de quibus aliquid memoriae proditum fuerit; eſt non modo rudium, ſed & ſapientum hominum, ac germana doctrina praeſtantium, non modo illorum, qui Deum eſſe libenter audiunt, ſed & eorum, qui, cum taciti de Deo cogitant, nullum eſſe fortaſſe cuperent, quin & multorum eſt, qui, Deum eſſe, ore aliquando negant, neque tamen ex animo negare poſſunt. Idem Conſenſus nulla unquam vi labefactari potuit, quamvis & quorumdam Sophiſtarum temeritas, & plurium ſceleratorum impietas ad ipſum perdendum, tot machinas admoverit. Quibus univerſis ipſa ſuppetias veniebat humana cupiditas, Domini, quem dies, ac noctes timere debeamus, jugum aegre admodum ferens.

Haec omnia conſtant ex dictis. Sed & alia quampluríma his addi poſſunt. Illud praecipue, quod homines, quo majores in doctrina, boniſque artibus progreſſus habent, praeſertim ſi animum ad omne virtutis genus excolant, ut, quoad ejus fieri poteſt, nihil metuat, nihil angatur, nihil concupiſcat, nulla impotenti laetitia efferatur: quo melius, inquam, haec omnia homines praeſtant, eo purius, ac ſanctius de Divinitate cogitant, & nitidiorem, & ampliorem, ut ita dicam, illius beatae, perfectaeque Naturae notionem animo informant. An vero id non ſatis eſt argumenti Divinitatis cognitionem cum humanae mentis natura, praeſertim ſi virtute ſit expolita, congruere?

Ac ne plura, quae ſunt pene innumerabilia, conſecter, illud jam propono, quod mihi perſuaſi: Ita homines univerſos in agnoſcenda Divinitate conſentire, ut vel actum ſit

de humana quavis auctoritate, vel ea opinio vera dicenda ſit. Atqui humana auctoritas omnino rejici non debet. Debet igitur opinio illa omnino vera dici. Vereor ne, quum breviter dicere voluerim, obſcurius dixerim. Experiar igitur, & dicam, ſi potero, planius.

Finge pauliſper animo, verum non eſſe, quod aliquis exiſtat Deus. Quis tum Generis Humani prudentiam, atque ſollertiam nauci habeat? Etenim adeo turpis ea deceptio eſſet, ut nihil uſquequaque turpius inveniri poſſet.

Neque enim Humanum Genus ea ratione poſſet a conviciis vindicari, quod ſaltem aliquibus aetatibus verum viderit, ſaltem ſapientiores vulgarem errorem detexerint, ſaltem homines litteris exculti dubitaverint.

Ac ne illud quidem vere dici poſſet: eam doctrinam, ut maxime probabilem omnium ab Humano Genere fuiſſe cultam, non tamen ut illam, cui nullus omnino error ſubeſſe potuerit. Hiſtoria enim aperte teſtatur, Humanum Genus numquam illos ferre voluiſſe, qui de hac doctrina vel dubiam, & incertam viderentur habere ſententiam. Nuſquam Athei, qui publice quidem, cum degerent inter vivos, noti eſſent, ſcholas aperire, nuſquam inſtituere diſcipulos, nuſquam fere, longiore tempore, ſine magno vitae diſcrimine, conſiſtere potuerunt. Hinc & Benedictus ille Spinoſa, cujus frons numquam erubuit, non totum ſuae impietatis virus publice notum eſſe voluit, quoad vixit. Ethica quidem illa, in qua ſeſe Atheum vel maxime prodit, poſt funera tantum auctoris lucem vidit, cum quo ſepelienda nimirum fuerat, atque perdenda.

An vero poſteros a majoribus fuiſſe deceptos, quiſpiam diceret, ut errorem Humani Generis non valde turpem eſſe exiſtimandum oſtenderet? Sed, quamvis caetera omittamus, nihil certius eſſe poteſt, quam quod, ut ſupra vidimus, multo firmius homines cultui Divinitatis, quam caeteris opinionibus majorum adhaeſerint.

An excuſari poſſet Humanum Genus, quod non magnam

gnam diligentiam ad cauſas rerum cognoſcendas attulerit? Sed hiſtoria tota reclamat, cum nullam de ſublimioribus rebus cogitationem teſtetur fuiſſe ſuſceptam, quae altius, quam iſta, hominum animos occupaverit. Eadem hiſtoria docet, de nulla re homines curioſius, quam de rebus ad ipſam Divinitatem pertinentibus, inquiſiviſſe: quin & innumeros philoſophorum libros nobis indicat, in quibus ea ipſa quaeſtio; *num exiſtat Deus?* tam recondita ratione, & multiplici, ſubtilique verſatur.

Numquidnam dici poſſet, Humano Generi aliquod alicujus artis, aut ſcientiae defuiſſe praeſidium, ut nullam eſſe Divinitatem agnoſceret, quod praeſidium fuerit, progreſſu temporis, Atheorum beneficio comparatum? At ne id quidem ad Generis Humani defenſionem quidquam conferret. Semper enim Genus Humanum cenſuit ἀδύνατον, quod hujuſmodi praeſidium artis, aut ſcientiae compararetur; imo, quod multo magis notari velim, ſi quidpiam ſimile Atheus aliquis unquam effutivit, ut ſtultus neſcio quis hac aetate Scriptor ex Anglia (*a*), temerarium dictum ſine ulla dubitatione rejecit.

Reliqua doctus quiſque lector facile percipit, quae nunc enucleare non ita neceſſe eſt. Clarum enim ſatis eſt, ſi non exiſtat Deus, tantum humanae auctoritati deperire, ut ne flocci quidem aeſtimanda ſit; cujus etiam rei conjecturam ex eo capere licet, quod quicumque Generis Humani au-

(*a*) Auctor libri, cui titulus *Reflexions Critiques ſur divers ſujets. Vol. 8. Londres* 1751. Is rationem a mundi pulchritudine ductam elevare conatur tricis quibuſdam adeo futilibus, ut vix puerorum aetate dignae videantur. Solvit eas rationes Antoninus Valſechi *L. I. dei Fondamenti &c. C. III.* Hic, inquam, Auctor non obſcure ſignificat, homines a Mundi pulchritudine Deum eſſe colligere, quod aliae quaedam ipſis plurimarum Univerſitatis hujuſce partium cognitiones deſint. Quare philoſophos, qui rationem eam proponunt, ita carpit *p.* 275. = *Nous ne connoiſſons qu'une très petite partie du Monde. Or n'y a-t-il pas de l'abſurdité de vouloir, qu'une ſi petite partie ſerve de baſe au Syſtême, qui doit rendre raiſon du Principe de tout ce qui eſt?* =

ctoritatem ad alicujus rei argumentum trahi poſſe cenſuerunt, iidem, ut fatetur Baylius (*a*), eadem auctoritate concludi putarunt, ut praepotens quaedam Divinitas agnoſcenda ſit.

Quamobrem docile quodlibet ingenium non leve diſcrimen inter falſas opiniones ab hominum neſcio qua levitate receptas, ſi tamen ita receptae ſunt, & inter Conſenſum Humani Generis in agnoſcenda Divinitate intercedere percipit, ut non, quod in iis populi turpiter lapſi ſunt, ſuſpicari liceat, in agnoſcenda etiam Divinitate ſimiliter lapſos eſſe.

CAPUT X.

Potiſſima Baylii ratio confutatur ex eo ducta, quod error, qui Polytheiſmus dicitur, in Orbem univerſum antiquioribus aetatibus irrepſerit.

QUÆ diximus hactenus, ea etiam efficiunt, non poſſe jam Atheos, quo Generis Humani auctoritatem elevent, magnopere Baylii rationem urgere a commentitiorum Numinum cultu non ſine magna tum eloquentiae, tum eruditionis laude repetitam (*b*). Tametsi enim hoc loco, ſapientiores etiam Ethnicos abſurdas de pluribus Diis opiniones amplexos fuiſſe, haud gravate concedere Baylio velimus; eadem tamen a nobis, quam adhuc enucleavimus, adhiberi reſponſio poteſt. Nam ſi, Divinitatem eſſe aliquam, homines natura monente ſentiunt, ut ſupra vidimus, non idcirco putandum eſt, natura monente plures Deos, praeſertim ita ridiculos, & eo nomine indignos, Ethnicis fuiſſe viſos.

Ac

(*a*) *Continuat. des Penſées* §. *VII.* Vide Grotium, quem Baylius ibi citat, *de Iure Belli & Pac. L. I. C. I. n.* 12.

(*b*) Hoc argumentum Baylius ipſe tanti fecit, ut, cum illud propoſiturus eſſet, diſerte ſcripſerit = *De toutes les objections que j'ai à faire contre la preuve que vous fondez ſur le conſentement général des peuples, celle que je m'en vais vous propoſer eſt, à mon avis, la plus ſolide* = Ita ille *Continuat. des Penſées* §. *XXV. p.* 109.

Digitized by Google

Ac ſane per annorum duo ſaltem millia, priuſquam a turris Babelicae conſtructione, non magis linguis, quam moribus diſcordantes, homines in diſſitas funderentur terrarum plagas, nullum fere turpiſſimo errori fuiſſe locum, plerique concedunt, qui ſacrae Scripturae quidquam auctoritati tribuunt. Nihil enim tale Moyſes commemorat, qui tamen illorum quoque temporum flagitia ſilentio praeterire non ſolet.

Poſt ea quidem tempora neque inclyta Abrahami domus, neque florentiſſima, quae ex ea deducta eſt, Hebraeorum natio falſa Numina coluit, dum ſuis ſterit & inſtitutis, & legibus.

Non ſum equidem neſcius, Baylium, cum a Moyſis auctoritate cavere ſibi vellet, ſcripſiſſe, nullum in hac diſputatione locum ipſi relictum videri. Non enim, ait, eam Athei verentur, quos convincere cupimus. Praeterea non pluris eam auctoritatem in hac controverſia fieri dicit oportere, quam Auguſti tempore facta fuiſſet, ſi quis ad convincendos falſorum Numinum cultores ea uti voluiſſet (*a*). Idem Baylius alio loco (*b*) Concilium Auguſti tempore ab Ethnicis initum fingit, in quo non minus Judaeorum plures Deos eſſe negantium, quam duarum ſaltem Athearum gentium, alterius ex Hiſpania, alterius ex Æthiopia Legati contempti omnino fuiſſent, atque ad ſilentium adacti.

Poſſet etiam hic ineptus aliquis nitidorum libellorum lector ea contra Judaeos recitare, quae tam levis hiſtoricus, quam bonus poëta Voltaerius affert, ubi mores, ac ſtudia Deo placitae gentis iis coloribus pingit, ut nihil illa deterius, nihil contemptu dignius excogitari poſſit.

At iſta quidem mendacia neminem, opinor, movebunt, qui viderit, eo talia ſcribere Voltaerium, ut Religionis, & *eloquiorum Dei*, quae ſcilicet Hebraeis *credita erant*, inſidietur auctoritati.

Sed

(*a*) *Répouſ. aux Queſtions &c. C. CVII. p. 716. To. III. Oeuvr.*

(*b*) *Ibid.* C. *CVIII. p. 719.*

Sed & contra Baylium, longe majoris eſſe ponderis Hebraeorum, quam cujuslibet Ethnicae nationis habenda judicia, is demum ſtatuerit, qui ſacros libros, non dicam ſicuti Θεοπνεύστους, ſed ſicut hiſtoricos aliqua fide dignos verſare conſueverit. Ex iis enim apparet, neque Socratis, neque Platonis, neque caeterorum philoſophorum doctrinam cum placitis Hebraeorum, non modo ſi partem eam ſpectare velis, quae propius pertinet ad religionem, ſed & ſi eam, quae de officiis erga homines praecipit, nulla unquam ratione potuiſſe conferri.

Quin & Atticas Leges a Moſaicis manaviſſe, plures eruditi homines adverterunt, qua parte ſcilicet illae ſanctiſſima non evertunt naturae praecepta. Quis enim neſciat, qui apud ſapientiſſimos illos Graecos liberi, & probati eſſent amores, aut quid ipſorum poëtae, concedentibus antiquis philoſophis, ipſiſque Legum latoribus, & loquantur, & cupiant? Nihil tale in tota Moſis doctrina, qua nihil ſanctius, nihil purius, nihil ad omnem honeſtatem aut cuſtodiendam, aut vindicandam, aut comparandam accomodatius.

Et ejus quidem libros, praeter alia plurima, etiam illa commendant, quae vir doctiſſimus Hugo Grotius perſecutus eſt = *Moſis quoque ſcriptis*, inquit (*a*), ... *fidem maximam conciliat .... quod nec ſuae gloriae, nec ſuorum commodis eum ſtuduiſſe, ſatis appareat; cum & peccata ſua, quae diſſimulare poterat, ipſe tradiderit, & regni, ſacerdotiique dignitatem aliis aſſignaverit, ſua poſteritate in Levitarum plebem redacta: quae omnia ſatis oſtendunt, nihil ei cauſae fuiſſe, cur mentiretur: ſicut nec fucata aut illecebroſa utitur oratione, qualis mendacio fidem impetrare ſolet; ſed ſimplici, & convenienti rei ingenio. Accedit indubitata ſcriptorum Moſis antiquitas, cui nullum aliud ſcriptum poſſit contendere &c.* = (*b*).

Jam

(*a*) Hug. Grot. *de Verit. Rel. Chriſt. L. I. p. m.* 60.

(*b*) Si plura cupis vid. Cl. Alphonſi Nicolaji libros praeſertim *Diſſertaz. di S. Scrittura T. I.* Vide etiam libellum, cui tit. *Défenſe des Livres de l' Ancien Teſtament. &c.* de quo alibi etiam dicimus.

Jam ſi de virtutibus animi loqui velimus, quibus Hebraei floruerunt, & Graecos, & Romanos ab iis facile ſuperatos fuiſſe compertum eſt. Quae enim tanta conſtantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut ſit cum ſanctiſſimis Hebraeorum Judicibus, & Prophetis, & Regibus comparanda? Amplitudine imperii, nec non politiorum quarumdam artium elegantia Judaeos tum Graeci, tum Romani ſuperabant. In quo erat facile vincere non repugnantes. Non enim illi tam imperii fines augere, quam tueri propria curabant, magiſque ſequebantur eminentem effigiem virtutis, quam adumbratam imaginem gloriae.

Non ergo, quia Romani, Graecique ſpernebant Hebraeos, quod tantopere Baylius urget, eo minoris a nobis aeſtimandi ſunt, nec quod Moſis libri non legerentur Athenis (quamquam & lectos fuiſſe opinamur (*a*)) idcirco nos qui legimus contemnere debemus. Nimis quippe confidenter vir acutus a nobis poſtulat, ut Graecorum, ac Romanorum ſtemus hac in re judiciis, ut, quod vult ipſe, tandem efficiat, univerſarum gentium judicia eſſe repudianda.

At enim, his omiſſis, nullamne rationem vult haberi Baylius Chriſtianarum nationum, ab Ethnicorum erroribus ab-

(*a*) An Philoſophi, ac reliqui Scriptores Ethnici ſacros libros legerint, aut alia ratione doctrinam Judaeorum aſſecuti fuerint, quaeſtio eſt inter Criticos diu multumque agitata. Alphonſus Nicolajus, quem ſemper honoris cauſa nomino, a tota ſacrorum librorum doctrina ſecernit eam partem, quae res geſtas exponit, atque hiſtorica dici conſuevit. De hac ita pronunciat (*To. I. Diſſ. di S. Scritt. Diſſ. Proem. V. p. m.* 155.) = *La ſola univerſaliſſima autorità e degli eccleſiaſtici antichi autori, e degli antichi ſcrittori gentili, da vederſi (per non farne qui un lunghiſſimo catalogo) riportati da Euſebio, dall'Uezio, da Natale Aleſſandro, baſta a convincerne qualunque Critico più ſcettico e dubitante* = De altera vero doctrinae parte, quae magis reconditam ſapientiam complectitur, ſimilem Vir Clariſſimus tulit ſententiam, quam rationibus optimis defendit, ex veterum quoque Scriptorum auctoritate deſumptis. Plures autem ille citat recentiores Criticos eadem ſentientes. Vide ipſius librum *ib. a p.* 134. *ad* 148.

abhorrentium, quarum vel multitudinem hominum inſpicias, vel rerum geſtarum gloriam, vel religionis antiquitatem, vel doctrinae magnitudinem, vel ſapientiae praeſtantiam, ſpectatiſſima ſit auctoritas?

Nihil ergo magis abhorret a vero, quam Ethnicorum errores ipſius naturae voce fuiſſe propagatos, ut ea ſententia propagata eſt, quae Vim aliquam eſſe docet, Naturamque divinam. Haec non modo locorum omnium, ſed & aetatum fuit, atque ita fuit, ut, eam ab ipſa ratione proponi, facile ſentiamus. Illi, ſi forte locorum aliquando fere omnium, certe non omnium aetatum. Quod vero nec ſapientiſſimis Hebraeis probati fuerint, neque Chriſtianis, non ab ipſa hominum natura eoſdem originem ducere, manifeſtum eſt.

Hic Baylius ipſe, tamquam Antheus, humi fuſus novas ſumit vires, atque acrior ad pugnam redit. Quid enim? ait. An certum eſſe debet, ſi rationem tantummodo conſulamus, Divinitatis cognitionem omnium aetatum propriam eſſe dicendam? Atheus profecto ſibi probari poſtulabit, aeternis, quae fortaſſe fuerunt, temporibus, de quibus memoriae nihil proditum eſt, eam cognitionem viguiſſe. Idem ominabitur, aliquando fore, ut, non ſecus atque Ethnicorum olim errores, ipſa Divinitatis cognitio obliteretur, ſive rejiciatur. Jam nos, ut ille ait, nihil admodum contra ipſum Atheum afferre poterimus, niſi argumentum a Generis Humani auctoritate petitum deſerere videamur. Si enim de Divina Gratia, vel ſimilibus de rebus loquamur, ſumemus eſſe Deum, non oſtendemus (*a*).

At huic etiam argumento ex iis, quae diximus, parata reſponſio eſt. Conſenſio quippe Humani Generis in agnoſcenda Divinitate, jam uſque ab antiquiſſimis ducta temporibus, cum nunquam tot artibus, atque fraudibus ad haec tempora labefactari potuerit, ab ipſa naturae voce repeten-

(*a*) Habet ea Baylius partim *Rép. aux Quaeſt.* C. CVII. p. 715. partim aliis in locis.

tenda eſt. Vel hinc, Deum eſſe, certo ſtatuimus. Quidquid ad vetuſtiora illa tempora pertinet, Scriptoribus incognita, vel etiam ad futura, nullum quidem nobis argumentum ſuppeditat, quo Deum eſſe doceamus. At ſi de temporibus iiſdem a nobis quaeratur quid ſentiamus, etiam illis cognitum fuiſſe, vel fore Deum, non abſurde ſtatuimus. Vox enim naturae ſemper auditur, neque ulla ſeu temporum novitate molle quiddam, & exile ſonat, ſeu vetuſtate quaſi vietum, atque remiſſum.

Haec de erroribus Ethnicorum dici non poſſe, vel inde ſatis conſtat, quod, ubi vehementius tentati ſunt, facile conciderint. Nam primo quidem Chriſtiani non aliis armis, quam divinae cujuſdam ſapientiae, ac ſanctitatis inſtructi, viginti fere Auguſtorum, ac multorum Regum furore, qua fraudibus, qua minis, qua tormentis, & exiliis, & caedibus nequicquam contra nitente, innumerabiles commentitiis Numinibus, eorumque fautoribus clades intulerunt. Deinde vero Conſtantini Auguſti magis auctoritate, quam ferro Pietas armata de Jove illo, quem Statorem Urbis, atque Imperii Patres habuerant, ac Marte Romanae olim virtutis non minus, quam generis auctore habito, caeteriſque Diis ita triumphavit, ut nuſquam amplius, etſi Julianus ille Caeſar, atque alii Proceres ſubſidio venerint, caput eſſerre potuerint; quin & paulo poſt reliquiae ipſae vetuſtiſſimae ſuperſtitionis ita deletae ſunt, ut nullus in Imperii Romani finibus commentitiorum Numinum cultor inveniretur.

Sed & illis temporibus, quibus Ethnicorum errores vel maxime vigebant, ad eos comprobandos auctoritas Humani Generis nullo modo vocari potuiſſet. Ut id videamus graviſſima quaedam Ciceronis verba (*a*) tenere ſufficit. = *Ut porro firmiſſimum hoc afferri videtur, cur Deos eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava ſentiunt: id enim vitioſo more effici ſolet; omnes tamen eſſe vim,*

(*a*) *Tuſcul. Quaeſtion. L. I.*

& naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut conſenſus efficit: non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturae putanda eſt ».

Vir eloquentiſſimus non obſcure ſignificat, quid hac in re nos hominum conſenſio docere poſſit, ideſt Vim aliquam eſſe, Naturamque divinam. Neque enim nos terrere debet, quod eſſe Deos paulo ante Cicero dixerit. Ibi Romanae Facundiae Parens modo loquitur apud Romanos uſitato. Argumenti tamen ipſius, ut ita dicam, acies eo tendit, ut Natura quaedam homine melior, atque divina ſtatuenda ſit. An unus eſſet Deus, an plures, non facit ad rem, quam propoſitam Cicero habuerat. Jam porro ſi divina illa Vis agnoſcatur, in reliquis de tam ſublimi Natura quaeſtionibus errores, auctore Cicerone, maxime cavere debemus. Etenim illa conſpirans, & concors omnium populorum auctoritas, naturae voces, atque magiſterium ſecuta, nos omnino deſerit, incertoſque relinquit. Quare quid optima potiſſimum ratio ſuadeat, dum philoſophos agimus, inquirendum eſt. Neque vero mirum cuiquam accidere debet, quod homines etiam diverſarum aetatum, temporum, civitatum in abſurdas de Natura divina ſententias labi potuerint, ac tam prava ſentire. Id enim vitioſo more effici ſolet, ut optimis a natura cognitionibus homines inſtructi iis ad concluſiones maxime abſurdas turpiter abutantur.

Non haec eo retuli, quo Ciceronem ipſum tam praeclarae doctrinae ſemper inſtitiſſe putem. Sed omnia certe in rem noſtram optime quadrant. Etenim, qui plures induxere Deos, nullo modo inter ſeſe conſentiunt. Certe, quod acer Baylii adverſarius Jacobus Bernardus advertit (*a*), duo populi nuſquam inventi ſunt, qui aut eoſdem agnoſcerent Deos, aut in eodem, quod facilius videri poterat, ſtatuendo Deorum numero congruerent. Quin & eo deventum eſt, ut,

(*a*) Jacq. Bernard. *Nouvelles de la Rep. des Lettres, Mois de Fevrier 1705. Art. I.*

ut, quas beſtias aliqua natio inter ſapientiſſimas habita divinis proſequebatur honoribus, finitimae gentes ante Deos Indigetes immolarent.

Quod vero ſpectat ad ordines Deorum, ad officia, vel munera, ac reliqua ejuſmodi abſurda, ut abſurdiora eſſe non poſſint, incredibile dictu eſt, in quam varias abierint, diſcrepanteſque ſententias. Legat, qui plura de his cognoſcere cupit, Ciceronis libros *de Natura Deorum*. Ex iis profecto videbit, non modo quam prava Ethnici de praeſtantiſſima Natura ſentirent, ſed quam acriter etiam, dum ſuae quiſque vel gentis, vel ſcholae opiniones caeteris praeferri vellet, inter ſe digladiarentur.

Equidem, dum illos perluſtro, nihil miror, ab Arnobio ad eos diligenter verſandos Sacerdotum Ethnicorum ſuperſtitionem confidentiſſime provocari (*a*). Quo loco etiam Arnobius hanc plurium Sacerdotum ridet, refutatque ſententiam = *Oportere ſtatui per Senatum, aboleantur ut haec ſcripta, quibus Chriſtiana Religio comprobetur, & vetuſtatis ſupprimatur auctoritas* =.

Haec eo libentius commemoravi, quo clarius oſtendunt, quanta ſit hac in re Baylii temeritas. Hunc enim ſi audiremus, nihil Ethnicis Chriſtiani, conſenſioni omnium hominum aliquid tribuentes, reſpondere potuiſſent. Falſa quippe Numina, inquit, omne hominum genus colebat, aut certe coluerat.

At enim illi Ethnicos merito ridebant, quod non modo de Natura divina vilia quaevis, & abjecta ſentirent, cum tamen ipſi ſibi de illa magnifice loqui viderentur, ſed tam parum alter alteri congrueret, ut fere tot ſententiae, quot capita dici poſſent. Iidem ſcilicet Genus Humanum ſibi audiendum, ejuſque vocibus obtemperandum eſſe ducebant, cum Naturam exiſtere beatam, & immortalem, quae mundi machinam & condiderit, & moderetur in dies, quaeque uni-

(*a*) *Adv. Gent. L. III. C. II. p. 104. edit. Canter.*

verſis ab hominibus pure ſit, caſteque colenda, uno quaſi ore conclamat. Eas enim voces, cum ſint ejuſmodi concordes, non poſſe niſi naturae ipſius eſſe voces, nemo omnium non videt, qui, cum veritas inquiritur, partium ſtudia ſeponat. Cum vero iidem homines in tam diverſas ſcinderentur opiniones de natura, numeroque Deorum, non jam naturae voces, quae numquam ſibi non conſtare poteſt, exaudiebant. Quare non amplius humanae tantum auctoritati ſtandum, cum pleroſque falli non veniret in dubium, ſed, quid optima ratio conſuleret, inquirendum ſibi eſſe ſtatuebant.

CAPUT XI.

Ratio Baylii ſolvitur ex eo ducta, quod ſaltem plures eſſe Deos univerſi homines aliquando conſenſerint, & aliae quaedam ejuſdem auctoris argutiae confutantur.

JAM Baylii ratio refutanda venit, quae ne tranſverſum quidem digitum, aut latum unguem imperitis a rectae rationis regula excedere videatur. Ait enim, quemadmodum nos in id homines conſentire putemus, quod aliquis exiſtat Deus, quia vel unum, vel plures eſſe Deos, omnes homines arbitrantur, ita poſſe dici, omnes homines olim de pluribus Diis abſurdam opinionem amplexos fuiſſe, quod alii tres, alii duodecim, alii viginti, aut centum, aut etiam multo plures eſſe crediderint. Itaque ſi tanta opinionum de numero Deorum varietas efficit, ut ſaltem aliquis eſſe Deus debeat exiſtimari, efficiet etiam, ut plures. Jam, ut plures Dii ſint, non recte concluditur. Ergo ne recte quidem concluditur, ut aliquis exiſtat Deus. Hanc rationem Baylius variis modis proponit, atque urget, qui facile tamen eodem redeunt (*a*).

Non

(*a*) Vid. *Réponſ. aux Queſtions &c. C. CVII. p. 716. & C. CIX. p.* 722. *T. III. Oeuvr. Div.* Vide etiam alibi.

Non difficilis, ut vides, ad haec reſponſio ducitur ex iis, quibus Deum eſſe aliquem, naturae voce doceri, demonſtravimus. Etenim in ea opinione, de praeſtantiſſima quadam Natura, quae merito colenda ſit, tam conſtanter homines univerſi conſentiunt, ut non alia niſi nativa Rationis virtute confirmari videantur. At plures eſſe Deos, ridicula opinio fuit, quam & plurimi contempſere Sapientes, & Inſipientes etiam aliquando deſeruerunt.

Deinde non eamdem pro aliquo Deo, ac pro Diis pluribus eſſe rationem, aliis etiam modis intelligi poteſt. Conſideremus enim argumenta, vel, ſi hoc nomen hoc loco forte faſtidis, illas rationes, quibus utracumque opinio radices egit.

Rationes quidem certe aut bene multas, aut ſaltem aliquas, unde homines de praeſtantiſſima Numinis alicujus mente moneantur, a Natura ipſa proficiſci, vel inde conſtat, quod omnibus hominibus, qui ſui compotes videri poſſint, eaedem comunes aliquo modo dicendae ſint. Velut omnes homines, niſi quos a recta ratione immania vitia detorſerunt, facile ſentiunt, atque percipiunt, alii clarius, obſcurius alii, Vim quamdam eſſe Intelligentia conjunctam, unde vel omnia, vel ſaltem aliqua pendeant Naturae miracula. Id fere omnes Athei tandem agnoſcunt, ubi repentino aliquo caſu perculſi ab eadem Vi ſibi timent, & vel de ſalute deſperant, vel ſupplices veniam petunt. Haec, inquam, omnia non poſſunt, niſi ab hominis natura ipſa manare.

At quod plura eſſent Numina, quomodo ſibi homines perſuadebant? Si conſulamus hiſtoriam, rationibus omnino diverſis, quarum nulla poſſit ab hominis natura repeti. Alii namque, cum Divinitatem in Coelo eſſe crederent, Planetas, majoreſque ſtellas Divinitatis ejuſdem eſſe participes, atque hinc, cum illae ſint inter ſe diſtinctae, diſtincta eſſe Numina collegerunt. Alii ſummum Deum, quaſi maximum quemdam Imperatorem, aut Regem, plurimos arbitrati ſunt

crea-

creare ſibi quaſi miniſtros, aut milites, quos etiam Deos appellare non dubitarunt. Alii naturae divinae non paucos homines eſſe dixerunt, ex hac mortali vita tranſlatos ad Superos, quod maxima in Humanum Genus beneficia contuliſſent. Alii ridicula ratione decepti ſunt, quam Ἰσονομίαν appellavit Epicurus, ideſt aequalem tributionem. Cum enim mortalium tanta ſit multitudo, eſſe immortalium non minorem, & ſi, quae interimant, innumerabilia ſunt, etiam ea, quae conſervent, intulerunt, infinita eſſe debere. Alii ad extremum plures Deos eſſe putarunt, quod plurium, non autem unius Numinis anticipationem, ſive praenotionem, quam Πρόληψιν idem vocavit Epicurus, mentes omnium hominum habere arbitrarentur. Hinc enim putarunt Deos, & ſapientes, & beatos, & immortales exiſtere, e quorum ipſis animis, & quaſi corporibus imagines neſcio quae continuo pellerentur, ut, cum ab iis defluerent, in noſtras mentes inciderent.

Jam rationes iſtas, aliaſque ſimiles, a depravatis hominum opinionibus, non a limpido ſapientis naturae fonte derivatas fuiſſe, facile quiſque ſentit. Eo vel magis, quod ex iis rationibus nulla prorſus homines univerſos, una qualibet aetate, decepit. Quod ſi quis velit id ex adverſariis, ipſi, quod affirmat, probandum eſt. Nos ex libris Ethnicorum, atque a poſtremis aetatibus, quibus viguit falſorum Numinum cultus, de primis etiam illis antiquiſſimis temporibus conjecturam facimus. Quae cum ita ſint, plures eſſe Deos, ita Ethnici omnes aliquando dixerunt, ut nullo modo poſſis in iis vocibus ipſius naturae voces agnoſcere.

Liceat nunc mihi, quo majus etiam dictis lumen accedat, in aliquot argutiis refutandis immorari, quas in hac eadem diſputatione Baylius habet. Interdum enim eo fertur oratione, ut velit idem de Ethnicis, ut de Atheis, ferendum eſſe judicium. Cum enim illi aeque, ut iſti, a vero Deo agnoſcendo longiſſime abſint, non minus illos putat, quam iſtos, Divinitatis hoſtes eſſe cenſendos. Hinc ille conclu-

cludi putat, ut nihil Judaeis cum Ethnicis conveniſſe dicendum ſit. Non igitur Judaeos ſimul cum Ethnicis a nobis contra Atheos poſſe produci.

Verumenimvero non modo Judaei, ſed & Ethnici concedebant, quempiam eſſe Deum. Nam & ſi unus eſt, Deus quiſpiam eſt, & ſi plures, quiſpiam profecto eſt. Sic, ſi quis in Italia Regem ullum eſſe negaret, ſatis ei repugnarem, ſive plures, ſive unum aliquem eſſe oſtenderem in Italia Regem. Nam aut unus Rex, aut plures eſſe dicantur, & aliquem in Italia Regem eſſe, verum eſt, & illum deſipere, vel mentiri, qui nullum eſſe dicat.

Quapropter nugari mihi videtur Baylius, ubi nihil inter plures Deos, atque unicum Deum relinqui medium, tantopere contendit (*a*). Etſi enim in ipſa re nihil medium relinquitur, non ideo non relinquitur in ipſa opinione hominum, aut admonitione naturae.

Neque vero facit ad rem, quod eodem loco Baylius ex Grotio affert, & Plinio: ſi reum una pars Judicum abſolvat, altera mortis, tertia denique exilii poena mulctari jubeat, non poſſe duas haſce ſimul ſententias contra primam afferri. Hinc Baylius effici putat, ut ſententiae Judaeorum, atque Ethnicorum nihil contra Atheos poſſint, quod inter ſe tantopere diſſideant, atque diſcordent.

At quod Grotius pronunciat, eo tantum valet, opinor, ut neque mortis, neque exilii poena Reo, de quo agitur, infligenda ſit. Cum enim de utravis poena non ſatis conſtet, an Reo debeatur, ipſi Reo humanae leges favere voluerunt. Non tamen ideo, niſi fallor, quiſpiam negabit, eum, quem quinque, aut decem ſententiis Judicum noverit abſolutum, at quindecim, ſive viginti damnatum, a pleriſque Judicibus nefarium hominem, atque ſceleſtum habitum fuiſſe. Niſi vero dicas, & eum, qui morte, & eum, qui ſit exilio mulctandus, non id inter ſe habere commune, ut,

(*a*) *Continuat. des Penſées &c.* §. *XXVI. p. m.* 115. & alibi.

ut, quamvis alter altero ſceleratior, attamen uterlibet ſceleratus, ac Reipublicae noxius debeat exiſtimari. Jam in re noſtra, cum Judaei tanto ab Ethnicis opere diſſentiant, non in eo tamen hos reprehendunt, quod aliquam Vim eſſe fateantur humana qualibet poteſtate majorem, Naturamque divinam. Quid eſt igitur cauſae, quin in eo conſentire dicantur, quod aliqua Divinitas agnoſcenda ſit?

Nemo omnium, inquit Baylius, eo modo Divinitatem eſſe credidit, ut non aut unum Deum, aut plures eſſe crederet. Nemo, niſi forte quis in ſchola Dialecticus, opinionem Divinitatis ita praecidit, ut vel ab uno Deo, vel a pluribus agnoſcendis abſtineret. Tum in hanc rem multa non tam graviter dicit, quam facete (*a*).

At quis non videat, Baylium, cum haec, atque alia ſimilia dicit, ſtruere incautis inſidias, non id reſpondere, quod acutis hominibus facere ſatis poſſit? Illi enim ſine ulla dubitatione concedent, aliud eſſe Deum unum ponere, aliud ponere plures, aliud hoc ſaltem affirmare: *aliqua Divinitas exiſtit*. Jam hoc & qui Deum unum, & qui plures ponunt, affirmant: quamquam non omnis, qui id affirmat, ſtatim aut unum Deum agnoſcit, aut plures inducit. Dubius enim inter utramque ſententiam haerere poteſt. Sed omnis, quicumque aliquid affirmat, ſine dubio totum id affirmat, ſine quo verum id, quod dicit, non modo eſſe, at ne cogitatione quidem leviſſima fingi poteſt. Hinc ubi Caeſarem fuiſſe hominem dico, ejus naturae profecto fuiſſe dico, quae rationis particeps eſſe poſſit, imo & habuiſſe corpus iis membris inſtructum, ſine quibus hominis vita eſſe non

(*a*) Vid. *Continuat. des Penſées* §. *XXVIII. p.* 138. *Réponſe aux Queſtions C. CI. p.* 703. *&* 704. *& C. CVII. praeſertim a p.* 716. *& C. CIX. praeſertim a p.* 722. *Tom. III. Oeuvr.* Non inutile autem hic erit advertere, Baylium non paucas ejuſmodi nugas effutiendi occaſionem ex eo deſumpſiſſe, quod Jacobus Bernardus ſcripſerat = *Les Polythéiſtes en établiſſant pluſieurs Dieux en établiſſent Un* = Itaque in ea vocula *Un* adverſarium Baylius perpetuo carpit.

non poſſit. Et ſi Caeſarem eumdem latinos commentarios optime ſcripſiſſe dico, latinam linguam optime calluiſſe confirmo. Et ſi nobiliſſimum, ac Romana virtute digniſſimum de Gallia triumphum retuliſſe narro, Galliam contra Caeſarem pugnaviſſe, victamque fuiſſe, eadem ſententia pronuncio. Nam & ad haec omnia confirmanda, ſi qua eſt, auctoritas mea vocari poteſt ab iis, qui dicta illa noverint, & ſi haec omnia vera non ſunt, ejuſdem auctoritatis levitatem patefieri, quiſquam facile ſentit. Jam ne fingi quidem animo poteſt, aut unum eſſe Deum, aut plures, ut non verum ſit, aliquam eſse Divinitatem. Quapropter & qui plures, & qui unum dicunt eſſe Deum, eſse Deum quempiam fatentur. Nam ſi minus id conceptis verbis affirmant; *aliquam eſſe Divinitatem*; profecto ſententiis ipſis affirmant.

A Dialecticis, ait Baylius, iſta ſumis. Metuebam, ne a Ruſticis diceres. In ſcholis diſputatur iſto modo. Bene vero narras. Nam in ſcholis a falſis vera diſtinguere novimus, neque libros ea ratione facere, qua tu facis. Iſti enim tui, mihi crede, quamvis nitidi, & elegantes, rudem illam aliquando referre videntur, atque indigeſtam molem, de qua Ovidius cecinit:

,, *Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,*
,, *Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.*

Ita non modo honeſta cum turpibus, bona cum malis, ſed & gravia cum futilibus, perſpicua cum obſcuris, certa cum dubiis, vera cum falſis haud raro miſces, atque confundis.

At enim, his praetermiſſis, illud ſcire velim, cur tam confidenter ſumat Baylius, non poſſe homines a natura moneri, quod aliqua ſit Divinitas, quin aut unum eſse Deum, aut plures, ab eadem natura moneantur? Equidem homines, unum eſse Deum, moneri puto. Non tamen id hoc loco urgendum eſt. Sufficit illud tenere, quod clarius, & apertius ratio naturalis monere videtur: quamdam eſse

Digitized by Google

Naturam hominibus univerſis longe meliorem, admirabili ſapientia, potentiaque praeſtantem. Id enimvero homo hominem docere poteſt, antequam aut unum eſſe Deum, aut plures doceat. Quid eſt igitur, quod ipſa Natura, hoc eſt ipſa hominis Ratio, non poteſt illud idem ipſi homini oſtendere? A Baylio equidem ſciſcitor. Non enim novi. Sed a pluribus hoc loco rationibus contra illum afferendis abſtineo. Quis enim non ejuſmodi cauſa diſertus eſſe poſſit? aut quid negotii eſt hujuſmodi commenta convincere?

Illud quidem ſilere non debeo, quod inconſtantiam Baylii aliqua ex parte demonſtrat. Etenim qui negat, Ethnicos, cum duodecim, aut viginti, aut centum inducunt Deos, fateri ſaltem, *aliquam eſſe Divinitatem*, idem ſumit, Ethnicos univerſos ſaltem in id conſentire, *quod Dii plures exiſtant*. An hoc non eſt ſortiri potius quid loquare, quam conſulto loqui? Nam *plures eſſe Deos*, non clarius in eo continetur, quod duodecim, aut viginti, aut centum ſint Dii, quam illud contineatur, *quod aliqua ſit Divinitas*. Jam ſi alterum Ethnicos affirmaviſſe, non concedis, quomodo, primum affirmaviſſe, ſumis? Etenim ita ſumis, ut non argumentum, quod Logici dicunt, retorquere, ſed ex animi tui ſententia loqui videare (*a*). Verumtamen ineptiis iſtis, ac nugis, quibus Baylius nos diu tenet, omiſſis, ad graviora tranſeamus.

CA-

(*a*) Exempli gratia Baylius *Réponſe aux Queſtions &c. C. CIX. p. 722.* haec habet = *Pour mieux connoitre, ſi la conſéquence il y a un Dieu, qu'il (M. Bernard) veut qu'on tire de l'opinion générale des Païens, eſt plus juſte que la conſequence il exiſte pluſieurs Dieux, que M. Bayle en a tirée, ſervons nous d'une abſtraction de logique, ſéparons de la religion païenne ce qui fait la diférence de ſes ſectes, & ne retenons que l'atribut général qui leur eſt commun à toutes; pouſſons notre abſtraction juſq' à une theſe que nous puiſſions eſpérer qu'elles ſigneront unanimement. Propoſons la leur en deux manières, 1. Il y a un Dieu, c'eſt-à-dire il n'y a qu'un Dieu, 2. Il y a pluſieurs Dieux. Ie mets en fait que la premiere ſera rejettée par tous les Païens, & qu'ils ſigneront tous la ſeconde* =.

CAPUT XII.

Confutantur exempla quaedam errorum a Baylio producta; ea praeſertim, quae ob Eclipſium, & Cometarum timore deſumpſit.

HActenus ita diſputavimus, ac ſi vera Baylius attuliſſet, cum tot errores univerſo hominum generi probatos fuiſſe jactavit. At ſi res diligentius ad trutinam revocemus, nullum ſentiemus exemplum ex omnibus, quibus Baylius maxime fidere viſus eſt (*a*), veritate niti.

Neque vero committam, ut eadem ratione, qua de Jacobo Bernardo Baylius, de nobis Baylii quiſpiam amator conqueri poſſit. Vafer enim ſophiſta aegre tulit, Bernardum contra exemplum illud praecipue ſcripſiſſe, quod a Signo Canis ipſe repetiverat (*b*). Oſtenderat autem Bernardus, ad ſummum Graecos, ac Romanos, & paucos quoſdam alios populos virtutem ei Signo tribuiſſe, qua certe carebat. Itaque non poſſe hoc exemplum cum Divinitatis cognitione omnium gentium propria comparari.

Multa dixit non tam accurate, quam copioſe Baylius, quo ſe defenderet. Non fuiſſe exemplum illud tam acriter oppugnandum, aliis fere intactis, in quibus maximum ipſe ſuae cauſae praeſidium poſuiſſet. Exemplum illud videri, ſin minus perſpicua, certaque perſuaſione, at ſaltem tacito

(*a*) Ea, quibus maxime Baylius confiſus eſt, exempla videre potes in §. *XXXII.* operis inſcripti *Contin. des Penſées &c.* Hic autem ſapienti lectori fateri non dubitabo, aliquod fortaſſe aptius exemplum a Baylio produci potuiſſe. Neque tamen hinc optimae cauſae noſtrae periculum ullum imminet. Parata ſemper erit illa reſponſio; neque omnium aetatum hominibus praecipue ſapientibus errorem illum, qui forte producatur, fuiſſe probatum, neque clara ſatis argumenta deeſſe, quibus, eumdem errorem non ab ipſa hominis Ratione inductum fuiſſe, demonſtremus.

(*b*) Vide, quae contra Bernardum diſputat *Réponſe &c. C. CVI. p. 715.*

Generis Humani Conſenſu fuiſſe probatum. Nam ſi & Sarmatae, inquit, & Galli, & Germani, & reliqui populi de Canis illa virtute aliquid a Romanis, aut Graecis audiviſſent, auctoribus certe adeo gravibus crediditſſent. Haec aliquam vim contra Bernardum fortaſſe habent; quippe qui tacito ſaltem conſenſu Gentes in agnoſcendam Divinitatem conſentire ſcripſerat. Non tamen ſatis Baylium ipſum tuentur, ut vides.

Haec eadem illa fortaſſe reſponderet, ſi quiſpiam exemplum a Lunae virtute petitum (*a*) oppugnaſſet. Quamquam hic diligentius duo diſtinguenda ſunt. Si de Lunae virtute loquamur, quae in mare quidpiam poſſit, necnon in aërem hunc noſtrum, atque hinc in plantas, & in ipſa corpora animalium, nihil eſt quod probare contendamus, non in eam rem univerſarum gentium convenire ſuffragia: quippe cum opinionem illam eſſe vanam, nullo modo Baylius poſſit oſtendere (*b*). Sin autem de virtute ſermo ſit,

quam

(*a*) Habet illud Baylius *Penſées diverſes ſur la Comete &c* § *XLVI. & LXXXIX.* nec non *Continuat. des Penſées &c.* §. *XXXII.*

(*b*) Nos quidem ea probamus, quae ſcripſit in hanc rem Alembertus, cui numquam acerrimi ingenii, ſingularisque doctrinae laudem denegabimus (*Encycl. Art. Lune*) = *On a attribué autrefois beaucoup de puiſſance à la Lune ſur les corps terreſtres, & pluſieurs perſonnes ſont encore dans cette opinion, que les Philoſophes regardent comme chimérique. Cependant ſi on examine la choſe avec attention, il ne doit point paroître impoſſible que la Lune ne puiſſe avoir beaucoup d'influence ſur l'air que nous reſpirons, & les différens effets que nous obſervons. Il eſt certain que le Soleil, & la Lune ſurtout, agiſſent ſur l'Océan, & en cauſent le flux & le reflux. Or ſi l'action de ces aſtres eſt ſi ſenſible ſur la maſſe des eaux pourquoi ne le ſera-t-elle pas ſur l'atmoſphere qui les couvre? Pourquoi ne cauſera-t-elle pas dans cette atmoſphere des mouvemens & des altérations ſenſibles? Il eſt vrai que le vulgaire tombe dans beaucoup d'erreurs à ce ſujet, & nous ne prétendons point adopter tous les préjugés ſur la nouvelle Lune, ſur les effets de la Lune, tant en croiſſant ou en décours, ſur les remedes qu'il faut faire quand la Lune eſt en certains ſignes de zodiaque; mais nous croyons pouvoir dire que pluſieurs vents, par exemple, & les effets qui en réſultent, peuvent être attribués très-vraiſſemblement à l'action de la Lune; que par ſon action ſur l'air que nous reſpirons, elle*

peut

quam ſuperſtitioſi tantum, aut leves homines ineſſe Lunae jam credant, jure tum a Baylio poſtulabimus, ut, quod affirmat, aliqua ratione probet. Equidem nihil in antiquorum temporum quibuſvis monumentis reperiri exiſtimo, quod Baylium, quidquid in hanc rem ſcripſit, non minus vere, quam confidenter, ſcripſiſſe demonſtret. Et illud quidem hac etiam in re Baylio exprobrare poſsumus, quod vulgares Graecorum, Romanorum, aut ſi vis etiam Europaeorum errores totius Humani Generis errores eſse putaverit, aut potius putari voluerit.

At his omiſſis melius, opinor, convincetur Baylius, ut convinci debet, ſi falſa eſſe demonſtremus exempla, quae fortius urget, ac ſaepius. Sunt autem inter illa, quae ab Eclipſium, & Cometarum oſtentis ille deducit. Etenim Genus Humanum putaviſſe docet, & Eclipſes, & Cometas non leviter nobis eſſe timendos. Sed aliud eſt docere, aliud probare. Nos enimvero probare poſſumus, illis erroribus ſapientes homines, atque hinc & qui ſapientibus aures praebebant, & qui ſapientum in numerum venire, & qui videri cupiebant, non leviter obſtitiſſe, quo etiam tempore vulgus fere totum iiſdem captum omnino fuerat.

Primo quidem de Eclipſibus aliqua dicamus. Si quidquam Baylio credimus, (*a*) mortales antiquis temporibus univerſi Solis, aut Lunae defectibus putaverunt, maxima quaedam Humano Generi portendi, ac praedici mala. At cedo, Bayli, cedo aliqua monumenta, quae tuis verbis fidem faciant.

Ni-

peut changer la diſpoſition de nos corps, & occaſionner des maladies. Il eſt vrai que comme les dérangement qui arrivent dans l' atmoſphere ont encore une infinité d' autres cauſes dont la loi ne paroît point réglée, les effets particulieres de la Lune ſe trouvant mêlés, & combinés avec une infinité d' autres, ſont par cette raiſon tres-difficiles à connoitre & à diſtinguer; mais cela n' empêche pas qu' ils ne ſoient réels, & dignes de l' obſervation des Philoſophes. Le Docteur Mead, célebre medecin anglois, a fait un livre qui a pour titre de Imperio Solis, ac Lunae in corpore humano &c =.

(*a*) *Penſées divers &c. §. L. p. 89. & alibi ſaepius.*

Nihil enimvero tuis in libris lego, niſi quae, vulgares homines in ea fuiſſe ſtultitia, perſuadeant. De duobus exercitibus ſermonem inſtituis (*a*), qui Solis defectu animadverſo non levi fuerint metu perculſi. Quin de Philoſophis potius, & Ducibus etiam ipſis non omnino rudibus loqueris, qui ſolebant, ut paſſim hiſtorici docent, iſta pugnaturis militibus praenunciare, ne terrerentur?

Et viros quidem liberalioribus ſtudiis deditos nihil ſiniſtrum ab hujuſmodi defectibus timuiſſe, vel inde conſtat, quod naturales ipſorum cauſas optime noverant. Etenim vix, aut ne vix quidem, fingi animo poteſt, ſapientes homines a Diis iratis ea fieri opinatos eſſe, quae ſive Dii propitii, ſive irati forent, naturalibus a cauſis futura eodem modo fuiſſent. Jam quod eas cauſas antiqui optime noverint, fere omnium veterum philoſophorum libri aperte teſtantur.

Liceat hic aliqua memorare, quae Diſertiſſimus ille Romuli nepotum ſcripta reliquit. Quis enim elegantiae latini ſermonis ſtudioſus adoleſcens in aureo illius *de Senectute* libello non legit, quantopere laetaretur C. Gallus Scipionum familiaris, cum defectiones Solis, & Lunae multo ante praediceret? aut quis antiquitatis cognoſcendae cupidus non ea verba *in II. de Divinatione* conſideratu digniſſima exiſtimavit? = *Solis*, inquit, *defectiones, itemque Lunae, praedicuntur in multos annos ab his, qui ſiderum motus numeris perſequuntur. Ea praedicunt enim, quae naturae neceſſitas perfectura eſt. Vident ex conſtantiſſimo motu Lunae, quando illa e regione Solis facta incurrat in umbram terrae, quae eſt meta noctis, ut eam obſcurari neceſſe eſt: quandoque eadem Luna ſubjecta, atque oppoſita Soli, noſtris oculis ejus lumen obſcuret: quo in ſigno quaeque errantium ſtellarum, quoque tempore futura ſit: qui exortus, quoque die, ſigni alicujus, aut qui occaſus futurus ſit. Haec qui ante dicunt, quam rationem ſequantur, vides &c.* =

Eo-

(*a*) *Penſées diverſes &c. §. L.*

Eodem illa pertinent, quae de notiſſimis Philoſophis Diogenes Laërtius habet. Etenim de Thalete ita loquitur (*a*). = *Putant plerique primum Aſtrologiae ſecreta rimatum, Solis defectus, converſioneſque praevidiſſe, ut ait Eudemus in ea, quam de Aſtrologia ſcripſit, hiſtoria: Quocirca Xenophanem, & Herodotum illum maxime fuiſſe miratos: id ipſum autem Heraclitus, Democrituſque teſtantur* =.

Neque vero hic Baylius reſpondere nobis poſset, ſaltem ante Thaletis tempora, ſi Diogenem audiamus, veram hujuſmodi defectionum cauſam hominibus ignotam fuiſse. Ex illo videlicet loco Diogenis, & Eudemi auctoritate non aliud eruitur, niſi Thaletem primum omnium certa tempora praevidiſse, quibus futurum eſset, ut Sol interpoſita Luna deficeret; non autem primum vidiſse, Solis, ex eo contingere defectum, quod interpoſita Luna radios illius interciperet.

Idem Diogenes de Stoicis univerſim agens, eos docuiſſe, narrat (*b*) = *Deficere autem Solem quum ante illum ex ea parte, qua terras reſpicit, ſe oppoſuerit Luna, ut in libro de Univerſo ſcribit Zeno. Apparet enim, quando ex concurſione mutua illum occulit, rurſumque reſtituit. Notatur id maxime per vas aeneum, patens, in quo ſit aqua. Lunam vero cum in Terrae inciderit umbram; quocirca tunc ſolum hoc defectu laborare, cum plena fuerit, & quidem cum per diametrum Soli menſibus ſingulis objecta ſit. Nam quum obliquo motu contra Solem moveatur, latitudine differt, cum ad auſtralem, vel ad ſeptentrionalem vergit plagam. Quum tamen illius latitudo ad Solis, & eam, quae media interjacet, latitudinem venerit, deinde fuerit*

(*a*) Ipſius Laërtii verba in Thaletis Vita ſunt *Lib. I p. m.* 9. = Δόκεῖ δὲ κατά τινας πρῶτος ἀστρολογῆσαι, καὶ ἡλιακὰς ἐκλείψεις, καὶ τροπὰς προειπεῖν, ὥς φησιν Εὔδημος ἐν τῇ περὶ τῶν ἀστρολογουμένων ἱστορίᾳ. ὅθεν αὐτὸν καὶ Ξενοφάνης, καὶ Ἡρόδοτος θαυμάζει. μαρτυρεῖ δ' αὐτῷ καὶ Ἡράκλειτος, καὶ Δημόκριτος = .

(*b*) Diog. Laërt. *L. VIII. p. m.* 256. Cum latinas interpretationes, quae ſunt in manibus omnium, afferimus, non ſolemus ipſa Graecorum auctorum verba ſubjicere, niſi, ut id faciamus, peculiaris aliqua ratio ſuadere videatur.

rit emenſa Solem, tunc deficit. Movetur autem ejus latitudo per ea, quae media ſunt in Chelis, & Scorpio, & Ariete, & Tauro, ut ait Poſidonius = Haec de Stoicis Diogenes. Plurima hic ex Ariſtotele, Plutarcho, Maximo Tyrio, aliiſque innumeris auctoribus deſcribere poſsemus. At nolumus in re ſatis explorata longius immorari.

Ea quidem omnia, quae diximus, ad antiquiores pertinent aetates. Si de recentioribus, maxime de poſtremis, inſtituere ſermonem velimus, nihil certius eſse videbimus, quam quod, non dicam ſapientes homines, at non plane rudes nihil a defectibus aut Solis, aut Lunae timuerint.

Imo ſi de Italis, ſi de Gallis, ſi de Anglis loquamur, ac de pleriſque Europae nationibus, quarum ingenia, ut multis rebus poſsumus judicare, multum caeteris hominibus omnium gentium praeſtiterunt, nullo modo concedendum eſt, ſtabilem, ac penitus inſitam vulgo eſse opinionem: per Eclipſes infauſtos rerum eventus praenunciari. Qui dubitat, homines etiam e Trivio conſulat. Non dicam ad unum omnes, at certe bene multos, aut nihil habere ſe reſponſuros, quod his de rebus pronuncient, aut aliquid implexa ratione dicturos, quod longe illos ab anilibus hujuſmodi timoribus abeſse declaret.

Neque vero Baylii argumentis de ſententia deterreor (*a*). Hiſtoricos ait, cum Eclipſium meminerunt, addere, alicujus Regis mortem, vel aliud ſimile malum per hujuſmodi oſtenta praeſignificatum fuiſſe. Aſtrologos advertit, quorum libelli ſint in manibus omnium, etiam ab hujuſmodi Solis, ac Lunae defectibus multa praedicere, quae futura ſint. Demum quid homines ab iiſdem timeant, anno a Reparata Salute 1654. omnibus conſtare potuiſſe. Incredibile enim dictu eſt, quantopere commoti fuerint animi omnium, ut mul-

(*a*) Vid. Bayl. *Penſées diverſes &c. §. LI. p. 91.* = *Superſtition des Modernes pour les éclipſes* =.

multi magnitudine timoris non modo a conſtantia, ſed & a mente, atque a ſe ipſi diſceſſuri viderentur. Haec omnia quum aſſumpſit Baylius, confectum negotium putat.

Sed ea, quae aſſumit, partim ficta aperte, partim effutita temere dicenda ſunt. Quid enim? Quod ille de Hiſtoricis narrat, num ad omnes, an ad paucos pertinere putandum eſt? Ad paucos, opinor, neque illos quidem graviores. Etenim ſapientiſſimi quique Scriptores nullam auctoritatem videntur, aut fidem commentitiis hujuſmodi rebus adjungere. Quis plura narrat de Eclipſibus, quam Petavius noſter? Num tamen viſus eſt ille ſuperſtitioſam aliquando de Eclipſibus probare ſententiam? Quid igitur fingi poteſt Baylii temeritate fortius? Non hic ille ſumit pro certo, quod dubium, controverſumque ſit, ſed potius id, in quo nulla ratio, nulla veri ſpecies appareat.

Nam quod Baylius addebat de libellis annuis Aſtrologorum, in quibus maxima vis Eclipſibus tribuatur, jocone an ſerio dictum ab illo putem? Eſtne quiſquam ita deſipiens inter homines bonis artibus excultós, quem iſta moveat a leviſſimis hominibus profecta ſignificatio, & quaſi denunciatio calamitatum? Inſipientior ego eſſem, quam illi ipſi, qui iſta credunt, ſi quidem longa id oratione oſtendendum ſuſciperem.

At quod de hominibus narrat anno 1654. propter defectum Solis tantopere territis, quid aliud probare poteſt, niſi non eſſe quidquam tam valde, quam nihil ſapere, vulgare? Quid mirum igitur, ſi novis quibuſdam viſis, & inuſitatis in Coelo mutationibus imbecilli plures animi ſuperſtitioſa iſta concipiant, verum diſpicere non poſſint? Nihil tamen hinc aut contra nos, aut contra Generis Humani auctoritatem. Nam primo quidem de provinciis Europae quibuſdam Baylius aliqua narrat, de aliis conjicit. Num hoc eſt de Genere Humano loqui? Deinde illud redit, quod ſaepe diximus, neque ſapientum, neque illorum, qui ſapientes audiendos eſſe putabant, aut ipſi ſapientes eſſe, aut vi-

deri cupiebant, mentes fuiſſe perterritas (*a*). Quae cum ita ſint, quanti faciendum ſit exemplum iſtud erroris omnium, ab Eclipſium timore petitum, vides.

Similis eſt reſponſio ad ea, quae de Cometis Baylius jactat. Non tamen inficior, vulgares homines, vel etiam, ſi vis, qui nobilitate, non vero litteris excellerent, olim Cometas, tamquam certiſſima futurarum calamitatum indicia, pertimuiſse; quam quidem vulgi opinionem Poëtae, ut aliis in rebus innumeris faciunt, exprimere, atque ornare non inviti ſolent.

Leviculi etiam plures Hiſtorici, qui de Cometarum minis interdum aliqua ſcribunt. Sed neque ex Hiſtoricis aliquibus, quid univerſum genus hominum opinetur, aeſtimare licet, neque iidem Hiſtorici, de quibus loquor, magnopere vulgarem ſuperſtitionem juvant. Eos enim omitto, qui tantum, quae fuerint aliorum judicia, narrant, nulla, quid ipſi opinentur, ſignificatione facta. Multi quidem ex iis, qui videntur Baylii opinioni favere, interdum aliqua ſubdunt, quibus, cum ea ſcriberent de Cometis, ludere citius, aut ornare orationem voluiſse videantur, quam certas animi ſui promere, ac declarare ſententias. Quid quod Hiſtorici plures Veterum quorumdam Graecae, aut Latinae Hiſtoriae Patrum ea etiam in re ſequi morem ſtudent, ut quos perſpicuitate narrationis, & elegantia, caeteriſque dotibus exprimere geſtiunt, portentis etiam quibuſdam, atque prodigiis referendis imitentur? Vereor, ut id multis perſuadere poſſim. At enim ſaepius id equidem contigiſse arbitror. Niſi enim & de triplici illo Sole, & de terrificis neſcio quibus Cometis, & pallore Lunae, niſi de Bobus humanas fundentibus voces, & de Simulacris infauſta praedicentibus, ac ſudore multo manantibus, aliiſque ſimilibus aetatis aureae Scri-

(*a*) Ipſe Baylius eodem loco Petitum (*M. Petit*) laudat = *qui étoit habile homme ſans ſuperſtition, & qui ſe batit contre l'erreur populaire avec beaucoup de courage* =.

Scriptores tam multa retuliſsent, nuſquam fortaſse ridicula quaedam, atque haud ſcio an ſuperſtitioſa, a Chriſtianis etiam Auctoribus narrata legeremus.

At his omiſſis id videamus, quod maxime rem, cauſamque continet. Nego enim ſapientes, ac ſapientum diſcipulos eadem ut vulgus de Cometis opinatos fuiſſe. Sunt in manibus omnium non pauci veterum Philoſophorum libri. Ex iis apparet, ea Philoſophos de Cometis docuiſſe, quibus omnium animi ſuperſtitione ſolvi facile poſſent. Illi quidem naturalibus e cauſis coaleſcere, aut oriri Cometas, naturalibus item diſſipari, aut occidere ſentiebant. Quis illos ita deſipuiſſe putet, niſi forte valida proferantur argumenta, quae numquam Baylius attulit, numquam afferre potuit; quis, inquam, ita putet deſipuiſſe Viros a ſapientia, & ingenii laude perfectos, ut non ſecus & iratorum Numinum minas ea cum indoctis aniculis pertimeſcerent, quae certis, atque ſtatutis naturae legibus conſentanea forent; quorum neceſſarias in ipſa natura cauſas, non minus quam temporum varietatis, quam Solis, & Aſtrorum curſus, coeleſtiumque converſionum omnium ſeſe deprehendiſſe gloriabantur?

Alii nempe duxerunt, non aliud eſſe Cometas, niſi Stellas in tanta ſitas a Tellure diſtantia, ut nullo modo ſingulas oculorum noſtrorum acies aſſequi poſſet; eas demum in noſtros oculos incurrere, cum ſuos peragentes curſus tam prope una ad alteram eſſet, ut nobis una quaedam lucida maſſa videretur: quum vero ſuum unaquaeque curſum ita teneret, ut longe ab altera recederet, tum denuo noſtris aſpectibus ſurripi, Cometamque evaneſcere. Hanc opinionem refert, ac rejicit Ariſtoteles. Ipſe autem cum ſuis Peripateticis putat, Cometas eſſe Μετέωρα, vel exhalationes terrae ſupra regionem aëris evectas, & a luce Solis accenſas.

Stoicorum placita de Cometis non multum a Peripateticis diſſidebant. Narrat enim in Zenone Laërtius, eos ita cenſuiſſe = *Cometas autem, & Pogonias, & Faculas ignes eſſe ſub-*

ſubſiſtentes, quando craſſior aër ad aetherea loca pervehitur. Iubar autem repentini ignis incendium, quod cito per aërem fertur, ac longitudinis imaginem delineat =.

Multo meliora de Cometis Pythagorae diſcipuli plures Italici attulerunt. Illi enim, auctore Ariſtotele, Cometam ex errantibus Aſtris unum eſſe profeſſi ſunt; etiamſi neque poſſet, niſi poſt multos annos, neque per longum tempus a nobis videri, quod & Mercurii Aſtro contingit (*a*).

Eamdem opinionem Democrito Seneca tribuere videtur, ubi haec ſcribit (*b*) = *Democritus ſubtiliſſimus omnium antiquorum ſuſpicari ait ſe, plures eſſe Stellas, quae currunt; ſed nec numerum illarum poſuit, nec nomina, nondum comprehenſis quinque ſiderum curſibus* = Poſt autem Seneca teſtatur, hanc eamdem Apollonio Mindio placuiſſe doctrinam, qui eam ſe a Chaldaeis hujuſmodi motuum non ignaris accepiſſe diceret. Tum idem ſibi placere Seneca ſignificat, Cometaſque docet non fortuitos eſſe ignes exiſtimandos, at aeterna ipſius Naturae opera; quamvis & quod antiquiſſima nobis monumenta non ſuppetant, & quod illi nimis raro iidem exoriantur, ſatis certo id oſtendi non poſſit. Ad extremum ea dicit, quae quum, quantum ſapiens Antiquitas Poſteritati ſervandum, atque relinquendum eſſe cenſuerit, aperte doceant, tum Graeculis aetatis noſtrae veterum philoſophorum libros tanto ſupercilio deſpicientibus in memoriam revocare poſſunt, quantum ipſi Antiquitati Poſteritas debeat. Neque enim poſtremis aetatibus in recondita quaeque Naturae penetralia philoſophi recentiores pedem inferre tam feliciter potuiſſent, niſi antiquiores qua ſcrutando, qua tentando, qua conjiciendo, ſaltem inveſtigare ſemitam incepiſſent. At Senecae verba jam audiamus = *Veniet tempus*, inquit, *quo ipſa, quae nunc latent, in lucem dies extrahat, & lon-*

(*a*) Ariſt. *Meteorol. L. I. c. 6.* = Τῶν δὲ Ἰταλικῶν τινὲς, καὶ καλουμένων Πυθαγορείων, ἕνα λέγουσιν αὐτὸν εἶναι τῶν πλανητῶν ἀστέρων, ἀλλὰ διὰ πολλοῦ τε χρόνου τὴν φαντασίαν αὐτοῦ εἶναι, καὶ τὴν ὑπερβολὴν ἐπὶ μικρὸν, ὅπερ συμβαίνει καὶ περὶ τὸν τοῦ Ἑρμοῦ ἀστέρα =.

(*b*) *Lib. VIII. Natural. Quaeſt.*

longioris aevi diligentia. Ad inquiſitionem tantorum aetas una non ſufficit. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur =.

Quod Seneca fore praedixerat, id eventu ipſo impletum videmus. Etenim, ut Edmundus Halleyus cecinit (*a*).

„ *Quae toties animos veterum torſere Sophorum*
„ . . . .
„ *Obvia conſpicimus, nubem pellente Matheſi:*
„ *Quae ſuperas penetrare domos, atque ardua Coeli,*
„ *Nevvtoni auſpiciis, jam dat contingere Templa.*

Ille quidem Aſtronomorum Deus Cometas eſſe maxima corpora, quae a mundi exordio certos, ratoſque ſervent in Coelorum immenſitate curſus, tam aperte demonſtravit, ut ea de re non poſſint, niſi homines litterarum plane rudes, hac aetate dubitare.

Sed & eadem ſententia multum Ticoni debet, multum Hagezio, multum Caſſinio, qui anno 1680. menſe Decembri, poſtridie quam celeberrimi illius Cometae Caput diligentius inſpexerat, per totam hyemem conſpectum iri praedixit. Hic quidem Cometa non aliud infauſtum in orbem intulit, niſi quod Baylii temeritatem ad libros illos ſcribendos concitavit (*b*), quibus Chriſtianae Religionis ipſa fundamenta concuteret. At multo ſapientior Baylio Caſſinius, cum illius Cometae converſiones, ac motus diu, diligenterque advertiſſet, inde opinionem ſuam confirmavit de Cometarum orbe (Graeci ζωδιακὸν appellant) ſignis illis comprehenſo, quae verſibus hiſce complexus eſt,

„ *An-*.

(*a*) In Carmine praefixo Newtoni libro, cui titulus *Philoſophiae Naturalis Principia Mathematica*.

(*b*) Notus eſt eruditis Baylii liber = *Penſées Diverſes ecrites à un Docteur de Sorbonne a' l'occaſion de la Comete qui parut au mois de Decembre* 1680. *&c.* = Hunc alii libri conſecuti ſunt, quos ſaepius oppugnamus.

„ *Antinous, Pegaſuſque, Andromeda, Taurus, Orion,*
„ *Procyon, atque Hydrus, Centaurus, Scorpius, Arcus.*

Sed & Sapientum aliorum de Cometis opiniones eae fuerunt, quae animos ab omni ſuperſtitioſo, aut certe inani, metu liberarent. Nihil hic in Kepleri, Hevelii, Carteſii opinionibus explicandis immorabor, quae, ut falſae ſint, nihil tamen a Cometis timendum eſſe denunciant, nihil afferunt, quod vulgaribus quibuſvis erroribus faveat. Video quippe me longiorem in hac fuiſſe quaeſtione, quam neceſſitas poſceret.

Quid enim? An Baylius quidquam affert, quod univerſum Genus Humanum Cometas timuiſſe confirmet? Minime gentium. Nam quidquid affert, ad vulgus pertinet, hoc eſt ad homines neque a doctrina, neque a natura ſatis ad recte judicandum inſtructos. Quod ſi qui melioribus ingeniis homines inter eos, qui a Cometis terrebantur, aliquando extiterunt, & numero fuere perpauci, & non tantae ſcilicet auctoritatis, ut numquam ad vulgus revocari, & cum eo confundi facile poſſent. Jam a Baylio ſciſcitor iterum an vulgus hominum illi ſit totum Genus Humanum? Si affirmat, haud equidem video, cur totius Humani Generis propria illa omnia non dicat, quae vulgo communia ſunt. Nam & levitas, & mobilitas, & ſuperſtitio, & maximarum negligentia, & inanium admiratio, & fere omnium ignoratio rerum, & caetera ejuſdemmodi propria vulgi eſſe dicuntur. Num haec ad omnes homines petinent? Non puto illum affirmaturum. Nam & homines haud ita pauci ſunt, qui ſapientes, atque conſtantes merito audiant, ac multo plures, qui ſint ſapientiae ſtudioſi, quique ſaltem a vulgi opinionibus, ac vitiis immunes eſſe cupiant. Horum opiniones, cum Generis Humani ſententias inveſtigamus, non ſolae quidem conſiderandae ſunt, ſed tamen ſunt conſiderandae vel maxime. Quoniam & illud hic advertendum

eſt, homines ex vulgo plurimos in Sapientum ſententias non raro deſcendere, ut, quod ratione non poſſunt, auctoritate aſſequantur. Hinc ubi a ſapientibus opinio aliqua contemnitur, atque rejicitur, a pluribus eamdem vulgaribus hominibus rejici, atque contemni compertum eſt.

CAPUT XIII.

Falſitas exemplorum demonſtratur, quae ab Aſtrologia Iudiciaria, atque a Divinatione Baylius petivit.

AD Chaldaeorum jam, atque Aſtrologiae, quae Judiciaria dicitur, monſtra veniamus, de quibus Baylius noſter ſic opinatus eſt, id quod ſcriptum reliquit (*a*), ea conſenſu omnium hominum, ſi quid hujuſmodi conſenſus probet, utique poſſe probari.

Apud quos tandem iſta vir acutus diſputat, aut ſumit potius, & jactat? Nempe apud Chriſtianos, qui Sanctorum Patrum, atque Doctorum libros in manibus habent. Quid magis certum eſſe poteſt, quam in illis totum hoc praedicendi genus contemni, atque a Chriſtiana quavis civitate repudiari? Quotus autem quiſque in Chriſtiana doctrina firmus aut verum eſſe, aut veriſimile putat, perinde utcumque concurſu ſiderum temperatus aër inveniatur, ita pueros orientes animari, atque formari, ex eoque non modo ingenia, corpus, animum, at mores ipſos, vitae actionem, caſus cujuſque, eventuſque fingi? Quis aut Catholicus, aut Haereticus ita cum Chaldaeis, aut Priſcilliani diſcipulis delirat, ut putet, Vim illam adeo efficacem eſſe in orbe ſignifero, qui Graece ζωδιακὸς dicitur? Quis, inquam, putat eam eſſe vim, quae, perinde ut quaeque ſtellae aut accedant magis, aut recedant, modò hoc modò illo modo, vertat, immutetque Coelum, ut pro diverſo Coeli ſtatu diver-

(*a*) *Continuat. des Penſées* §. *XXXII. p.* 157. *& alibi.*

Digitized by Google

verſae in tellure hac noſtra publicarum, ac privatarum rerum converſiones fiant? Omnes, mihi crede, quicumque ſe Chriſtianos eſſe meminerunt, niſi forte propter ingenii tarditatem, aut alia quaevis vitia, turpiter hallucinentur, totam iſtam rem concedunt inventam eſſe fallaciis, aut ad quaeſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem (*a*).

Quid quod etiam Ethnici, ſin minus omnes, at certe plures, praſertim ex ſapientioribus, totam eamdem rem commentitiam putarunt? Notum enim eſt eruditis, quantum Chaldaeos (hoc enim nomine leviſſimi homines Aſtrologiam Judiciariam profeſſi venire ſolebant, qui & Mathematici appellabantur) fere omnes contempſerint, quotquot in melioribus Aſtrologiae partibus excelluerunt. Quo quidem in genere praecipue commemorandi & Eudoxus Platonis auditor, in aſtrologia judicio doctiſſimorum hominum facile princeps, & Anchialus, & Caſſander, & Scylax Halicarnaſſeus, ſummi etiam aſtrologi, qui diſerte profitebantur, Chaldaeis in praedictione, & in notatione cujuſque vitae ex natali die minime eſſe credendum.

Hos autem ſecutus eſt Panaetius, qui, ut Stoica eſſet ſuperſtitione occupatus, Aſtrologorum tamen praedicta rejecit, & magna quidem ex parte Diogenes, inter eoſdem Stoicos ingenii gloria nobilis.

Facile omitto, qui nobis tamen in hac quaeſtione favent, Epicureos, & Academicos. Alteri enim ita plerumque balbutiunt in graviſſimis quibuſque diſputationibus, ut eos prudentiſſimus quiſque contemnat. Alteri multa quidem contra Aſtrologiam Judiciariam diſſeruerunt, ſed ita, nihil ut affirmarent, quaererent omnia dubitantes plerumque, & ſibi ipſi diffidentes.

Antiquior mihi eſt Dicaearchi Peripatetici auctoritas, & ipſo Dicaearcho gravior ille Cratippus, quem principem ſuae aetatis philoſophorum Cicero nominavit. Hi enim, cum

(*a*) Vid. P. Paulum Segneri (*Incredulo ſenza Scuſa*) contra hoc hominum genus fuſe diſputantem.

cum quaedam alia relinquerent genera divinationis, hoc totum rejecerunt, de quo modo diſputamus. Eorum autem ſententias maxime probavit Quintus Tullius Cicero, ut ex libris Marci fratris *de Divinatione* conſtat.

Jam ego & eumdem hoc loco Marcum teſtem appellare poſſem, qui Chaldaeorum rationes non modo confutavit, ſed, cum eas expoſuiſſet, in graviſſimam illam exclamationem erupit = *O delirationem incredibilem! Non enim omnis error ſtultitia dicenda eſt* = At hic etiam fatendum eſt, non eſſe plurimum ejus hominis auctoritati tribuendum, qui modo hoc, modo illud Academicorum, de quibus diximus, more propugnat, & cujus mens inter varias diſcrepanteſque ſententias, tamquam ratis in immenſo pelago, flantibus ventis, nuſquam videtur poſſe conſiſtere. Itaque nos, ut alio loco dicebamus, maximo Ciceronis ingenium in pretio habemus, quin & eidem opiniones philoſophorum, atque aliorum exponenti, ac declaranti, propter ſingularem hominis, eximiamque doctrinam, non leviter eſſe fidendum arbitramur. Ejus autem judicia, cum certa idem, atque omnino firma judicia ferre noluerit, neque multum laudare poſſumus, neque vero ſequi debemus. Qui noverit, quantopere Ciceronis auctoritate cum Tolandus, tum Baylius, tum alii abuſi fuerint, facile videt, opinor, quorſum tota haec ſpectet oratio.

Itaque nobis illud ex Ciceronis contra Chaldaeos diſputatione afferre ſufficiat, quod ad extremum ſubdit (*a*) = *Sed quid plura?*, inquit, *quotidie refelluntur. Quam multa ego Pompejo, quam multa Craſſo, quam multa huic ipſi Caeſari a Chaldaeis dicta memini; neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum! Ut mihi permirum videatur quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum praedicta quotidie videat re, & eventis refelli* = Haec verba ſatis indicant, Ciceronis aetate Chaldaeorum artes non omnibus, praecipue ſapientibus, fuiſse pro-

 ba-

(*a*) *Lib. II. de Divinatione.*

Digitized by Google

batas. Nam ſi, quum quotidie refellerentur, omnibus tamen probatae illae fuiſsent, hoc enimvero ſe vehementiſſime Cicero mirari dixiſset, non autem quod homines adhuc eſsent, qui Chaldaeis crederent.

Ac ſane in probatiſſimis Latinorum auctorum libris non pauca legimus, quibus, vel maxime ſpretos ab iiſdem fuiſſe Chaldaeos, intelligamus. Unum, & alterum hoc loco laudare ſufficiat. Nam certe hoc genus hominum Seneca ſpernebat, cum has preces Parcae Mercurium fudiſse fingeret (*a*) = *Patere Mathematicos aliquando verum dicere, qui illum* (Claudium Auguſtum) *poſtquam Princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus efferunt* =. Tacitus autem eos vocat (*b*) = *Genus Hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur* =.

Haec Taciti verba illud in memoriam revocant, quod apud Tacitum ipſum, alioſque Latinos auctores haud ſemel legimus, videlicet quam ſaepe Roma fuerint Mathematici, eorumque artes exterminatae. Quis enim ignorat, quot in Mathematicos univerſos S. C. prodierint, quot promulgatae fuerint a Caeſaribus leges? (*c*) Id autem aperte oſtendit, eam facultatem ex Aſtris futura, vitam humanam ſpectantia, praedicendi non omnibus hominibus fuiſse probatam.

At cur non probata fuiſset, ſi quidquam Aſtra cenſerent in hominum vitam poſse conferre? Nam quod ea ſcelerati quidam homines abuterentur, non id effeciſset, ut ipſa proſcriberetur facultas. Quis enim neſciat, plurimos homines honeſtiſſima litterarum ſtudia peſſimos ad fines detorquere potuiſse? Nemo tamen ingenuas artes, liberaleſque diſciplinas a Republica deteſtatur, niſi vel a Maximino quopiam, vel a Licinio humanitatem omnem exuere jamdiu didicerit.

Ipſam

(*a*) *De morte Claudii Caeſaris.*

(*b*) *Lib. I. Hiſtoriar.*

(*c*) Baylius ipſe (*Penſées diverſes &c. à l'occaſion de la Comete &c. §. XVIII p.* 32.) fatetur, Aſtrologos Romae ſubſtitiſſe = *contre les ordres de les chaſſer que l'on donnoit de tems en tems* =.

Ipſam ergo, quam Mathematici profitebantur, artem eſse vaniſſimam, mendaciiſque ſuffultam ex Ethnicis haud ita pauci, praeſertim qui Rempublicam procurabant, arbitrati ſunt. Itaque falſum eſt, quod Baylius affirmavit, omne Genus Hominum in id conſenſiſse, ut quidpiam a Sideribus in vitam hominum manare poſse cenſerent. Etenim, qui in ea fuerunt abſurditate ſententiae, dici non poteſt, quantopere futilem illam facultatem, de qua locuti ſumus, colendam exiſtimaverint, & quanto cultores ejuſdem habuerint in pretio.

Sequitur ut de Divinatione videamus. Quamquam enim ad illius partem Aſtrologia Judiciaria pertinet, ſeparatim tamen hoc loco agendum eſse de illa duximus. Itaque duo ſunt contra Baylium ſubtili conſideratione ſecernenda.

Alterum eſt, quod vetus opinio ſit jam uſque ab heroicis ducta temporibus, atque omnium gentium firmata conſenſu, eſse aliquam Divinationem; ſeu, quod eodem redit, ope Divinitatis a quibuſdam intelligi, ac praedici poſse futura. In hoc autem nullus error eſt, nulla falſitas, nulla deceptio. Itaque non eſt, cur ea Ciceronis verba, a Baylio producta, vera eſse negem = *Gentem eſſe nullam, neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram, quae non ſignificari futura, & a quibuſdam intelligi, praedicique poſſe cenſeat* =.

Alterum eſt, quod bonae, atque utiles illae artes eſſent, quibus id ſe aſsequi poſse Arioli, Aruſpices, Augures, Vates apud Ethnicos mentiebantur. In hoc autem Humani Generis unanimem fuiſse, concordemque ſententiam, jactare poteſt, non vero demonſtrare Baylius. Scimus enim ſingulas illas artes a pluribus praecipue ſapientibus fuiſse contemptas. Hoc vel ipſa quodammodo indicant verba Quinti Ciceronis, quibus eſse Divinationem Marco fratri cupit oſtendere = *Quae eſt autem gens*, inquit, *atque civitas, quae non aut extis pecudum, aut monſtra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut aſtrologorum, aut ſortium* (*ea enim fere artis ſunt*) *aut ſomniorum, aut vaticinationum* (*haec enim*

 duo

duo naturalia putantur) *praedictione moveatur?* = Non dicit univerſa divinationum genera ſingulis gentibus, at ſingula ſaltem quibuſdam fuiſſe probata (*a*).

Quamobrem, ſi Quinti argumentum ad probandam Divinationem trahatur, ab Ethnicis celebratam, reponere ſtatim licebit, in tanta opinionum varietate illam eſſe amplectendam, quae Judaeis placuit, Deum ſcilicet per ſanctorum hominum vaticinia non ſemel, futuros rerum exitus aperire, voluiſſe. Sortes etiam aliquando, non Praeneſtinas illas, aut Delphicas, verum omnino alias, Dei monitu adhibitas non ſine magna utilitate fuiſſe. Somnia etiam addemus, ab eodem ſupremo Numine quibuſdam immiſſa hominibus germana ſanctitate praeſtantibus, ejus tamen generis, nullae ut cum iis philoſophorum vel maxime perſpicacium vigiliae comparari poſſent. Itaque nos etiam Divinationem agnoſcere, dummodo ne veniat eo nomine ſuperſtitioſa quaedam ars, a Stoicis defenſa, ſed vis a Divinitate manans praeſentiendi, ac praenoſcendi futura. Quid ad haec reſpondere potuiſſet Quintus, quo Romanam, aut Graecam ſuperſtitionem obtruderet? Nihil profecto, quod non facile a nobis confutari poſſet.

Nam quae tandem inter artes illas cum ratione praenoſcendi futura, quam olim ſequebantur Hebraei, poſſit, ut ita dicam, de dignitate contendere? Rationem illam maximi probaverunt & Judices, & Reges, & Sapientes, & Populi, cum omnis antiquior aetas iſtiuſmodi oraculorum veritatem eſſet experta. Ferebat autem ea ratio (paucis enim hoc loco multa complectar) ut a vero Iſraëlis Deo caſtis precibus, ac piis aliquando ritibus quibuſdam adhibitis, futuri rerum exitus exquirerentur. At ſi de ſingulis artibus loquamur a Stoica leviſſimis rebus leviore Gravitate probatis, rurſus a Quinto, & ab ipſo Baylio ſciſcitor, quaenam dici poſſit vel univerſis Ethnicis una quapiam aetate placuiſſe? Ex-

(*a*) Non alius eſſe videtur Æliani ſenſus in *Var. Hiſt. lib.* ubi poſtquam divinam Providentiam probavit, Divinationem quoque probat ex conſenſu hominum.

Extis, ajunt, utebantur omnes, ac de coelo ſervabant. At facile dici non poteſt, quantopere inter ſe iidem diſcreparent, qui iſta profiterentur, cum rationes, ut ego interpretor, aut a majoribus acceptas, aut a proximis uſurpatas ſtultiſſimae levitatis plenas eſſe viderent, melioreſque vellent inducere. Itaque Etruſcis, qui exarato illo Tagete auctore gloriabantur diſciplinae ſuae, nec non Romanis, qui tam praeclaram ab Etruſcis facultatem acceperant, laevum tonitru videbatur bona quaevis, ac fauſta portendere. Diſplicebat haec opinio Grajis, ac Barbaris univerſis, qui meliora dexteris fulgoribus praenunciare Jovis eſse cenſebant conſtantia dignius. Suam quoque diſciplinam ab Etruſca diverſam colebant Ægyptii, credo ne, ſi quid a Barbaris didicisse unquam viſi eſsent, per innumerabilia illa ſaecula, quibus ipſi ſoli fuerant, dormiviſse putarentur. Alia Marcus Tullius Cicero (qui tamen haec omnia contempſit) in Romanorum Augurum Collegio didicerat, alia, imo quaedam contraria Ciceronum hoſpes Dejotarus a ſuis acceperat (*a*).

Omitto dicere quam diverſa fuerit apud Elios, apud Piſidas, apud Cilices, Pamphylios, Lycios, Poenos augurii ratio. Illud potius obiter commemorabo, inter hos fortiſſimum Hannibalem, cum illa praelia tantopere Latinis matribus deteſtata commiſsurus eſset, longe alia ſagaci volvere animo conſueſse, quam quid ceciniſset cornix, quid Jovis armiger ales minatus eſſet, quale cor fuiſſet, aut fiſſum, aut caput jecoris, aut viſcerum color in opimo bove, cum ante aram Junonis ipſo bove ſtupidioris mactatus eſſet. Et Hannibalis quidem ſcitum illud, ac memoria dignum, quod Pruſiae dixit praelium inire abnuenti, quia exta prohiberent. = *An tu*, inquit, *carunculae vitulinae mavis, quam imperatori veteri credere?* =

Quid apud ipſos Romanos nobiliſſimi augures? quid aru-

(*a*) Conſtant haec ex libro II. Cicer. *de Divinat.*

aruſpices? mediocriterne aut illi, aut potius illorum artes contemptae ſunt a pluribus Viris, iiſdemque graviſſimis? Haud profecto dicet ab omnibus fuiſſe probatas, qui legerit eas Lucilii Balbi apud Ciceronem (*a*) querelas = *Maximae Reipublicae partes, in iis bella, quibus Reipublicae ſalus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrantur, nulla perennia ſalvantur, nulla ex acuminibus, nulli viri vocantur, ex quo in procinctu teſtamenta perierunt* = Ac ſane in Romana hiſtoria legimus praeclaros Imperatores, & Conſules attendere auguria noluiſſe; neque id triſti ſemper eventu, ut Junio, ut Flaminio, ſed & optimo, ut Marcello, ut Caeſari contigit.

Quid quod inter ipſos augures non levis de his iiſdem artibus diſſenſio fuit? Alii enim totum illud ſuperſtitionis genus cum Appio defendebant; alii vero cum Marcello putabant, &, quando verum exquirere ſine invidia poterant, dicere non dubitabant, omnia haec ad utilitatem fuiſſe Reipublice compoſita (*b*).

An vero ſi clariſſimi quique Viri dediti fuiſſent auguriis, tantopere mirari ſe Cato dixiſſet, quod non rideret aruſpex aruſpicem cum vidiſſet? An Cicero in Augurum Collegium cooptatus, ipſos Sibyllae verſus, per Augures tanta ſuperſtitione cuſtoditos, non divino afflatu fuſos, at callida quadam arte fuiſſe compoſitos, & = *plus ad deponendas, quam ad ſuſcipiendas religiones valere* = tam aperte ſcripſiſſet? An idem Cicero ea litteris mandare non dubitaſſet, quae ſapientiſſimi profecto Romani lecturi erant? = *Credo*, inquit, *Romulum, qui urbem auſpicato condidit, habuiſſe opinionem, eſſe in providendis rebus augurandi ſcientiam. Errabat enim multis in rebus antiquitas, quam vel uſu jam, vel doctrina, vel vetuſtate immutatam videmus. Retinetur autem & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates Reipublicae mos, religio, diſciplina, jus augurum, collegii auctoritas* (*c*) =.

Ne-

(*a*) *Lib. II. de Nat. Deor.*

(*b*) Vid. Cicer. *L. I. & II. de Divin. & L. II. Legum.*

(*c*) *De Divin. L. II.*

Digitized by Google

Neque vero illa Ciceronis de antiquitate verba ita interpretari debes, ut non modo ad antiquiores Romanos, ſed & ad omnes fere homines pertinere putes. Nam primo quidem plures haec in Graecia contempſere ſapientes, ut multis argumentis perſpici poteſt. Hinc idem Cicero vulgarem vocat Graecum illum contra Augures verſum,

„ *Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum.*

Deinde ipſe Cicero, cum ſibi objicit, omnes Reges, populos, nationes auſpiciis uti, omnia haec ad multitudinem, & imbecilles animos, atque ſuperſtitioſos pertinere, ſatis aperta oratione declarat. Quare haud equidem ſcio, an, totam hanc auſpiciorum cujuſdammodi artem non fuiſſe ſapientiſſimis quibuſque probatam hominibus, manifeſte ſignificet. Neque enim uſpiam Cicero multitudinis, ac ſuperſtitioſorum nomine homines liberaliſſimis artibus, ac ſapientiae gloria praeſtantes complecti ſolet.

Illud etiam hoc loco non debet omitti, quod in antiquioribus ipſo Cicerone Romanis Auctoribus ea quandoque leguntur, quae leviſſimum illud artificium ab iiſdem non offenſo populi animo contemni potuiſſe declarant. Hinc Pacuvianus ille in Chryſe phyſicus palam eos ridet,

„ . . . . . *qui linguam avium intelligunt,*
„ *Pluſque ex alieno jecore ſapiunt, quam ex ſuo.*

Ennius autem ea non ſemel protulit, quae nihil ſignificent apud illum divinandi quavis arte fuiſſe contemptius.

Jam vero ferme omnia, quae diximus, ad omne genus oſtentorum, ac portentorum pertinent, ſive etiam monſtra, atque prodigia, quibus oſtendi, portendi, monſtrari, praedici futura, vulgi levitas, & plurium philoſophorum, maxime Stoicorum, inſipientia arbitrata eſt. = *Sanguinem pluiſſe*, ait idem Cicero in II. *de Divinatione*, *Senatui nunciatum eſt*,

nar-

narratum eſt etiam fluvium fluxiſſe ſanguine, Deorum ſudaſſe ſimulacra: num cenſes ii nunciis Thalem, aut Anaxagoram, aut quemquam phyſicum crediturum fuiſſe? =

Jam reliqua Divinationis genera videamus. Baylius quidem fidenter pronunciat (*a*), flumina ſuis alveis exeuntia ab hominibus univerſis habita fuiſſe futurarum calamitatum indicia. At omne id qua ratione demonſtrat? Demonſtrat dico? Nihil minus Baylianum eſt. Hic magnum aliquid ſibi dicere videtur, cum id dicit, quod imperiti, qui plerique ſunt, libenter audiant, at paucorum vere doctorum hominum mentes aſpernentur, ac reſpuant. Nec vero quiſquam magis confirmare mihi videtur univerſi Humani Generis auctoritatem, quam hic, qui aliter eam elevare non potuit, niſi ad iſtiuſmodi commenta confugeret.

Equidem numquam id, quod Baylius hoc loco a nobis credi jubet, apud Scriptores, aut Latinos, aut Graecos, me inveniſſe memini. Imo cum multa ſint a quibuſdam Philoſophis de Divinatione accurate, copioſeque diſputata, hoc totum genus aut omnino praetermiſſum, aut admodum leviter, ac ſtrictim attactum fuiſſe, animadverto. Quin & plures duo tantum illa genera, furoris, atque ſomniorum, probaviſſe compertum eſt, reliqua omnia ſuſtuliſſe. Denique cum multi ea ipſa Divinationis genera palam contemnerent, quae majorum auctoritate populus complexus erat, eo magis dicendi ſunt nihil fere, niſi vaſtitatem ſegetum, a fluminibus timuiſſe, quae ſupra notas ripas aut nix, aut imber aluerat.

Nihilo melius illud eſt, quod magis etiam Baylius urget, Divinationem per ſomnia Generis Humani conſenſu poſſe probari (*b*). Quamquam hic ſcire velim, de quibus ille ſomniis loquatur. Etenim per ſomnia Divinitatem ſanctiſſimis aliquando viris, quae voluit, aperuiſſe, nobis, qui

Θεοπ-

(*a*) *Contin. des Penſées* §. *XXXII. p. m.* 157.

(*b*) *Contin. dés Penſées* §. *XXXII. p.* 157. & 158.

Θεοπνεύστῳ Scripturae credimus, omnino tenendum eſt. At ſi de ſomniis loquatur, quae levitas, aut ſuperſtitio vulgaris attendat, jam audiat, quid ille Cicero doceat, ad quem hujus noſtrae diſputationis initio confidentiſſime provocabat = *Illud quidem perſpicuum eſt*, inquit, *nulla viſa ſomniorum proficiſci a Numine Deorum. Noſtra enim cauſa Dii id facerent, ut providere futura poſſemus. Quotus igitur eſt quiſque qui ſomniis pareat, qui intelligat, qui meminerit? Quam multi vero, qui contemnant, eamque ſuperſtitionem imbecilli animi, atque anilis putent! Quid eſt igitur cur his hominibus conſulens Deus ſomniis moneat eos, qui illa non modo cura, ſed ne memoria quidem digna ducant?* = Potuiſſetne clarius aliquid Cicero ſcribere, ſi res illi non cum Stoicis, & cum Quinto Fratre, ſed cum Baylio ipſo fuiſſet?

Quod pertinet ad Sortes, quibus Ethnici plures cum ſuperſtitioſa ſollicitudine, & miſeria crediderunt, clariſſimae quondam habitae ſunt Praeneſtinae. Num tamen Genus Humanum non temeritate potius, & caſu illas regi putavit, quam ratione, atque conſilio? Equidem & a Carneade, ut Clitomachus apud Ciceronem auctor eſt, dici conſueſſe memini, nuſquam ſe fortunatiorem, quam Praeneſte vidiſſe Fortunam, neque tamen ejus invenio temeritatem a caeteris caſtigatam fuiſſe, & Ciceronis ea verba memoria teneo, quae rem totam pene conficiant = *Fani pulchritudo*, inquit, *& vetuſtas Prpaeneſtinarum etiamnum retinet ſortium nomen; atque id in vulgus. Quis enim magiſtratus, aut quis vir illuſtrior utitur ſortibus? Caeteris vero in locis ſortes plane refrixerunt* =.

Ex iiſdem Ciceronis *de Divinatione* libris colligere licet, non ab omnibus profecto ſapientibus fuiſſe probatum divinandi genus illud per furorem ab Apolline immiſſum, quo fieret, ut, quae ſapiens non videret, ea videret inſanus, & is, qui humanos ſenſus amiſerat, divinos aſſequeretur. Ipſa illa Delphis Oracula ita viluerant, ut, jamdiu Apollinem facere verſus deſiiſſe, non minus vere quam facete Cicero ſcripſerit.

Quin & Demoſthenes, annis fere trecentum antequam iſta Cicero mandaret litteris, Φιλιππίζειν Pythiam, hoc eſt auro corruptam Philippo favere, in maxima Athenienſium corona pronunciare, non dubitabat. Quod quidem ſatis declarat, quo in pretio tantus vir Delphica Oracula habenda eſſe cenſeret.

Alii praeterea non deerant, qui citius a Sacerdotum fraudibus, lucelli gratia furioſos imitari non dubitantium, quam a juvene illo flavo, atque imberbe Deo, qui *os rabidum, fera corda domans* premendo fingeret Pythiam, tam ſagacis dementiae cauſas eſſe repetendas arbitrarentur. Non aliud fere, quam iſtud, mea quidem ſententia, ex toto Antonii Vandalii libro de Oraculis colligi poteſt.

At, his omiſſis, quoniam Oracula, magis quam alia quaelibet genera Divinationum, probata Ethnicis aliquando fuiſſe, non inficiamur, eſt quod acutius hic, attentiuſque conſideres. Etenim a Baylio ſciſcitor. Si Ethnici Oracula ſequebantur, in quo fallebantur? In cauſis, puto, Oraculorum potius, quam in ipſis Oraculis. Nam & quod aliquid ex Delphico, aut Dodonaeo, aut Hammonis illo ſimulacro funderetur, verum erat, & quod interdum aliqua futura praenunciarentur.

Etenim puto cum Baltho, non quidem ſemper, at ſaepius, malos Genios per ea ſimulacra, vel per os Pythiae, vel per ſortes illas, aut Clarium fontem, aut pueros ludentes in viis, aut alios vates, fuiſſe locutos, quo ſuperſtitionem foverent, quae fuſa per gentes innumerorum hominum animos oppreſſerat. Jam Genios illos, cum incredibili polleant ingenii vi, penitus multa perſpicere, quae nos videre non poſſumus, multa etiam futura conjecturis aſſequi, aperte docet Auguſtinus, quem libenter Chriſtiani ſequimur. Et ille quidem eoſdem Genios addit, cognitiones etiam abditas hominum = *cum ſigna quaedam ex animo exprimuntur in corpore* = quandoque noſſe; ex quo item fiat, ut multa monere poſſint, quae ſapientiam quamlibet hominum omnino fugiant. Ita-

Itaque non tam Ethnici errabant in eo, quod per Oracula putarent, futura ſe quaedam poſſe praenoſcere (non enim omnia ſe ſcire poſſe credebant, cum advertiſſent, partim flexiloquis, & obſcuris, partim ambiguis rationibus oracula fundi) quam in eo, quod Oraculorum auctoribus Divinitatem ineſſe arbitrarentur.

Jam vero haec totius Humani Generis opinio, vel ſaltem Ethnicorum, qui Oraculis credebant, nullo modo fuiſſe dicenda eſt. Etenim & ex Plutarcho, & ex Seneca, & ex Porphyrio, & ex ipſo Cicerone diſcimus, de cauſis Oraculorum non unam omnium fuiſſe, concordemque ſententiam. Plures enim Deos iiſdem praeeſſe opinabantur. Plures a Fato regi dicebant occulta quadam ratione, nec a ſuis quidem, ut ego arbitror, auctoribus intellecta. Plures demum ab occulta quadam vi telluris ipſius ea repetebant, unde neſcio quis anhelitus, aut afflatus fieret, qui providas futurarum rerum mentes efficeret. Omnes iſti quidem inſaniebant. Non tamen hinc ſequitur, ſi quid video, unam quampiam vaniſſimam opinionem hominibus univerſis placere potuiſſe.

Ad extremum contra Baylium illud adverti velim, quod ipſius etiam hac in re noſtra levitatem, & inconſtantiam oſtendat. Pugnat ille (*a*), ut Deus auctor mundi non fuerit communi conſenſu hominum exiſtimatus. Quid ita? Epicurus nempe eum ſuis, & Democriticorum familia contradicit, praeter eos, qui Anaxagorae praeceſſerunt aetatem. Atqui Epicurus etiam cum ſuis ita Divinationem omnem funditus ſuſtulit, ut nihil apud eoſdem philoſophos eſſe poſſet illa contemptius. Democritus quidem, niſi jocatus eſt, ut nonnulli putant, praeſenſionem rerum futurarum comprobavit. At nihil hinc ad rem noſtram. Colophonius enim Xenophanes, cum Deos eſſe diceret, Divinationem tamen omnem rejecit; cui quidem plurimos ex Elea ſchola philoſophos, ut caeteris in rebus, aſſenſos fuiſſe, credibile

 omni-

(*a*) *Contin. des Penſées §. XXI.*

omnino eſt. An propter tantam philoſophorum iſtorum diſſenſionem non debeat ſaltem ſuſpicari Baylius, ſi conſtare ſibi velit, Divinationem univerſo Generis Humani Conſenſu non fuiſſe probatam?

Multo validius eſt contra Baylium argumentum, quod ſubjicio. Hic enim putat, non poſſe totius Humani Generis teſtimonio confirmari, quod noſtra gubernet Deus, aut nobis bona largiatur. Quid enim? ait. Plures negant, ut ex Libro II. Ciceronis *de Divinatione* colligere licet.

Quid habet eo loco Cicero? Cedo, Bayli, cedo ejus verba. Convellere videlicet eo loco Cicero nititur quoddam argumentum Stoicorum, in quo id ſumebatur pro conceſſo, & probato = *Si ſunt Dii: benefici in homines ſunt* = Ait ergo Cicero Academicum agens, contra omnia probabiliter dici poſſe putantem = *Quis hoc vobis dabit? Epicuruſne, qui negat quidquam Deos nec alieni curare, nec ſui? An noſter Ennius? qui magno plauſu loquitur, aſſentiente populo,*

„ *Ego Deum genus eſſe ſemper dixi, & dicam, Coelitum:*
„ *Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus* =.

Vide jam, Bayli, ne, quod dicis, totum in hac noſtra controverſia ſit a me. Nam & Epicurus, & Ennius cum iis, qui Epicurum, atque Ennium tam libenter audiebant, iſtas artes nullo modo probabant, quibus poſſent homines futura praenoſcere. De Epicuro manifeſta res eſt, nec tibi, qui tam eruditus etiam in hiſtoria philoſophiae videri vis, ignota eſſe poteſt. Ennius autem ille *ingenio maximus, arte rudis* paucis poſt verſibus, eodem plaudente populo, ea cecinit:

„ *Non habeo denique nauci Marſum Augurem,*
„ *Non vicanos aruſpices, non de circo aſtrologos,*
„ *Non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomniûm.*
„ *Non enim ſunt ii aut ſcientia aut arte divini,*

„ *Sed*

„ *Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque arioli;*
„ *Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:*
„ *Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.*
„ *Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam ipſi petunt,*
„ *De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant caetera.*

Illud etiam hic libet advertere, plures homines fuiſſe, qui Divinationem contemnerent, ut ex eodem Ciceronis libro conſtat, quam qui Deos eſſe dicerent, neque tamen beneficos, generique hominum amicos eſſe concederent. Pugnat itaque ſecum ipſe Baylius, dum fidenter ſane ſcripſit, neque ſemel, Divinationem ab univerſo Humano Genere fuiſſe receptam, quamvis eodem in libro Providentiam, ac Beneficentiam Divinitatis ab eodem Humano Genere agnitam fuiſſe neget.

CAPUT XIV.

Sanctorum Eccleſiae Patrum de Ethnicis Unitatem Dei agnoſcentibus ſententia proponitur, & a quodam Baylii argumento vindicatur.

Quamquam ſatis multa Baylio reſpondimus, in immanibus Ethnicorum erroribus peſſimae cauſae praeſidium fruſtra conquirenti: non tamen ullo modo committemus, ut reſponſionem aliam a graviſſimis auctoribus uſurpatam deſerere videamur. Negant enim, & cur negent afferunt, Ethnicis univerſis plures Deos fuiſſe viſos, cum multa potius Unitatem Dei ab iiſdem agnitam eſſe non obſcure demonſtrent.

Nituntur autem praecipue multorum ex illis praeclaris hominibus auctoritate, quos Eccleſia Chriſtiana quaſi patres, atque doctores jam uſque ab antiquioribus aetatibus venerari ſolet, atque conſulere. Hinc enim contra Ethnicos pugnat Juſtinus, Athenagoras, Minutius Felix, Tertullia-

lianus, Theophilus Antiochenus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus; Arnobius, Cyrillus, Lactantius, Auguſtinus, Oroſius, Prudentius (a), aliique plures.

Praecipue vero laudant ii Patres ſapientum aliqua Scriptorum; nec modo philoſophorum, ſed & poëtarum graviſſime dicta, ut unum ab illis fuiſſe Deum exiſtimatum ſuperſtitioſis innumerabilium Numinum cultoribus oſtendant. Neceſſe non eſt illorum teſtimonia deſcribere, cum eos in hac fuiſſe opinione Baylius ipſe non inficietur, at contra eo nomine carpat, quod iſta ſenſerint.

Hic obiter potius advertendum, quam inſanus impii Bulangeri ſit furor, qui Chriſtianorum temeritatem accuſat, quod praeclaram de uno Deo doctrinam ſuae tantummodo Religionis eſſe jactaverint (b). Quin & eo uſque ſe perditi Scriptoris audacia effert, ut ad convincenda, ut ipſe ait, Chriſtianorum mendacia, non modo Moyſem, ſed & Sapientes Ethnicos Unitatem Dei agnoviſſe, magnopere probare contendat.

Valde ſimilia olim Catholicis objecerat Fauſtus, Manichaeorum illa quidem aetate facile princeps. Cui magnum illud Eccleſiae lumen Auguſtinus id reſpondit, quod impio nos Bulangero, inter alia multa, reſpondere poſſemus = *Diſcat ergo Fauſtus Monarchiae opinionem non ex gentibus nos habere, ſed gentes non uſque adeo ad falſos Deos eſſe delapſas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo eſt omnis qualiſcum-*

(a) Juſtin. *in Cohort. ad Graec. & lib. de Monarch.*, Athenag. *in Apol.*, Minut. Fel. *in Octav. C. XIX.*, Tertull. *in Apol. C. XXIV. & alibi*, Teoph. Ant. *ad Autol.*, Cyprian. *de Vanit. Idol.*, Clem. Al. *in Strom. & Cohort. ad Gent.*, Arnob. *L. I. adv. Gent.*, Cyrill. *L. I. cont. Iul.*, Lactan. *Div. Inſt. L. II. C. I.*, Aug. *contr. Fauſt. & alibi*, Oroſ. *Hiſt. L. VI. C. I.*, Prud. in *Apoth. v.* 186.

(b) Boulanger *Chriſtianiſ. Devoilé Ch. VII. p.* 86. 87. ubi etiam illud ſumit, eſſe nobis eam doctrinam inſtar myſterii, quod naturalis ratio non aſſequatur = *Secret, que ſelon eux (les Chrétiens) les hommes euſſent été par eux mêmes incapables de découvrir* = & caetera impudentiſſime.

liſtumque natura (*a*) = Hoc, inquam, illud eſt, quod Chriſtianos antiquiorum Eccleſiae Patrum graviſſima docet auctoritas.

Aliqui etiam ex iiſdem Sanctiſſimis Patribus longius hac in re progrediuntur. Quod enim ſit unus Deus, Naturae monitu Ethnicorum ipſi vulgo conſtare, non modo affirmant, ſed optima ratione probant.

Etenim Minutius Felix = *Quid quod*, inquit (*b*), *omnium de iſto* (quod ſit unus Deus) *habeo conſenſum? Audio vulgus, cum ad Coelum manus tendunt; nihil aliud, quam Deum dicunt, &, Deus magnus eſt, &, ſi Deus dederit. Vulgi iſte naturalis ſermo eſt, an Chriſtiani confitentis oratio?* =

Tertullianus autem idem argumentum urget, tum *in Apologetico*, ubi ſimilibus vulgi vocibus diligenter notatis = *O teſtimonium*, inquit, *animae naturaliter Chriſtianae!* = tum per totum librum, quem *de Teſtimonio Animae adverſus gentes* inſcripſit.

Conſentit his Cyprianus (*c*), qui = *Vulgus*, ait, *in multis Deum naturaliter confitetur; cum mens, & anima ſui auctoris, vel principii admonetur, dici frequenter audimus; o Deus, &, Deus videt, &, Deo commendo, &, Deus mihi reddet* =.

Fuſior etiam Lactantius eſt in Unitate Dei Ethnicorum teſtimonio comprobanda, cujus etiam ea verba ſunt = *Cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, ſed Deum nominant. Adeo ipſa veritas cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit. Quod quidem non faciunt in proſperis rebus* = & caetera, quae magna eloquentia perſequitur (*d*).

Hoc

(*a*) Haec Auguſt. *in libro contra Fauſtum*. Hic ſin minus ex Auguſtini, ſaltem ex Fauſti auctoritate novorum Manichaeorum princeps Baylius diſcere poteſt, quam falſum cenſeri debeat, quod ipſe ſcribit (*Réponſe aux Queſtions &c. Cap. CVII. a p. 717.*): Ethnicos *Polyarchiam* Numinibus tribuiſſe. Quem Baylii errorem Juſtini Martyris liber de Monarchia Dei aperte confutat.

(*b*) *Loc. cit.*

(*c*) *Loc. cit.*

(*d*) *Loc. cit.*

Hoc ſanctorum Eccleſiae Patrum argumentum Baylius non mediocriter ſpernere viſus eſt (*a*). Habet autem, Ethnicos, etſi plures Deos eſſe credebant, vocem tamen *Deus* in ſingulari numero aliquando uſurpaſſe nota illa figura, qua dicimus: homo inconſtans eſt, malus Genius ad malum allicit, miles urbem depopulari exoptat, ut non idcirco unicum eſſe hominem, unicum eſſe malum Genium, vel unicum militem ſignificare velimus.

Ita qui diſputat, rationem illam a Sanctis Patribus uſurpatam non bene percepit. Vis enim illius omnis non in eo eſt, quod vocem *Deus* in ſingurali numero Ethnici non raro uſurpent: at in eo, quod iidem Ethnici, cum ex animo, ac naturae ipſius quodam inſtinctu loquuntur, eodem fere modo, quo Chriſtiani, de Deo loquantur. Hoc enim certe animadverſione dignum eſt, quod, cum praeter avitam ſuperſtitionem nihil animum occupat, cum nulla gravior cogitatio hominem ad ſe redire cogit, ſecumque, ut dicitur, vivere, cum nulla vis, nullus caſus, nullus timor impendet, tunc Ethnici tam multa de ridiculis quibuſque Diis narrare ſoleant, omnia ſigilla numerent, & Penatibus libent, & minorum, ac majorum Gentium Numinibus tam libenter ſacra faciant: at iidem, ſi forte ſubito caſu perculſi, aut alia quapiam ratione commoti praeſens exoptant Divinitatis auxilium, non jam aut Mercurium, aut Venerem, aut ipſum Jovem, aut Deos invocent, ſed oculos ad coelum tollant, Deum compellent, aut anteſtentur, ita demum loquantur, ac ſi Chriſtiana doctrina fuiſſent imbuti. Quid igitur abſurdi eſt, ſi vel hinc quiſquam effici velit, Ethnicos naturae monitu Deum unum agnoſcere, quamquam ſuperſtitionis vitio plurimos venerentur?

Acutior profecto Baylius, quam Platonicus ille Plotinus, licet Ethnicus, atque ipſos inter Ethnicos a doctrina notiſſimus. Is enim tam inepto, ſi Superis placet, argumen-

to

(*a*) *Continuat. des Penſées &c.* §. *XXVI. p.* 116.

to Chriſtianorum convictus, ut Chriſtianam doctrinam recipere nollet, unicùm tamen eſſe Deum, fateri non dubitavit. Ejus enim ea verba celebrantur = *Unum quiddam, idemque numero eſſe ſimul ubique totum, communis indicat mentis humanae conceptus: quando omnes naturali quodam inſtinctu clamant, in unoquoque noſtrum eſſe Deum; adeo ut unus in omnibus, idemque ſit Deus* =. (*a*)

At his omiſſis tota haec de opinionibus Ethnicorum quaeſtio diligentius a nobis, quam a Baylio factum fuerit, tractanda eſt; quo illius argumenta contra Sanctorum Patrum auctoritatem excogitata ſolvere, ac diſſipare poſſimus.

CAPUT XV.

Quaeſtio reſolvitur, an Deum eſſe unum Ethnici dicere ſolerent.

PRincipio quidem quaeſtio de voce a quaeſtione de ipſa re diligenter diſtinguenda eſt. Nam de voce quaeſtio, ſed tamen utilis, atque jucunda, poteſt inſtitui; utrum Ethnici, ideſt homines a Judaea, & a Chriſtiana Religione abhorrentes, dicerent plures eſſe Deos, an unicum.

In hac autem quaeſtione alia eſt de temporibus Chriſtianae Legis promulgatione poſterioribus, alia de antiquioribus adhibenda reſponſio. Nam qui ad illa pertinuere philoſophi, unicum Deum eſſe tum habendum, tum appellandum; facile concedebant. Ridicula vero illa Numina patrum religione culta Dei Miniſtros eſſe jactabant, aut quaſdam tamquam imagines, divinae Naturae, quae maxime ſimplex eſſet. Attributa exprimentes, aut etiam illius partes, & quaſi membra divinis honoribus profecto digniſſima (*b*).

 Mul-

(*a*) *Enne. VI. Lib. V. C. I.*

(*b*) Hinc Maximus Grammaticus apud Auguſtinum (in epiſt. quae eſt inter Auguſtinianas) = *Hujus vero* (Dei) *virtutes per mundanum opus diffuſas multis vocabulis invo-*

Multa quidem in hanc rem ex Plotino, quem laudavimus, & ex Porphyrio, & ex Proclo (*a*), nobilibus item Platonicis, afferre poſſemus. At neceſſe non eſt ſingulorum teſtium verba producere. Oroſius enim, cui certe, quid Ethnici dicerent, notiſſimum erat, de univerſis Ethnicis non dubitavit ea ſcribere (*b*) = *Dum intento mentis ſtudio quaerunt, ſcrutanturque omnia, unum Deum auctorem omnium reperiſſe, ad quem unum omnia referuntur. Unde etiam nunc pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis, quam de ignorantia convincit; cum a nobis diſcutiuntur, non ſe plures Deos ſequi, ſed ſub uno Deo magno plures miniſtros venerari fatentur. Reſtat igitur de intelligentia veri Dei per multas intelligendi ſuſpiciones confuſa diſſenſio, quia de uno Deo omnium pene una opinio eſt* =.

Nihil in hac re longius immorari neceſſe eſt, cum Baylius ipſe, quod volumus, concedere videatur. Etenim, cum ex Platonicis etiam Alexandrinis multa Cudworthus attuliſſet, ut unicum Deum Platonicis fuiſſe creditum oſtenderet, Baylius inter caetera reſpondit: non magnopere attendendum eſſe, quid ejuſdem ſcholae philoſophi poſt Chriſti tempora docuerint. Cum enim a Chriſtianis acriter premerentur, non eadem, qua vetuſtiores, ratione fuiſſe locutos.

Jam ergo de temporibus loquamur, quae Chriſtianae Religionis exordia praeceſſerunt. Hic Baylio ſtatim concedimus, non modo vulgares Ethnicos, at philoſophos ipſos aperte dixiſſe, non modo plures, at plurimos eſſe Deos. Quamquam & hoc non ita intelligendum eſt, nulla ut addi poſſit exceptio.

Or-

vocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium ignoramus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen eſt. Ita fit, ut dum ejus quaſi membra carptim variis ſupplicationibus proſequimur, totum colere profecto videamur = Vid. Aug. ep. 16. 17.

(*a*) Plot. *Enne. L. VIII. C.* 1. 2. *&* 6. *L. IV. C.* 1. 2. 4. Porph. *L. II. de Abſtin. & L. de Occa. C. XXI.* Procl. *in Theol. Platon. & Lib. de Anim. & alibi.*

(*b*) *Lib. VI. Hiſt. C.* 1.

Orpheus enim aliquando ſapientior factus cecinisse dicitur:

„ *In cunctis Deus unus* „ (*a*)

qui tamen alias tercentum ſexaginta Deos induxerat, & Xenophanes Colophonius, Deum eſſe unum, aperte profitebatur, quando ſuos pandebat animi ſenſus, non autem alienae ſuperſtitioni ſerviebat; itemque Zeno Cittiaeus, quem injuria quidem advenam, & ignobilem verborum opificem Cicero vocat, acute dicebat, ſi Ariſtoteli fides = *unum Deum, aut nullum Deum* =.

Pythagorae quidem ea verba feruntur a Clemente Alexandrino in veterum philoſophorum ſcriptis magnopere exercitato = *Deus quidem eſt unus. Is autem non eſt, ut quidam exiſtimant, extra mundum, ſed in ipſo totus; in toto circulo, praeſes omnis generationis, univerſorum temperatio, ſemper exiſtens, & opifex ſuarum virium, & operum omnium: in coelo illuminator, omnium pater, mens, & animatio totius circuli, omnium motus* = (*b*).

Idem vero ille Plato, qui vulgarem loquendi rationem ſequi non erubuit, cum potius ipſe vulgo non modo recte cogitandi, ſed & recte loquendi auctor eſſe deberet, ſupremum tantummodo Numen Dei nomen mereri quandoque profeſſus eſt. Ejus enim fertur ad Dionyſium Syracuſarum Tyrannum epiſtola, qua ipſum ita monuerit = *Hinc diſces tu, ſcribam ego ſerio, nec ne; cum ſerio, ordior epiſtolam ab uno Deo, cum ſecus, a pluribus* = Cyrillus autem affert Porphyrii teſtimonium, quo diſerte affirmat, Platonem = *de uno*

T t 2 *Deo*

(*a*) Εἷς Θεὸς ἐν πάντεσσι. Vide alios ejus verſus apud Petavium *Theolog. Dogm. L. I. C.* 3.

(*b*) *In Cohort. ad Gent. ſeu Protrept.* Pythagorae haec verba ſunt = Ὁ μὲν Θεὸς εἷς· χ' οὗτος δὲ οὐχ, ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τῆς διακοσμήσεως, ἀλλ' ἐν αὐτᾷ ὅλος, ἐν ὅλῳ τῷ κύκλῳ, ἐπίσκοπος πάσας γενέσιος, κρᾶσις τῶν ὅλων, ἀεὶ ὤν, καὶ ἐργάτας τῶν αὐτοῦ δυνάμιων, καὶ ἔργων ἁπάντων, ἐν οὐρανῷ φωστήρ, καὶ πάντων Πατήρ, Νοῦς, καὶ ψύχωσις τῷ ὅλῳ κύκλῳ, πάντων κίνασις =.

Deo & ſenſiſſe, & locutum eſſe: nullum vero nomen ei convenire; neque humanam mentem eum capere: & appellationibus, quae a poſteriori dicuntur, eum improprie declarari =. (a)

Sophocles quidem nobiliſſimus Tragoediarum ſcriptor non uſque adeo veritus eſt populi ſuperſtitionem, ut ſenarios illos edere dubitaret a Juſtino, Athenagora, Clemento, Cyrillo, Euſebio, atque a recentioribus Grotio, Petavio, Huetio, Valſecchio, aliiſque pluribus magnopere celebratos.

„ *Unus profecto eſt; unus eſt tantum Deus:*
„ *Qui Coelum, & amplum condidit Terrae globum,*
„ *Mariſque fluctus, vimque ventorum gravem.*
„ *Plerique noſtrum mente ſed capti, Deum*
„ *Simulacra nobis, ceu mali ſolatium,*
„ *Cum ſaxea, atque acerna conſecravimus:*
„ *Sive aureas, eburneaſque imagines:*
„ *Sacris & iſtos colimus; his feſtos dies*
„ *Agimus: pios hoc eſſe nos remur modo.* (b)

Quod

(a) Cyrillus *L. I. con. Julianum* qui haec Porphyrium in IV. Libro *Hiſtoriae Philoſophicae* ſcripſiſſe teſtatur. Ait enim =Πορφύριος δὲ φησιν ἐν βιβλίῳ τετάρτῳ φιλοσόφου ἱστορίας, δεξιῶσαι τε τὸν Πλάτωνα, καὶ μὴν καὶ φράσαι πάντων περὶ ἑνὸς Θεοῦ, ὄνομα δὲ αὐτῷ μηδὲν ἐφαρμόττειν, μηδὲ γνῶσιν ἀνθρωπίνην αὐτὸν καταλαβεῖν, τὰς δὲ λεγομένας προσηγορίας ἀπὸ τῶν ὑστέρων καταχρηστικῶς αὐτοῦ κατηγορεῖν=.

(b) Ita a laudatis Patribus ii verſus exhibentur.

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστιν Θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίᾳ πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὰς,
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων τε, καὶ ξύλων·
Ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους.
Θυσίας τε τούτοις, καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Hic autem notatu dignum eſt, non modo Sophoclem, ſed & alios poëtas tragicos, ut Euripidem, & Menandrum de Natura divina praeclara quaedam ceciniſſe. E. g. Euripides apud Clement. Alex. *L. V. Strom.* haec habet.

Σε

Quid plura? Ipſe Cicero, non quidem ſemper, ſed tamen aliquando ita locutus eſt, ut unum videretur Numen agnoſcere, quod vere, ac proprie Deus & haberi, & vocari poſſet. In primo enim *Tuſculanarum Quaeſtionum* ea ſcripſit = *Nec vero Deus ipſe qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quaedam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & movens, ipſaque praedita motu ſempiterno* = Jam hujuſmodi Mentem non fuiſſe niſi unam a Cicerone exiſtimatam, tum ipſius verba eodem illo libro indicant, tum ſatis ex eo conſtat, quod numquam aut ille, aut alius Ethnicus arbitratus fuerit, ſingulas Naturas homine meliores *omnia movere*, atque *ſentire*, cum ipſae *motu eſſent praeditae ſempiterno*.

Caeterum vehementer dolendum eſt, tantum ingenium neque ſatis firmam, & certam de Unitate Dei ſententiam habuiſſe, & non parum abſurdas opiniones de praeſtantiſſima illa Natura fuiſſe aliquando ſecutum. Nos tamen non mo-

Σὲ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ
Ῥύμβῳ, πάντων φύσιν ἐμπλέξαντα;
Ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία
Νὺξ αἰολόχρως, ἀκριτός τ' ἄστρων
Ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει. &c.

Videlicet:

„ *Te qui parente non ab ullo genitus,*
„ *Rerum ſuperno vim pervolvis turbine,*
„ *Quem lux refulget circum, quem verſicolor*
„ *Nox circum Olimpo fertur, & cui Siderum*
„ *Tam variis micans cohors luminibus*
„ *In gyrum alacres uſque ducit choreas. &c.*

quo loco quaedam a Job divinitus dicta videtur poeta Graecus exprimere. Menander autem apud Juſtinum *de Monarchia* ita canit.

Δεῖ τὸν ὄντα κύριον πάντων ἀεὶ,
Καὶ πατέρα, τοῦτον διὰ τέλους τιμᾶν μόνον,
Ἀγαθῶν τοσούτων εὑρετὴν καὶ κτίστορα.

Nimirum:

„ *Nam cui poteſtas ſemper omnium, Patrem*
„ *Hunc uſque ſacris proſequi ſolum decet,*
„ *Qui cuncta repperit bona, & fecit ſimul.*

modo ipſum Atheum non habemus (*a*), ſed & aliqua omnino praeclara, quae vis ipſa veritatis, ut ita dicam, a divino ejus ingenio quandoque expreſſit, afferre non dubitamus.

Alios Auctores Ethnicos hic omittimus, quos afferre poſſemus, ne longiores hic ſimus, quam neceſſitas poſtulat. Etenim pleroſque Ethnicos Dei nomine non modo ſupremum Numen, ſed alia quoque appellaviſſe, fatendum omnino eſt. Caeterum illorum, quos laudavimus, auctoritates aliquid contra Baylium efficere poſſe, doctus, ac ſapiens lector intelligit.

CAPUT XVI.

Ethnicos plurimos imperfecta quadam ratione Unitatem Dei agnoviſſe probatur.

NUnc graviſſimam illam quaeſtionem ſolvamus, oportet, quam de ipſa re fieri poſſe diximus, videlicet an revera Ethnici nobiliſſimum illud Attributum ſupremi Numinis agnoverint, quod Unitatem Dei vocare conſuevimus. Hic etiam a nobis nova quaedam diſtinctio adhibenda eſt. Primo enim de ipſis Ethnicis generatim, atque univerſe loquemur, deinde ſingillatim de philoſophis, ac ſapientioribus Viris inter Graecos, atque Romanos.

De illis equidem ita ſtatuo: Unitatem Dei non fuiſſe ab iis rite cognitam (*b*); ſed tamen aliquam ejuſdem imperfe-

(*a*) Multa, quae ex Ciceronis libris attulimus, illum non omnino Divinitatem e medio ſuſtuliſſe demonſtrant. Quare nimis in Ciceronem acerbi fuerunt, qui fuiſſe Atheum putarunt. Nominat eos Reimmannus *Hiſt. Atheiſmi C. XXXVIII. §* 3. *p.* 273.

(*b*) Hoc tantummodo probant illa Baylii verba, quibus Unitatem Dei non fuiſſe ab Ethnicis agnitam, ita efficere conatur. (*Contin. des Penſées §. LXVI. p* 335.) = *Car quel eſt l'état de la queſtion lors qu'on veut philoſopher touchant l'Unité de Dieu? C'eſt de ſavoir s'il y a une intelligence parfaitement ſimple, totalément diſtinguée de la matiere, & de la forme du monde, & productrice de toutes choſes* = O-

mit-

fectam notionem animo plurimos efformaviſſe. Alterum hoc loco probare nihil neceſſe eſt. Alterum acutis hominibus me probaturum eſſe confido.

Quid enim Deus eſt, de quo tam multa dicimus? Summum profecto Bonum, immortaliſque Natura, qua nihil melius ulla mens excogitare, nihil perfectius invenire poſſit. Si Metaphyſicorum voces deſideras: Deus eſt *Ens ſumme perfectum*. Nullam enim Naturae divinae meliorem a philoſophis definitionem afferri potuiſſe, jamdudum vidimus. Atqui *Ens ſumme perfectum* non eſſe niſi Unum, ſaepius Ethnici plures aperte concedere videbantur. Putabant enim, prae Diis caeteris unum eſſe Deum omnium Regem, ac Dominum, cum quo nemo de dignitate contendere, nemo viribus, aut ſapientia comparari poſſet. Ergo, ſaltem cum iſta dicebant iidem Ethnici, Deum unum opinione ſua videbantur inducere.

Locupletem ejus rei, quam affirmo, dabo teſtem Maximum Tyrium, Marci Aurelii Caeſaris praeceptorem in oratione illa nobili (a). = *Quod ſi concionem*, inquit, *cogas, omneſque ſimul artes uno decreto convenire jubeas, ac de Deo ex iis quaeras, putaſne aliud Pictorem, aliud Statuarium, aliud Poëtam, aliud dicturum eſſe Philoſophum? Imo ne Scytha quidem, & Graecus, & Perſa, & Hyperboreus. Verumenimvero in aliis videbis alia, neque unquam eadem ſtatuere homines. Nec enim bonum idem omnibus, nec idem omnibus malum, nec idem turpe, aut boneſtum: Ut de legibus taceam, quae pro cujuſque placito in omnes ita partes diſtrabuntur, ut non modo gens cum gen-*

mitto autem probare, aliquid in hac deſcriptione poni, quod nullo modo pertineat ad Unitatem Dei declarandam, quo modo a caeteris Attributis diſtingui ſolet. Illud potius adverto: Unitatem Dei ſaltem in hac quaeſtione ab ejuſdem Simplicitate poſſe ac debere diſtingui. Non enim qui hanc negat, ideo ſtatim non unum, at plures Deos inducere opinione ſua dicendus eſt. Velut Haeretici Antropomorphitae numquam plures Deos colere dicti ſunt a SS. PP. Ipſi tamen Deum, quem Unum dicebant, Corporeum eſſe opinabantur.

(a) *Orat. aut Diſſert. I. p. 4. & 5.*

gente; ſed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum ſecum ipſo conſentiat..... In hac tanta pugna, contentione, atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis: Deum eſſe unum regem omnium, & patrem; huic multos additos eſſe Deos alios, qui ſupremi illius filii ſint, & quaſi in imperio collegae (*a*): *In eo Graecus cum Barbaro, Mediterraneus cum Inſulano, ſapiens conſentit cum ſtulto* =.

Prudentius autem in hanc eamdem rem, ſin minus Latinis, at ſapientibus enimvero verſibus ea cecinit (*b*):

„ *Et quis in Idolio recubans, inter ſacra mille,*
„ *Ridiculoſque Deos venerans ſale, ceſpite, thure,*
„ *Non putat eſſe Deum ſummum, & ſuper omnia ſolum?*
„ *Quamvis Saturnis, Iunonibus, & Cithereis,*
„ *Portentiſque aliis fumantes conſecret aras;*
„ *Attamen in Coelo quoties ſuſpexit, in uno*
„ *Conſtituit jus omne Deo, cui ſerviat ingens*
„ *Virtutum ratio variis inſtructa miniſtris.*
„ *Quae Gens tam ſtolida eſt animis? tam barbara linguis?*
„ *Quaeve ſuperſtitio tam ſordida, quae caniformem,*
„ *Latrantemque throno coeli praeponat Anubim?*
„ *Nemo Cloacinae, aut Eponae ſuper aſtra Deabus*
„ *Dat ſolium, quamvis olidam perſolvat acerram,*
„ *Sacrilegiſque molam manibus rimetur, & exta.*

Haec ex Hiſtoria tum Romana tum Graeca mirifice confirmantur. At ſi monumenta, quae de Gentibus aliis agunt, inſpiciamus, Barbaros haud ita paucos (quod ſuper-

bos

(*a*) Hic verba ipſa Auctoris diligenter notanda ſunt = Ὅτι θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς, καὶ πατὴρ, καὶ θεοὶ πολλοὶ, θεοῦ παῖδες συνάρχοντες θεῷ = Magis enim ex iis perſpicuum fit, opinor, Supremum illum Deum proprie dici, at reliquos per ſimilitudinem, vel, ut Scholaſtici dicerent, *per participationem*.

(*b*) *In Apotheoſi contra Unionitas v. 186.*

bos illos & Romanos, & Graecos pudeat) melius hac in re graviſſima & vidiſſe, & ſenſiſſe comperiemus.

Ille quidem Zoroaſtres, qui Dario Hyſtaſpis filio favente novis inſtituit Perſas praeceptis, atque doctrinis, non modo ſupremum Numen eſſe docuit, cum quo nihil admodum conferri poſſet, at de Attributis illius non magnificentius profecto, quam verius locutus eſt. *Deum enim inter omnia primum habendum eſſe* dixit, *qui nulla ratione labefactari poſſit, qui fine, qui principio careat, qui membrorum, aut partium omnino ſit expers, neque ad alterius exemplar extiterit. Nihil eſſe, quod ordinem, quod pulchritudinem praeſeferat, quin ab ipſo gubernetur. Nullis eum ab ullo quovis homine muneribus poſſe corrumpi.* = *Ipſe etiam*, ajebat, *Deus eſt inter bonos optimus, inter prudentes maxima prudentia praeditus. Pater etiam eſt aequitatis, atque juſtitiae. Omnia idem novit, cum a nemine tamen didicerit & ſapientia, & natura perfectus. Sacram naturae ſcientiam ipſe ſolus invenit* =. Haec omnia de Zoroaſtre narrat Euſebius Caeſarienſis (*a*), qui facile potuit

V v ab

(*a*) *Praeparat. Evang. L. I. C. X.* Principio quidem Euſebius, Deum opinione Zoroaſtris caput accipitris habere dicit = Ὁ δὲ Θεὸς ἐςι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος = Non tamen hinc Deum inſtar monſtri habuiſſe Zoroaſtres dicendus eſt. Optime enim illa Fucherius (*Tom. XXVII. de l' Ac. R. des Inſcr. &c. Suite du Traité de la Relig. des Perſes par M. l' Ab. Foucher, III. Mém. p. 349. M.*) = *Il eſt donc très-vraiſemblable, que Zoroaſtre avoit mis avant l' article, qui traitoit de Dieu, une figure ſymbolique à tête d' epérvier. Mais toutes les copies de Zendaveſta n' étoient pas ornées des peintures..... On ſe contentoit ordinairement d' indiquer le tableau qui ſe trouvoit dans l' original &c.* = Jam vero Accipiter figura Divinitatis habebatur, quod & longiſſime praedam proſpiciat, & in ipſam ita irruat, ut ſe ab ejuſdem unguibus liberare illa non poſſit. Ita ſceleſti homines nec Deum latere poſſunt, neque illius iram eludere. Caetera Euſebii verba, quae latina fecimus, haec ſunt = Οὗτός ἐστιν ὁ πρῶτος, ἄφθαρτος, ἀΐδιος, ἀγέννητος, ἀμερής, ἀνομοιότατος, ἡνίοχος παντὸς καλοῦ, ἀδωροδόκητος, ἀγαθῶν ἀγαθώτατος, φρονίμων φρονιμώτατος. ἔςι δὲ πατὴρ εὐνομίας, καὶ δικαιοσύνης, αὐτοδίδακτος, φυσικὸς, καὶ τέλειος, καὶ σοφὸς, καὶ ἱεροῦ φυσικοῦ μόνος εὑρετής = Quibus tamen poſtremis verbis non aliam naturae ſcientiam, quam Aſtrologiam Judiciariam a Zoroaſtre magno in pretio habitam indicari, Fucherius putat.

ab aliquo vel Chriſtiano, vel Ethnico ea diſcere, qui libros ipſos Zoroaſtris (ii *Zendaveſta* dicebantur a Perſis) diligenter ſcrutatus eſſet.

Neque tamen ad Euſebii defendendam auctoritatem magnopere conjecturas hoc loco ſequi oportere, plures arbitrabuntur. Curioſus enim homo, neque indoctus, Anquetilius (*a*), qui ſe legiſſe teſtatus eſt Zendaveſtam, quo ſcilicet Guebri (*b*) hodie utuntur (*c*), narravit verba per Euſebium allata in eo libro reperiri, voce tantum Ἀ'μερὴς dempta, quae certe magni pretii dicenda eſt. Negat tamen Mignotius (*d*) inde concludi, Perſicum verbum ei voci reſpondens, atque ad ſignificandam Dei *Simplicitatem* aptiſſimum non fuiſſe a Zoroaſtre ſcriptum; cum & Anquetilius non omnia ejuſdem libri exemplaria videre potuerit, & Euſebii non ita facile repudiari debeat auctoritas.

Euſebio magna ex parte conſentit, ut alios praeteream, Theodorus Mopſueſtenus, cui, ut reliqua defuerint, hoc certe auctoritatem in re noſtra conciliat, quod Perſarum doctrinas optime noſſet. Ille quidem narrat, Zaraſdem (hoc nomine Zoroaſtrem appellat) docuiſſe, a *Zaruam*, ſive ſupremo Numine, bonorum omnium fonte, atque principio, & Hormiſdam fuiſſe genitum, qui non ſit niſi bonorum auctor, & Satanam, unde tot nobis mala proveniant.

Cum haec diſtinctius explicare vellet, aliquid addebat Zaraſdes, eodem teſte Theodoro, non modo contemptu, ſed

(*a*) *Mr. Anquetil.*

(*b*) Reliquiae ſunt veterum Perſarum, quae ſuperſtitionem a Saracenis in Perſidem illatam abominantur. Fuſe de iis Critici plures.

(*c*) Idem Fucherius, quem laudavimus (*To. XXVII. &c. II. Mémoir.*) contra Huetium, Bruckerum, alioſque, Zendaveſtam genuinum Zoroaſtris opus eſſe defendit. Duo tamen ſapienter monet. Alterum eſt, Zendaveſtam fortaſſe non eſſe, niſi partem librorum, quos Magus ille conſcripſerit; alterum; fortaſſe aliqua eidem libro a Magis aliis addita eſſe, quae nunc non ſatis omnia internoſci poſſint.

(*d*) *To. XXXI. de l' Ac. R. des Inſcr. IV. Mém. ſur les Philoſ. de l'Inde p.* 224. *M.*

ſed & abominatione dignum (*a*). Nihil tamen hinc efficitur, niſi perditos homines, cum, quod honeſtas poſtulat, moribus ipſis, ac tota vitae ratione non teneant, ſaepenumero ne ſermone quidem tenere, etiamſi de maximis rebus, atque graviſſimis agant. Caeterum & ea, que Theodorus affert, & non minus obſcoenas, quam impias picturas Mundi originem a ſupremo illo Deo exprimentes, quas Hydeus exhibere non dubitavit, ἀλληγορικῶς interpretari oportere, plerique conſentiunt. Neque contemnenda hujus rei ratio eſt, quod id tum Euſebii, tum aliorum, qui multo meliora de Perſarum doctrina narrarunt, poſcere videatur auctoritas.

Sunt etiam, qui doceant, Zoroaſtrem ita verum Deum agnoviſſe, ut caeteros a Perſis antea cultos repudiaret, &, ne colerentur in poſterum, ediceret (*b*). At haec ſententia

opti-

(*a*) Scripſit Theodorus librum *contra Magorum Theologiam*, cujus non aliud ſupereſt, niſi quod Photius *in ſua Bibliotheca* exhibuit in pauciora contractum = Ἐν μὲν τῷ πρώτῳ λόγῳ, ait Photius, ἐκτίθεται τὸ μιαρὸν τῶν Περσῶν δόγμα ὃ Ζαράσδης εἰσηγήσατο, ἤτοι περὶ Ζαρουάμ, ὃν ἀρχηγὸν πάντων εἰσάγει, ὃν καὶ τύχην καλεῖ, καὶ ὅτι σπένδων ἵνα τέκῃ τὸν Ὁρμίσδαν, ἔτεκεν ἐκεῖνον, καὶ τὸν Σατανᾶν, καὶ περὶ τῆς αὐτῶν αἱμομιξίας = &c. Vocem illam τύχην eſſe mutandam in vocem αὐγὴν, ut ſit ſenſus, Supremum Deum a Zaraſde *Splendorem*, aut *Lumen* appellatum fuiſſe; vocem vero σπένδων *libans* in σπείρων *ſeminans* Tollius (*Inſig. Itin. Ital. p.* 136.) opinatus eſt, cui Fenelus (*M. Fénel To. XIX. de l' Ac. R. des Inſcr.*) & Fucherius (*III. Mém. &c.*) aſſentiuntur. Non tamen ea prioris verbi correctio Mignotio placuit, qui ea ſcripſit (*To. XXXI. de l' Ac. R. des Inſcr. V. Mém. &c. p.* 265. *M.*) = *Cet habile Critique* (Tollius) *n' a point fait attention que les plus zelés partiſans de la Providence n'ont point fait difficulté d' employer cette expreſſion ... Ils s' exprimoient ainſi pour inculquer que ce que l' on a coutume de regarder comme l' effet du haſard eſt conduit, & réglé par l' ordre du Souverain Etre* =.

(*b*) E. g. Pridoxiux (*Prideaux Hiſt. des Iuifs*). Hydeus autem in libro de Religione Perſarum ulterius etiam progreditur, cum Perſarum gentem contendit, unicum ſemper Deum fuiſſe veneratam. Hae tamen ſententiae vulgo rejiciuntur. Porro autem de Perſarum Numinibus nullum auctorem vel majore cum jucunditate, vel uberiore cum fructu conſules, quam Fucherium, qui fuſe etiam de duplici principio, altero bonorum, altero malorum agit, de quibus tam multa Zoroaſtres, atque alii Magi inter Perſas commenti ſunt.

optimis rationibus a Fucherio convellitur. Nobis quidem ſatis eſt, quod ipſe Fucherius longa oratione probat; verum Deum a Zoroaſtre, atque hinc ab innumeris, qui ejus doctrinam ſecuti ſunt, Perſis fuiſſe cognitum, quamvis ea ſtultitia tum Zoroaſtres ipſe, tum ejus diſcipuli laboraverint, ut commentitia quaedam Numina, ſupremo fere neglecto, caeremoniis, ac ritibus, quos Religio ſolet inducere, venerarentur (*a*).

Nihil hic Oſthanis libros memorare neceſſe eſt, in quibus, Euſebio teſte, eadem de ſupremo Deo, quae Zoroaſtres docuerat, aperte tradebantur, aut celebre carmen, *Sadder* appellatum, Zendaveſtae ſententias exprimens (*b*), in quo, praeter alia multa, ea legebantur = *Scias primum Dominum Deum tuum eſſe unum, ſanctum, cui non eſt compar; eſt etiam Dominus potentiae, & gloriae* =.

Jam vero Perſas etiam illos, qui Zoroaſtris doctrinam, aut ignorarunt, aut neglexerunt, ſupremum poſuiſſe Numen, cum quo caetera de poteſtate, ac dignitate certare non poſſent, ſive Oromazus ille fuerit, ut ego probabilius puto, ſive Mithras, ſive alius quiſpiam, ut alii, Scriptores etiam Graeci prodidere (*c*).

Cla-

(*a*) Optime illa Fucherius (*Tom. XXIX. de l'Ac. R. des Inſcr. IV. Mém. &c. p.* 92. *M.*) = *Les Anciens étoient prévenus de cette fauſſe maxime, que les honneurs divins étoient principalement dûs aux Dieux viſibles, c'eſt-à-dire aux Dieux ſubalternes, prépoſés au gouvernement de l'Univers, & que le Principe inviſible de toutes choſes devoit être l'objet de nôtre admiration, de nôtre reſpect, de nos louanges, plustôt que de culte extérieur. Ainſi le Soleil étant le premier des Dieux viſibles chez les Perſes, il n'eſt pas étonnant, que les étrangers le regardaſſent aſſez communément comme la principale Divinité du pays &c.* =

(*b*) Latinum illud fecit Hydèus. Ejus Auctor, qui *ſordidiſſimus* dicitur a Renodotio (*L'Ab. Renaudot Coll. Litur. To. II. p.* 272.) non alio ſub nomine cognoſcitur; quam filii Melicshahi (*de Melicshab*).

(*c*) Legendi ſunt Herodot. *L. I. n.* 25. Xenophon *Cyropaed. Lib. VIII.*, Eubulus apud Porphyrium *de Antro Nympharum*, Dio Chryſoſtom. *Orat. Borys. XXXVI.*, Diog. Laërt. *in Prooem.* atque alii plures.

Clarius haec eadem veritas ex Arabum Scriptorum teſtimoniis poſſet oſtendi, quos Hydèi collegit induſtria, cum Perſicae doctrinae demonſtrare ſanctitatem, ideſt laterem lavare inſtituiſſet. Sed ut optimae cauſae noſtrae ſerviamus, numquam id afferemus, quod nobis antea perſpectum, probatumque non fuerit. Antiquiores enim Graecos citius, quam Arabes illos, etiam cum de Perſis agitur, audiendos eſſe, Fucherio, aliiſque doctiſſimis viris aſſentimur.

Æthiopum gentem multitudine innumerabilem, ac regionibus infinitam, Divini Numinis Unitatem aliquo modo cognoviſſe, facile oſtenditur. De illis enim ea diligens auctor Strabo ſcripta reliquit memoratu digniſſima (*a*) = *Putare* (illos) *Deum eſſe unum immortalem, alterum mortalem; immortalem quidem eum, qui rerum omnium cauſa ſit, mortalem vero apud eos incertum eſſe, & nomine carere, ſed frequentius eos, a quibus beneficia acceperunt, & Reges pro Diis habere* =. (*b*)

Idem Strabo de Celtiberis agens, unum ab illis Numen, inter omnia ſcilicet maximum, ac praeſtantiſſimum coli memorat. Multa hic de Chaldaeis, de Indis, de aliis antiquis populis, multa etiam de recentioribus dicere poſſemus. At de iis alio loco. Nam quae attulimus, niſi fallor, ſatis eſſe poſſunt, ut unam perfectiſſimam a plurimis Ethnicis Mentem, cui omnia pareant, atque ideo, quod pertinet ad rem, unum Deum aliquo modo cognitum fuiſſe, intelligamus (*c*). Quid

(*a*) *L. XVII.*

(*b*) De mortali Æthiopum Deo haec ſcribit Bruckerus *To. I. Hiſt. Crit. p. m.* 309. = *Fortaſſe Deus ille mortalis ille ipſe eſt, quem ſub Typhonis nomine Ægyptii reformidaverunt, principium mali, quod cum tandem a bono, & immortali principio vincendum ſit, mortale omnino dici potuit* =.

(*c*) *To. XXXV. de l' Ac. R. des Inſcr.* lectu digniſſima eſt inclyti Batteuxii Diſſertatio (vulgo *Mémoire*) cujus eſt argumentum = *Si les Païens ont jamais ignoré le vrai Dieu* = Ipſe autem praecipue ex antiquiſſimis, ac maximae auctoritatis Sacrae Scripturae libris probare contendit = *que ces peuples (les peuples civilisés) malgré tant d' erreurs, & d' extravagances ont connu un Dieu ſuprême, & qu' ils n' en on connu qu' un* =.

Quid ergo? ais. Nonne, ſi vera iſta ſint, manifeſto ſequitur, Ethnicos illos non fuiſſe *Polytheos*? Nam *Polythei* certe illi non ſunt, qui unum agnoſcunt Deum. Verumenimvero Ethnicos fere univerſos fuiſſe *Polytheos*, omnis docet hiſtoria, omnia vetuſtiorum aetatum probatiſſima monumenta declarant.

Facilis ad haec reſponſio erit, ſi ea teneamus, quae Patres Eccleſiae Chriſtianae non modo ſanctitate morum, ſed & doctrina praeſtantes tradidere. Etenim illi ſuis in libris haud ſemel ſcriptum reliquerunt: plurimos Ethnicos perverſitate potius voluntatis, quam errore mentis tam impias doctrinas amplexos eſſe. Quod non ita eſt accipiendum, ut non turpiter illorum quoque mentes erraviſſe dicendae ſint. At natura ipſa eos quandoque monebat, non poſſe tam ridiculas opiniones a majoribus acceptas ulla veritate fulciri. Illi plerumque naturae voces non tam non auſcultabant, quam negligebant, aut etiam, quò tranquilliorem ducere poſſent inter ſcelera vitam, comprimere conabantur.

Praeterea quid abſurdi eſt, ſi dicamus, Ethnicos ipſos nullo modo ſibi conſtitiſſe, cum plures Deos eſſe dicerent? Hoc certe iiſdem Patres totis voluminibus exprobrant. Hinc illa Tertulliani (*a*) ſane praeclara = *Quantum humana conditio de Deo definire poteſt, id definio, quod & omnium conſcientia agnoſcet, Deum ſummum eſſe magnum, in aeternitate conſtitutum, innatum, infectum, ſine initio, ſine fine &c. Quae erit jam conditio ipſius ſummi magni? nempe ut nihil illi adaequetur, ideſt ut non ſit aliud ſummum magnum: quia, ſi fuerit, adaequabitur* = nec multo poſt = *Certe quemcumque alium Deum induxeris, non alia poteris eum forma tueri Deum, quam ut & illi proprium Divinitatis adſcripſeris, ſicut aeternum, ita & ſummum magnum. Duo ergo ſumma magna quomodo conſiſtent, quum hoc ſit ſummum magnum, par non habe-*

(*a*) *Lib. I. contra Marcionem C. III.*

bere; par autem non habere uni competat, in duobus eſſe nullo modo poſſit ? =

Ex eodem capite urget Ethnicos Auguſtinus (*a*), poſteaquam advertit, omnes fateri, Deum eſſe = *quo nihil melius ſit, atque ſublimius* =. Cujus acutiſſimi Doctoris ea verba ſunt notatu digniſſima = *Omnes*, inquit, *pro excellentia Dei certatim dimicant: nec quiſquam inveniri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt. Itaque hoc omnes Deum conſentiunt eſſe, quod caeteris rebus omnibus anteponunt* =. (*b*)

Haec a SS. Patribus producta ratio tam evidens, atque tam valida mihi videri ſolet, ut quid Ethnici reponere potuerint, nullo modo poſſim cogitatione complecti. Neque enim Ruſſoji me temeritas movet, qui ſanctos eoſdem Patres, praecipue Tertullianum, arguit (*c*), quod vocem illam *Deus* Chriſtianis probata ratione definirent, ac deinde levitatem Ethnicorum accuſarent, quod plures eſſe Deos arbitrarentur. Quanto melius haec non modo ſapientiſſimo illi Archiepiſcopo Pariſienſi, Chriſtianae Religionis in Gallia temporibus noſtris eximio decori, atque praeſidio, ſed & doctiſſimis illis Viris Batteuxio, Fucherio, Mignotio, Bergierio, caeteriſque Ruſſojus concederet! Canere ipſum potius, aut gallica malit, aut italica ratione deceret, vel, cum majus aliquid audet, illuſtribus ſententiis, gravibuſque verbis ornare orationem nitidis cartis, pretioſiſque libellis committendam. Qua etiam in re monendus eſt, ut a fuco ſaepius, atque a calamiſtris abſtineat, ne meretricula potius illa quaeritans amatorem, quam gravis matrona, cujus ſapientia poſſit Æmilius proficere, videatur. At certe non ejus eſt de graviſſimis hiſce rebus diſputare, quem in libris veterum ſive Chriſtianorum, ſive Ethnicorum non ſatis exercita-

(*a*) *De Doctrina Chriſt. L. I. C. 7.*

(*b*) Similia Auctor libri *de Trinitate* apud Petavium, atque alii, qui facile afferri poſſent.

(*c*) In quadam adnotatione ad impudentiſſimam epiſtolam Archiepiſcopo Pariſienſi (*Monſ. de Beaumont*) miſſam.

citatum fuiſſe, ipſi ejuſdem libri, tam inuſitatis Graeculorum, atque impiorum laudibus digniſſimi, perſpicua, & evidenti ratione teſtantur (*a*).

Itaque Patres neque tam rudes erant, neque tam expertes ingenii, atque conſilii, ut pro conceſſo, & probato contra Ethnicos tam ſaepe ſumerent, quod nullo modo iſti verum eſſe faterentur. Cum ergo aliquid ita ſumunt, ab Ethnicis conceſſum fuiſſe vel hinc efficitur, niſi forte Viros tam doctos, atque tam acutos fuiſſe deceptos, idonea quapiam ratione probes. Iſta ſi neges, neque acerrimum profecto ingenium Tertulliani, neque divinam Auguſtini mentem, neque caeterorum diligentiam, ac fidem in defendenda pietate noſti.

Caeterum nobis argumenta quaedam alia non deſunt, quibus, ab ipſis Ethnicis Divinitatem ſumme perfectam habitam fuiſſe, comprobemus. Saepius enim, cum aliquid ineſſe Deo probare vellent, id afferebant: Non decere quidquam beatae, atque immortali naturae deeſſe, quod magnum, quod bonum, quod expetendum videretur. Iidem, quidquid in unoquovis genere excelleret, divinum appellabant, atque omnia generis cujuſque bona a Diis immortalibus profluere arbitrabantur.

Alia plura omittimus partim alio loco diſputata, partim a ſapiente quovis lectore facile advertenda. Quem certe hoc loco moneamus, nihil neceſſe eſt: poſſe homines etiam plures pugnantia loqui, atque ſentire, praecipue ſi non claras, atque perſpicuas rerum, de quibus agitur, at valde confu-

ſas

(*a*) Haec etiam ideo in Ruſſojum quadrant, quod ipſe nihil admodum curare videtur, ut Dei naturam, virtutemque cognoſcat. Ea enim ſcribere non dubitavit, quae totidem hic ipſius verbis afferimus (*Emile To. III. p. m. 56.*) = *Je crois donc que le Monde eſt gouverné par une volonté puiſſante, & ſage, & cela m'importe à ſavoir; mais ce même Monde eſt il étérnél, ou créé? y a-t-il un principe unique des choſes? y a-t-il deux, ou pluſieurs, & quelle eſt leur nature? Je n'en ſai rien, & que m'importe?* =

ſas notiones animo informent. Id bene multis Ethnicis contingebat, qui cum, ſummam eſſe Naturae divinae perfectionem, utcumque judicarent, ipſi ſibi repugnabant, ſi quidem ex animo plures Deos ſub uno quodam ſummo, atque maximo inducebant. Hunc enim unicum eſſe Deum non quidem verbis, at ipſa re ſtatuebant.

His animadverſis propoſitae quaeſtioni jam ſatisfaciam. Ethnicos, de quibus modo loquimur, quod pertinet al loquendi rationem, *Polytheos* fuiſſe concedo. Verba enim fere ſemper patriae loquendi conſuetudini aptabant. Illud etiam gravius addo: ſceleris illius haud leviter fuiſſe participes, quod *Polythei* admittunt, ubi res creatas, atque adeo viliſſimas Divinitatis loco habent, & colunt. At nego *Polytheos* fuiſſe, quod ſpectat ad opiniones perpetua ſaltem, atque conſtanti perſuaſione probatas. Etenim, ſi quando videbantur ad caſtra *Polytheorum* ſententiis ipſis accedere, manifeſtius tamen tunc recedebant, quando de uno tantum Numine dici poſſe judicabant, quae Divinitatis eſſe vel maxime propria, facile omnes aſſentiuntur.

Neque vero quiſpiam hic poſſet opponere: nos ex doctrinae conſecutionibus hominum ſententias aeſtimaviſſe; quod alias fieri ſine reprehenſione poſſe negavimus. Nos enim diximus, plurimos Ethnicos Unum Deum, quod attinet ad rem, poſuiſſe, quod Unum ponebant, cui definitio Dei utcumque poſſet aptari. Id non obſcura quadam, difficilique ratione, at prorſus evidenti, at ipſo naturae monitu commendata, at ex confeſſione ipſorum liquido deducta elicitur.

Quae cum ita ſint, jam dicat Baylius, quid ex Ethnicorum conſenſu poſſit extundere? An plures illis viſos fuiſſe Deos? Si de univerſis loquatur, totum id rotunde negare poſſem. Res enim opinor ſpectari oportere, non verba. At liberalius cum illo agam. Si velit, iiſdem plures aliquando viſos fuiſſe Deos, nihil hic repugnabo. De Philoſophis enim, qui facilius ex hoc numero excipi poſſent, mox ſeparatim

agemus. De aliis autem nimium nos eſſe ſollicitos, ut a quavis etiam inconſtantiae nota liberentur, nihil neceſſe eſt; praeſertim cum plurimi certe liberari nulla ratione queant. Sin autem Baylius velit, Ethnicis univerſis perpetuo, atque conſtanter plures viſos fuiſſe Deos, id nunc non modo de Philoſophis, at de plurimis etiam aliis aperte nego. Nam quoties unum eſſe dicebant, Numen inter omnia maximum, cui tantummodo ſumma quaeque tribuenda eſſent, quod reliquos Deos gravi coërceret imperio, quin & aliquando poenis afficeret, hos profecto, ſin minus verbis, at certe opinionibus, Deos non eſſe fatebantur.

An dicet Baylius, conſtare ſaltem, ſub uno ſummo Deo plures ab Ethnicis creditas fuiſſe naturas homine nobiliores, potentiores, atque meliores? Sed hujuſmodi eſſe naturas, equidem cum Chriſtianis univerſis verum eſſe puto, neque me ab hac ſententia ullius unquam aut docti hominis, aut indocti movebit oratio. Quin etiam cum Lockio (a) veriſimile judico, quod ſint hujuſmodi naturae, vel ipſo poſſe lumine rationis oſtendi.

An dicet, Ethnicos abſurda plurima de naturis iiſdem ſtatuiſſe? Ultro & iſthuc fateor. At in hac re communem Ethnicorum, unanimemque ſententiam fruſtra requiret. Alia enim abſurda Romani, alia Graeci, alia Ægyptii, alia Chaldaei, alia Perſae ſtatuebant. Imo Gentes inter eaſdem a ſuperſtitioſis plebeculae opinionibus magis cordati homines non leviter diſſidebant.

Jam quod utcumque naturas veneratione dignas judicarent, quae vere potentiores, atque meliores eſſent hominibus, id, ſi proprie loquamur, in vitio non erat. Vitium enimvero turpiſſimum erat, ac fere inter omnia ſcelera maximum, quod naturas illas ad arbitrium confictas Deo debitis proſequerentur honoribus, ac loco Religionis tam perdita

(a) *Eſſai ſur l' Entendem. L. III. c. 6.*

dita iiſdem ſuperſtitio eſſet. Hoc ſcelus egregie Apoſtolica illa ſententia declaratur, quà de Ethnicis dicitur = *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum* = Quo loco illud etiam eſt notatu dignum, quod Apoſtolus; cui ſi Baylius fidem non tribuit, aliqua debet ejus teſtimonium idonea ratione confutare. Saltem enim (ut nihil de auctoritate divina loquamur) homo Paulus fuit, qui ſententias Ethnicorum optime noſſe poterat, nec non doctiſſimos apud Viros egregiae ſemper Scriptor auctoritatis eſt habitus. Apoſtolus ergo ea omnia contigiſſe narrat, cum Ethnici *cognoviſſent Deum*, neque tamen *ſicut Deum glorificare, aut gratias* eidem *agere* voluiſſent. Quis ergo non facile ſentiat, voluntatis citius, quam intelligentiae vitio hoc etiam tam grave crimen eſſe tribuendum?

Facile, inquam, ipſa natura vel aperte clamando, vel certe neſcio quid inſuſurrando, monebat homines praeſertim non omnino vecordes, maximum illum Religionis cultum non eſſe praeſtandum, niſi maximo, atque ſupremo Deo: illi tantummodo Templa ſtatuenda, illi adolenda thura, victimaſque mactandas. At impii homines, quod aliis etiam locis innuimus, nihil minus curabant, quam dociles naturae vocibus aures praebere. Nonnulli quidem patriae conſuetudini, cum, quid agerent, quodammodo ipſi neſcirent; nonnulli vili cuidam plebis, aut Sacerdotum timori ſerviebant. Plerique vero libenti animo iis Numinibus litabant, quorum ſimiles evadere aut adulteria, aut furta, aut alia ſcelera admittentes tam facili, atque jucunda ratione poſſent. Non nego mentes ipſas multorum hac etiam in re fuiſſe deceptas. Hoc tantum nego: poſſe Baylium, aut alium quempiam probare, totius Humani Generis hunc errorem fuiſſe concordi quadam, & unanimi, & uſquequaque firma perſuaſione receptum.

CAPUT XVII.

Philoſophos, atque doctiores homines inter Graecos, atque Romanos Unitatem Dei non ignoraviſſe oſtenditur.

Locus ipſe me admonet, ut de illis diſtinctius agam, qui Graecos inter, atque Latinos ingenii, atque doctrinae. praeſertim vero philoſophiae, laude claruerunt. Ex eo numero pleroſque vidiſſe arbitror, unicam eſſe Mentem, ſolutam, ac liberam, ſegregatam ab omni concretione mortali, a qua reliqua non caſu aliquo, atque fortuna, ſed ipſa naturae neceſſitate penderent (*a*).

Non ergo Mentem hanc primum eſſe Deum inter pares, exiſtimabant, ut Romanus eſt Pontifex inter Epiſcopos (qua ratione Baylius nugatur (*b*)) aut homo, quem Imperatorem appellamus, inter reliquos homines. Potius ea Mens de ſententia philoſophorum eorumdem rebus caeteris, atque naturis homine ipſo melioribus, longius antecellebat, atque praeſtabat, quam caeteris animantibus homines antecellant. Itaque non modo poteſtate, ſed & ipſa natura Mentem eamdem rerum omnium eſſe perfectiſſimam, atque optimam arbitrabantur. Cum ergo ſit Deus perfectiſſima illa natura, cui nihil deeſſe, nihil aequiparari poſſit, unicum illi Deum opinione ſua ſtatuebant.

Cur

(*a*) Maxime illa probamus, quae Cl. Noghera ſcripſit (*Riſleſſ. ſulla Filoſofia &c. P. II.*) = *Dove ſi eccettui Epicuro, che molti Dii falſi ideò....... gli altri nè tennero generalmente un ſolo, i Taleti, i Pitagori, gli Anaſſagora, i Socrati, gli Antiſteni, i Platoni, gli Ariſtoteli, gli Zenoni colle ſchuole loro. Chiamaronlo eſſi quel Dio con diverſi nomi di Mente, di Virtù, di Anima, come appò Lattanzio ſi può vedere; i più chiamaronlo Dio ſemplicemente, ò ſommo Giove, vocabolo il più uſitato: diſtinguendol però dall' altro Giove impuro, figliuol di Saturno, dalle favole celebrato &c.* =

(*b*) *Réponſe aux queſtions &c.* C. CVII.

Cur ergo, inquis, unicum eſſe Deum non profitebantur apertius, & clarius? Equidem non dubito, quin illi multo minus, quam Ethnici, de quibus locuti ſumus, erraverint, ſed tamen populo, ac populi ſuperſtitioni obſecundare voluerint. Quod certe gravitas eorumdem, atque ſapientia nullo modo pati debuiſſet. Nam & ſacratis iis lignis cultum deferebant, quae cum Diagora (*a*) non eſſe fere, niſi coquendis oleribus, apta cenſebant. Hinc illa Senecae, quae tantopere ab Auguſtino reprehenduntur (*b*) = *Omnem iſtam ignobilem Deorum turbam, quam longo aevo longa ſuperſtitio congeſſit, ſic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere* =. Iidem, quos utrum ſapientes, an ſtultos hoc loco appellem, ignoro: ſed iidem certe homines doctrina praeſtantes, cum Deos vulgus in ore haberet, Deos etiam ipſi appellabant.

Credo etiam, plurimos ex illis vidiſſe, Supremam illam Mentem, quoniam naturae praeſtantia tam longe caeteras antecellebat, peculiari aliquo nomine, ac maxime ſuo ab hominibus eſſe appellandam. At, ne plures negare Deos populo viderentur, auguſtum Dei nomen, quod illi decentius, nec non libentius, ut opinor, aptabant, ad naturas etiam detorquebant homine meliores, ac praeſtantiores, quae tum ſapientia, tum virtute propius ad ſupremam eamdem Intelligentiam accederent.

Caeterum & Auguſtinus ipſe concedit, ut beatae quaedam naturae homine meliores Dii nuncupentur, dummodo ne cum ſupremo Numine comparari ulla ratione videantur, & in ipſis Divinae Scripturae libris aliquando ſanctiſſimos homines, qui ſupra caeteros eminerent, Deorum nomine veniſſe ſcimus. Manifeſtum ergo eſt, ſapientes, de quibus

(*a*) Notum eſt eruditis, Diagoram Herculis lignei femur abſcidiſſe, ut haberet, quo legumen coquere poſſet, quae res etiam ingens illi Athenienſium odium conciliavit.

(*b*) *De Civ. Dei L. VII. C. X.*

bus loquimur, ſi vere illa ſentiebant, quae diximus, inter *Polytheas* numerari non poſſe.

At quod illa ſentirent, neminem latere poteſt, qui libros illorum diligentius aliquando legerit. Etenim plerique (non dico ad unum omnes, ne Baylii, vel Ruſſoji more pugnare ipſe mecum in his iiſdem libris videar) multo majus intervallum inter ſupremum Numen, ac reliquos Deos, quam inter hos eoſdem Deos, ac Genus Humanum relinquere, non obſcure videntur.

Tacitus multa Socratis praetermittam, multa etiam Anaxagorae, atque Thaletis, aliorumque Graecorum, quae videlicet altero hujus operis volumine allaturi ſumus. Alia etiam praeteribo, quae, cum de Myſteriis agemus, pro defendendis Ægyptiis, aliiſque gentibus proferenda erunt. Aliquot hic celebrium philoſophorum ſententias laudabo, ex quibus de reliquis liceat conjecturam capere.

Principio quidem Pythagorae ſcholam laudare poſſemus, ex qua, tamquam ex equo Trojano, Viri principes extiterunt. Cum enim Pythagoras unum eſſe Numen inter omnia maximum docuiſſet, quod univerſi Mundi naturam conſtitueret, eidemque motum imprimeret (*a*), hanc eamdem doctrinam ejus diſcipuli tenuerunt. Ocellus ipſe Lucanus, cui mundum ab aeternis jam temporibus eſſe placuit, quique Diis Æthera, Geniiſque complevit, unum tamen ſummum Deum videtur inducere. Nam & totius Mundi pulchritudinem, atque ordinem a ſumma Dei ſapientia, ac potentia repetit (*b*); idemque, ut homines a nefaria libidine revocet, aperte monet, a Deo non voluptatis, at prolis pro-

(*a*) Ipſe Pythagoras apud Theophilum Antioch. = Θεὸς φύσις καὶ αὐτομάτισμος τῶν πάντων =.

(*b*) Ocellus in Fragmento libri *de Legibus* (*p. 537. inter opuſcula Mythol. edit. per Galenum* (*Gale*) 1688.) = Τὸ ἀκίνητον Θεῖον μὲν, καὶ λόγον ἔχον, καὶ ἔμφρον = Clariora illa ſunt, quibus Mundum ab ordine ſervari dicit: ordinis autem cauſam eſſe Deum = Συνέχει τὸν κόσμον ἁρμονία. Ταύτης δ' αἴτιος ὁ Θεός =.

propagandae cauſa, quae pertinent in generandi facultatem, atque virtutem, fuiſſe conceſſa (*a*).

Onatus etiam nobiliſſimus e Pythagorae ſchola philoſophus haec habet a Joanne Stobaeo diligenter ſervata = *Neque mihi unus videtur Deus, verum unus quidem maximus, ac ſummus Deus, rerum univerſitatem gubernans: alii autem praeterea multi diverſis virtutibus praediti. Imperat autem omnibus Deus is, qui robore, magnitudine, virtute praeſtat. Hic ille Deus eſt, qui univerſum mundum arcet, moderatur, & continet. Reliqui vero Dii ſunt, qui per Coelum eodem, quo tota rerum univerſitas, motu decurrunt, primum, & intelligibilem illum Deum ordine ſequentes* =.

Timaeus etiam Locrenſis ex eadem ſchola Vir ſapientiſſimus iis temporibus habitus, de aeterno Deo, qui non fuerit ab alio genitus, cum omnia ipſe genuerit, mundumque condiderit, cui Deo vel ipſa Mundi Anima originem acceptam referre debeat, magnificis verbis loquitur. Vide ſis ipſius Timaei libellum περὶ ψυχῆς, quem Procli nobis diligentia ſervavit, Batteuxii autem eruditio Gallicum in ſermonem tranſtulit, ac ſapientiſſimis animadverſionibus illuſtravit (*b*).

Ipſius autem Timaei ſententias Princeps Graecorum Philoſophorum Plato in ſuo libro, quem Timaeum inſcripſit, profecutus eſt, qui & alia multa, eademque praeclara de Deo pronunciavit. Velut cum X. *de Legibus* libro *Conditorem* vocat illum *univerſi orbis, ac Patrem, qui Coelum, qui Tellurem, qui Deos, qui omnia quaecumque in Coelo ſunt, aut in Tartareis ſedibus, aut in ipſa Tellure produxerit* (*c*).

Qua

(*a*) In libro *de Univerſi Natura* = Τὰς δυνάμεις, καὶ τὰ ὄργανα, καὶ τὰς ὀρέξεις τὰς πρὸς τὴν μῖξιν ὑπὸ Θεοῦ διδομένας τοῖς ἀνθρώποις οὐχ ἡδονῆς ἕνεκα δίδοσθαι συμβέβηκεν, ἀλλὰ τῆς εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον διαμονῆς τοῦ γένους =.

(*b*) Vid. *Tom. XXXII. de l' Ac. R. des Inſcr. VII. Mém. ſur le Principe actif &c. a p. 10. M.*

(*c*) = Ὁ ποιητὴς, καὶ πατὴρ τοῦδε παντὸς .... Ὁ γῆν, οὐρανὸν, καὶ Θεοὺς, καὶ πάντα τὰ ἐν οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐν ᾅδῃ, καὶ ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἐργασάμενος =.

Qua vero Deus idem ratione Mundum condiderit, in eodem Timaei libro declarare conatur. In multis quidem ille vehementer deceptus eſt, ſuoſque decepit; ut cum, rerum omnium materiam non fuiſſe a Deo creatam, tam clare ſtatuit, ut, qui contrarium affirmarunt, Clemens Alexandrinus, Marſilius Ficinus, Livius Galantes, Petrus Daniel Huetius, Radulphus Cudworthus, Andreas Dacierus (a), eorum quae in Timaeo legerant, ſit verbo venia, obliti fere fuiſſe videantur. Attamen ad rem noſtram non mediocriter facit, quod eodem libro dicat = *Cum vellet Deus bona omnia facere, nihil vero, quoad natura pateretur, malum, quidquid erat, quod in cernendi ſenſum cadere poſſet, aſſumpſiſſe; non tranquillum, & quietum, ſed temere agitatum, & fluitans, idque ex inordinata jactatione redegit in ordinem* =.

Faciunt etiam ad rem noſtram ea verba, quae Criticos noſtros mirifice torquent. = *Ut vero rationali modo pulcherrimum Deus mundum conderet, aeternum exemplar ſecutus eſt, quod ratione ſola, & ſapientia ſola comprehendi poteſt, & immutabile permanet.* = Eos quidem Auctores, qui verbis hiſce Platonis, aliiſque decepti ſanctiſſimum Chriſtianae Religionis Myſterium ab illo adumbrari cenſuerunt, vix confutatione dignos arbitramur. Etenim quantopere Platonica *Trias* a Chriſtiana diverſa ſit, ii tantum ignorare poſſunt, qui Platonis libros aut numquam ſumpſerunt in manus, aut non ſatis attente perlegerunt. Me quidem, erudite Lector, minime latet, graviſſimos ex Eccleſia Chriſtiana Viros a Platonis libris argumenta quandoque ſumpſiſſe, quibus hoſtes Chriſtianae doctrinae convincerent. Sed aliud eſt, in Platonis

(a) Clem. *L. V. Strom.* Ficin. *in Argum. ad C. XII. & XIII. Tim. & in Ind.* Liv. Gal. *Comp. Theolog. Plat. & Chriſt. L. IX.* Huet. *Quaeſt. Alnet. L. II. C. V.* Cudw. *Syſt. Intell. C. V.* Dac. *Vit. Plat. p.* 178. His plerique Critici recentiores adverſantur; quibus antiqui Platonis diſcipuli ſine ulla dubitatione faverе dicendi ſunt. Vide praeſertim, quae Cicero habet *Quaeſt. Acad. L. I.*

nis libris nonnulla reperiri, quae Chriſtianae doctrinae ſimilia videantur, aliud eſt, Platonem ipſum cognoviſſe Myſterium, quod ex ſacris Veteris Teſtamenti libris ne Doctorum quidem Hebraeorum incredibilis diligentia cognoſcere potuerat. Sed haec non hujus loci. Nunc tantum advertere liceat, quam clare Plato Numen Unum induxerit, cui tribuenda eſſent, quae Deo tribui oportere, perſpicua ratio demonſtrat.

Quid quod Juſtinus ille Martyr eloquentia doctrinaque praeſtantiſſimus, in Platonis libris multa, non modo ſanctiſſimae Moſis doctrinae conformia, ſed & ab eadem accepta inveniri putavit? Hujuſmodi eſt illud, quod Plato de Deo dicit, ſcilicet ſupremo, atque maximo, cum = *principium, & finem* ait eſſe, *mediumque rerum omnium, ſicut antiquus ſermo declarat* (*a*) =; quibus verbis Moſis libros obſcurius indicare voluiſſe *φόβῳ τȣ̃ κωνείȣ* Juſtinus idem opinatur.

Haec Juſtini quidem graviſſima ſententia Numenii, hominis, ut Ethnici, tamen acutiſſimi, auctoritate comprobari poteſt, de quo ita Suidas (*b*) = *Numenius Platonis ſententiam coarguit, quippe quae compilata ex Moſaicis ſcriptis ſit, quibus de Deo, & mundi ortu vera traduntur* =.

Haec etiam in memoriam revocant, quae de ipſo Platone ſcripſit Auguſtinus (*c*): divinum videlicet Geneſeos librum a Platone fuiſſe lectum, & ea Moſis verba = *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona* = fuiſſe Graecae ſapientiae principi probata, cum ſcriberet condendi Mundi cauſam fuiſſe juſtiſſimam, *ut a bono Deo bona opera fierent*. Quam Platonis auream ſententiam ita verſam a Cicerone in libro *de Univerſitate* legimus = *Quaeramus igitur cauſam, quae eum impulerit, qui haec machinatus ſit, ut ori-*

Y y *ginem*

(*a*) = Ὁ μὲν δὴ Θεὸς, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελεύτην, καὶ μέσα τῶν πάντων ἔχων εὐθείαν περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος = Habentur ea *L. IV. de Legibus*. Laudat autem ea Juſtinus *Cohort. ad Graecos p. m.* 25.

(*b*) Suid. *Voce Numenius*.

(*c*) Aug. *L. XI. de Civ. C.* 21.

ginem rerum, & molitionem novam quaereret. Probitate videlicet praeſtabat: probus autem invidet nemini: itaque omnia ſui ſimillima generavit; haec nimirum gignendi mundi juſtiſſima cauſa =.

Cum ea Plato ſentiret, mirum non eſt eumdem in II. *de Republica* libro diſerte ſcripſiſſe = *bonorum omnium cauſam unicam eſſe Deum: quod ad mala pertinet, illorum cauſam extra Deum eſſe quaerendam* = & in *Philebo* dixiſſe = *non exiſtimandum eſſe duos Deos Coelum vertere contraria ſentientes* = & in X. *de Legibus*, quod una ſit Mens, aut Ratio, quae Mundum ornaverit, atque digeſserit, inde colligere, quod ipſe Mundus unus profecto ſit.

Quid quod hunc eumdem Deum nihil habere cum materia commune, ac ſola mente, vel intelligentia percipi poſſe, multis locis (*a*) auctor eſt Plato? Quid quod eidem liberrimam eſse voluntatem probat, ac rerum prorſus omnium curam, ſummamque potentiam? (*b*) Quid quod omnino ſimplicem, ac nulli mutationi obnoxiam Divinitatem eſse tradit? (*c*) At ſi Platonis omnia de ſupremo Numine praeclare ſcripta colligere vellemus, plus fortaſse prolixitatis, quam utilitatis habitura eſset oratio (*d*).

Ali-

(*a*) E. g. *in Timaeo, & in Politico*.

(*b*) E. g *in Politico, & de Leg. X.*

(*c*) *L. II. de Republ.*

(*d*) Vel ex his, quae attulimus, patet quam injuſti fuerint in Platonem, qui, fuiſſe Atheum, aut eadem, quae Spinoſa, docuiſſe tam nobilem philoſophum, affirmarunt. Inter eos eminet auctor Germanus in libro, cui titulus *Otia* Hallae impreſſo an. 1706. *P. II. C. III. p.* 86. Defendit Platonem non modo Wolfius (*in Diſſert. de Manich. ante Manichaeos, & in Diſſert. de Atheiſmi falſo ſuſpectis* §. *XII. p.* 37. *ſeq.*) ſed ipſe Buddèus (*Trait. de l' Ath. C. I* §. *XIII.*) praeter alios innumeros. Quin & P. Baltus, qui *Polytheiſmum*, ac ſuperſtitionem Platonis acriter accuſat, verum ab ipſo Deum cognitum fuiſſe concedit. (*in Opere, cui titulus Defenſe des SS. Peres accuſés de Platoniſme Lib. III. Vide a p.* 244.) Ex iiſdem, quae attulimus, Baylii oſtenditur levitas, qui ſcripſit Platonem Mundi principium, aut cauſam ab ipſo Mundo tantum cogitatione diſtinxiſſe. (*Vid. Penſ. &c.* §. *LXVIII.*) Secutus eſt hac in re Baylius Auctorem non magnae profecto aut do-

ctri-

Aliqua jam de nobiliſſimo Platonis diſcipulo Ariſtotele, qui ſupremam Intelligentiam inter alias omnes longe perfectiſſimam, atque optimam induxit. Sed cum ſatis longam Ariſtotelis orationem alias recitaverimus, nunc indicare ſufficiat, & clarius eumdem, & nobilius de ſupremo Deo, in libro, quem *de Mundo* inſcripſit, fuiſſe locutum. Nam & rerum omnium ordinem, atque conſtantiam ab illo, atque per illum cuſtodiri diſerte narrat, & ab illo, atque per illum omnia nobis provenire, docet (a). Peccat quidem in eo, quod minimarum rerum, praeſertim, quae ſub Luna fiant, curam ab ipſo Deo non ſibi ſervari, at Intelligentiis aliis committi putat. Quare Providentiam in res noſtras, quam Scholaſtici *mediatam* appellarunt, Deo tantum adſcribit. At in eo laudandus eſt, quod ſupra caeteras Intelligentias ita Dei virtutem, ſapientiam, atque majeſtatem extollit, ut nullo modo cum ipſo, cui parere omnino debeant, comparari poſſe videantur (b).

Haud equidem ignoro, librum hunc de Mundo Critis

ctrinae, aut famae Suveraenium (*M. Souverain in lib. cui tit. Le Platoniſme Devoilé*). Praeterea tenuit rationem illam, qua nihil ineptius eſſe poteſt, auctoribus tribuendi ſententias, quas ex eorumdem dictis elicere quocumque modo poſſimus.

(a) *Capite II.* rerum omnium ordo, ac pulchritudo ipſi eſt = ὑπὸ Θεοῦ, καὶ διὰ Θεὸν φυλαττομένη = Loquitur autem de ſupremo Deo. In eodem libro *Capite VI.* cum praefatus eſſet, reprehenſione fore dignum, ſi quis, cum de Mundo ſermonem inſtituerit, de maximo totius Mundi Domino, nihil afferat, auream illam ſententiam ſubjicit = *Veterem eſſe doctrinam a Patribus traditam hominibus univerſis, quod ex Deo, atque per Deum omnia nobis bona proveniant* = quam ſententiam ipſe non obſcure probat. Graecum habet = Πλημμελὲς γὰρ περὶ κόσμου λέγοντας ...... τὸ τοῦ κόσμου κυριώτατον παραλιπεῖν. Ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ Θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ Θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν = Rem addit profecto graviſſimam = Οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης, ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας = quem locum ita vertit Guilelmus Budaeus = *Nullamque naturam ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quae citra Dei praeſidium ſuae ipſa demum tutelae permiſſa ſit* =.

(b) Vide praeſertim *Caput VI.* in *editione Graeca Wecheliana Francofurti*, 1596. quod in Latina interpretatione ſolet eſſe VII.

cis a quibuſdam, ut a M. Antonio Mureto, ut a Daniele Heinſio, Ariſtoteli abjudicari, & vel Theophraſto, vel Nicolao Damaſceno, vel Anaximeni Lampſaceno, Alexandri Magni aequali, vel Stoico tandem Poſſidonio tribui. At divinus ille Fabricius, qui rationes illorum & optime noverat, & diligentiſſime perpenderat, p~nunciare non dubitavit (*a*) = *Perſpicuum eſſe puto, ...ptum illud verè eſſe Ariſtotelis* = alibi (*b*) = *Nea... ubito hoc ſcriptum inter γνήσια Philoſophi monumen... ...eferre* =. (*c*)

Sequitur ... de Stoicis aliquid videamus, quos nonnullorum ... ſaepe diximus, Criticorum iniquitas Α'θεότητος ...quando conſtituit, atque impietatis Spinoſianae reos (*d*). At illi non modo Divinitatem eſſe fatebantur, ſed unum ſupremum Numen agnoſcebant, a quo videlicet omnia penderent.

Hinc

(*a*) *Bibl. Graec. L. II. C.* 10. §. 17.

(*b*) *L. III. C. 6.* §. 13. Danielis Heinſii rationes optime ſolvit Batteuxius *To. XXXII. de l' Ac. R. des Inſcr. VIII. Mém. II. P. &c.*

(*c*) Notanda etiam hoc loco ſunt ea verba Ariſtotelis *L. I. Politic.* quibus communem teſtatur eſſe opinionem, quod vel ipſi Dii ſub imperio ſint = Πάντες λέγουσι Θεοὺς βασιλεύεσθαι = quod ita debet intelligi, ut unicum ſit Numen, quod caeteras Intelligentias imperio ſuo regat, atque coërceat. Hanc eamdem Sapientum Sententiam Ariſtoteles probare videtur *XII. Metaphyſ.* ſub finem.

(*d*) Diligenter defendit Stoicos, ut alios plurimos apud Reimmannum legendos omittam, Vir eruditiſſimus Jo. Chriſtophorus Burgmannus *Diſſert. de Stoa a Spinoziſmo, & Atheiſmo exculpanda*, cujus rationes ita Bruckerus (*To. I. Hiſt. Crit. &c. p. m.* 937.) in pauciora contraxit = *I. Conſtantiſſime docere Stoicos, eſſe Deum, & inſanos habere eos, qui negare hanc veritatem audeant, maximam quoque partem religionis ponere in cultu Dei. II. Docere eos, Deum eſſe aeternum, rationalem, a materia, mundoque diſtinctam ſubſtantiam, intellectu, prudentia, & potentia inſtructam, qui Ignis artificialis dicatur ſenſu improprio, & metaphorico, more Chaldaeorum, & Democriti. III. Opponi Deum natura ſua materiae, quae ſine qualitatibus fuerit, donec Deus eam ornaret. IV. Diſtingui etiam a Mundo; hunc enim perire, Deum eſſe aeternum. V. Eſſe quidem Mundi Animam, qui ideo Deus ſenſu dicatur improprio, non tamen unam cum Mundo ſubſtantiam eſſe, ut vult Spinoſa, ſed differre natura ſua a materia, quam inhabitat* =.

Hinc illa Poëtae Stoici Manilii aperte canentis

„ . . . . *Vivere Mundum*
„ *Et rationis agi motu: cum Spiritus unus*
„ *Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem*
„ *Omnia pervolitans, corpuſque animale figuret.*

Quo loco Stoicus vehementer errat, cum Deum ponit univerſi Orbis animam. At nobis hoc loco ſatis eſt, quod unum agnoſcit nobiliſſimum Spiritum, qui omnia regat.

Hinc etiam illa Plutarchi Stoicis profecto non plus aequo faventis (*a*), ubi narrat duos Principes Stoicorum = *Chryſippum, & Cleanthem, cum impleviſſent ſuis dictis Coelum, Terras, Aërem, Mare Diis, nullum horum ab interitu liberum, aut ſempiternum ſtatuiſſe: ſolo Iove excepto, in quem reliquos omnes conſumi putent* =.

Cum his etiam ea conveniunt, quae ſcripſit Antoninus Auguſtus (*b*), Stoicorum haud leve decus = *Cuncta ex Iove, in Iove, & ad Iovem eſſe* = itemque illa Senecae, qui flagrante Mundo Deos etiam omnes, Jove excepto, conſumi tradit (*c*). Vult enim conſtantiam ſapientis hominis inter aerumnas eſſe = *Qualis eſt Iovis, cum, reſoluto mundo, & Diis in unum confuſis, pauliſper ceſſante Natura, acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis traditus* =.

Hunc autem Seneca Jovem omnibus virtutibus, ac dotibus ornat; quin & de eodem illa profert (*d*) ſane graviſſima = *Magnum neſcio quid, majuſque quam cogitari poteſt, Deus eſt* = Hunc etiam quocumque velis nomine, modo nobili, atque ſublimi vocari poſſe cenſet (*e*), atque illa ſcribit. = *Quaecumque voles nomina propria Deo aptabis, vim aliquam, eſſe-*

(*a*) *De Communibus Notionibus adverſus Stoicos.*
(*b*) *L. IV. §. 23.*
(*c*) *Epiſt. IX. p. 22.*
(*d*) *In Exhortat.*
(*e*) *De Beneficiis IV. C. VII.* Similia ſunt in Ariſtotelis libro *de Mundo C. VI.* quod laudavimus.

effectumque coeleſtium continentia: tot appellationes ejus eſſe poſſunt, quot munera =.

Hic negari non poteſt, hunc eumdem Senecam etiam de Vi Fati neſcio cujus in Deum male fuiſſe locutum, ut cum ait (*a*) = *Eadem neceſſitas & Deos alligat: irrevocabilis divina pariter, atque humana curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor, ac rector ſcripſit quidem Fata, ſed ſequitur. Semper paret, ſemel juſſit* =.

At haec duo poſtrema verba efficiunt, ut mihi Juſti Lipſii ſententia non diſpliceat, ex ipſa ſupremi Numinis Providentia Fatum de Stoicorum ſententia naſci judicantis. Id ſi verum eſt, ea neceſſitas nobis quidem, ac naturae univerſae immane jugum ſervitutis imponet. Non ideo tamen, modo rite explicetur, ſupremi Numinis libertatem evertet. *Conſequens* enim, ut Scholaſtici dicunt, non *antecedens* illa neceſſitas cenſeri poterit.

Id velle Seneca videtur etiam iis locis, ubi Deum ipſum poſse Fatum appellari, non obſcure docet, ut cum ait (*b*) = *Vis illum* (Deum) *Fatum vocare? non errabis. Hic eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſa cauſarum. Vis illum Providentiam? recte dices &c.* = Idem Seneca docere videtur, ubi ſupremum Deum affirmat (*c*), propter eam rationem decreta ſua mutare non poſse = *Quod imminutio majeſtatis ſit, & confeſſio erroris mutanda feciſſe. Neceſſe eſt ei eadem placere, cui niſi optima placere non poſſunt* =. Idem, ubi argumentum adverſariorum ipſe ita ſolvit (*d*) = *Nec Deus ob hoc minus liber, aut potens eſt: ipſe enim eſt Neceſſitas ſua* = Haec, inquam, Seneca non modo perfectus doctorum hominum ſententia Stoicus, ſed & Stoicorum opiniones diligenter exprimens.

Auguſtinus autem graviſſimus auctor de Stoicis etiam loqui videtur, (Senecam enim non multo poſt (*e*) de Fato lo-

(*a*) *De Provid. C. V.*
(*b*) *Quaeſt. Natural. Lib. II. C. XLV.*
(*c*) *Quaeſt. Natur. L. I.*
(*d*) *Ibid.*
(*e*) *Lib. V. de Civ. Dei C. VIII.*

loquentem affert, ac probat) ubi rejecto Fato Aſtrologorum addit (*a*) = *At qui omnium connexionem, ſeriemque cauſarum, qua fit omne quod fit, Fati nomine appellant, non multum cum eis de verbi controverſia certandum, atque laborandum eſt: quandoquidem ipſum cauſarum ordinem, & quamdam connexionem Summi Dei tribuunt voluntati* =.

Huc etiam reliqui faciunt Auctores, qui docent, vel Stoicos Fatum ipſum habuiſſe Deum, vel omnia prorſus unius Dei Providentiae ſubjeciſſe. Velut Minutius Felix & antiquiſſimus, & ſanctiſſimus auctor *in Octavio* = *Zeno*, inquit, *& Chryſippus, & Cleanthes, ſunt & ipſi multiformes, ſed ad unitatem Providentiae omnes revolvuntur* = Laërtius autem inter Zenonis placita ponit = *Unum quid eſſe Deum: ſed tamen Mentem, & Fatum, & Iovem, aliiſque pluribus nomenclaturis ſolere efferri* =. (*b*)

At his omiſſis multa Stoicos de ſupremo Deo praeclara ſcripſiſſe, nemo negare poteſt. Quis enim Cleanthis verſus a Clemente Alexandrino ſervatos, atque a Juſto Lipſio tantopere laudatos non admiretur? Ita enim ille canit.

„ *Si quale ſit Bonum rogas; ita accipe:*
„ *Eſt ordinatum, juſtum, & eſt ſanctum, pium,*
„ *Sui potens, commodum aliis, pulchrum, decens,*
„ *Rectum, atque conſtans, ſemper autem conferens,*
„ *Expers metu, dolore, curis omnibus,*
„ *Iuvans, benignum, ſtabile, amicum, amabile,*
„ *Honore dignum, confitendum . . . . . .*
„ *Et glorioſum, non ſuperbum, quod gerit*
„ *Curam omnium, placens, & viribus valens,*
„ *Ævi vetus, culpae inſcium ſemper manens.*
„ *Ah vilis ille, Opinionem qui adſpicit,*
„ *Tamquam duce hac venturus ad Veri ſcopum* (*c*).

Hjs

(*a*) C. *IX*. (*b*) *In Zenone*.
(*c*) Facere non poſſumus, quin Graecos ipſos Cleanthis verſus erudito Lectori exhibeamus.

His duobus poſtremis verſibus Ethnicorum vanas opiniones convelli, Juſtus Lipſius putat.

Neceſſe non eſt in hiſce longius immorari, cum idem Juſtus Lipſius multa congeſſerit, ut Deum Stoicis Unum, & Bonum, & Providum fuiſſe viſum oſtenderet (*a*): quem praecipue Burnetius, & Stanlejus, cum Stoicorum doctrinas explanarent, ſecuti, atque imitati ſunt (*b*).

Iterum profiteor, non ignorare me, Stoicos aliqua dixiſſe de Natura divina, quae maximos in errores deducerent (*c*): Jacobum vero Thomaſium, Virum litteris, & ingenio praeſtantem, multa Stoicorum in ſpeciem praeclare dicta deteriores ad ſenſus detorquere (*d*). Sed, quamvis ille, quod voluit, plurimis recentioribus perſuaſerit, non tamen eumdem puto, magis quam laudatos a nobis auctores, Stoi-

„ Εἰ τὸ ἀγαθὸν ἐρωτᾷς μ' οἷον ἐστ', ἄκουε δή.
„ Τεταγμένον, δίκαιον, ὅσιον, ἐυσεβὲς,
„ Κρατοῦν ἑαυτοῦ, χρήσιμον, καλὸν, δέον,
„ Αὐστηρὸν, αὐθέκαστον, αἰεὶ συμφέρον,
„ Ἄφοβον, ἄλυπον, λυσιτελὲς, ἀνώδυνον,
„ Ὠφέλιμον, ἐυάρεστον, ἀσφαλὲς, φίλον,
„ Ἔντιμον, ὁμολογούμενον. . . . .
„ Εὐκλεὲς, ἄτυφον, ἐπιμελὲς, πρᾶον, σφοδρὸν,
„ Χρονιζόμενον, ἄμεμπτον, αἰεὶ διαμένον.
„ Ἀνελεύθερος πᾶς, ὅστις εἰς δόξαν βλέπει,
„ Ὡς δὴ παρ' ἐκείνης τευξόμενος καλοῦ τινὸς.

Nos quidem Latinos ex Juſti Lipſii interpretatione dedimus.

(*a*) *Lib. I. Phyſiologiae Stoicorum* Vid. *Diſſert. IX. X. & XI. a p. m.* 827. *Tom. I. Operum*.

(*b*) Burnet. *Archaeolog. Philoſ. L. I. C. XII.* & Stanl. *Hiſt. Philoſ.*

(*c*) Huc illa maxime faciunt, quae de Stoicis habet Batteuxius *Tom. XXXII. de l' Ac. R. des Inſcr. IX. Mém. &c. p.* 118. *M.* = *Les Stoïciens accoutumés à définir, à diviſer, à mettre en aſſertion, & ſur-tout à ne jamais douter, furent pouſſés par leurs adverſaires dans des conſéquences, qu' ils n' avoient pas prevues d' abord, & qu' il fallut admettre, pour conſerver les principes d' où elles ſortoient trop clairement, & ſur-tout pour ne point abandonner l' honneur de l' Ecole, qui auroit été compromis. Par-là ils tombérent dans les contradictions le plus évidentes &c.* =.

(*d*) *In Exercitationibus de Exuſtione Mundi Stoica, & Diſſertat.* 21. *ad Hiſtoriam Philoſophiae Stoicae facientibus.*

Digitized by Google

Stoicorum ſententias aſſecutum fuiſſe. Etenim in eo non leviter Thomaſius peccare mihi videtur, quod ingenio ſuo nimium tribuat, &, quod ex eorumdem ipſe Stoicorum ſententiis elicit, Stoicis placuiſſe, nimis facile ſumat. At nolo nunc manus cum Thomaſio conſerere. Cum Baylio mihi res eſt, ut Dei unitatem aliqua ſaltem ratione Stoicis innotuiſſe efficiam. Id negari non poteſt, niſi Stoicorum verbis vim inferamus, & alio modo judicaviſſe, alio fuiſſe locutos, ſine ulla ratione opinemur.

Plurima hic ex Philoſophis aliis Graecis, atque Latinis, afferre poſſemus, ut plurimis Ethnicis Unitatem Dei non ignotam omnino fuiſſe probaremus. Verum &, quae diximus, hoc loco ſatis ad rem noſtram eſſe poſſunt, & multa in altero, ut dudum promiſimus, libro attingenda ſuperſunt, ex quibus haec eadem veritas facile demonſtretur. Nunc pauca quaedam contra Baylium dicenda ſunt, qui omnem lapidem movit, ut iidem Philoſophi, qui unum fatebantur eſſe Deum, plures etiam Deos, quam vulgaris coleret ſuperſtitio, commenti fuiſſe viderentur (a).

Palmaris autem, ut ipſe putat, ejus rei ratio eſt, quod & qui Mundum, & qui Animam Mundi, & qui aliud quidpiam, materiae profecto non expers, volebant eſſe Deum, non ſimplicem ponerent, at multis ex partibus exiſtentem. Hinc neque unum, ait Baylius, ponebant, verum totidem Deos, quot ſunt illae partes, ex quibus Deus iiſdem extare videbatur. Singulae enim illae partes divinae naturae ſunt. Divina vero natura quaelibet Deus dicenda eſt. Partes igitur illae totidem Dii ſunt. Quod ſi unum dicebant Deum, ea ratione dicebant, qua Domus, qua Exercitus, qua reliqua ejuſdem generis *Unum* dici ſolent; *Unum* ſcilicet, ut in ſcholis loqui ſolemus, ***Logicum***, non *phyſicum*, aut *metaphyſicum*. Hoc

 illud

(a) Vid. *Contin. des Penſées &c. Queſt. &c. C. CX. a p. 723. T. III. §. XXVI. a p. 118. & Réponſ. aux Op.*

illud eſt argumentum fuſiore in Baylii libris oratione propoſitum, cujus vim ſe percipere poſſe, Jacobus Bernardus ingenue negavit. Ipſe autem argumenti auctor Baylius immaturum quodammodo libris conſignatum fuiſſe, cum Typographus nimium inſtaret, ut, quod edere poſſet, ſibi traderetur, aperte confeſſus eſt (*a*).

Revera nihil magis immaturum dici, vel fingi poteſt. Etſi enim illud argumentum ita urgeri poteſt (quod contra Varronem Auguſtinus (*b*) egregie praeſtitit) ut Stoici, ac reliqui Ethnici ſubtiliſſimam quamdam Naturae divinae materiam immiſcentes (*c*), cum Deum unum eſſe dicunt, ſibi con-

(*a*) *Réponſ. &c. C. CX.* ſub initium.

(*b*) *De Civ. Dei L. VII. C. VI. & ſeq.*

(*c*) Plerique Critici poſt Jo. Laurentium Moshemium opinantur, Philoſophos antiquos tum Deum, tum humanam Mentem non omnis prorſus expertem materiae poſuiſſe. Hinc animos tollere ſolent ii recentiores Increduli, qui *Materialiſtae* vulgo dicuntur. Praecipue vero id urget. qui vult aetate noſtra dux eorum, & princeps haberi. Voltaerius (*Mélange &c. Ch. XXVI. & XXVII.*) At Vir longe ſapientior Batteuxius omnino alia & ſenſit, & ſcripſit (Vid. *To. XXIX. de l' Ac. R. des Inſc. VI. Mém. ſur le Principe actif &c.*) Primo quidem dubitare videtur, an res ita ſe habeat, ut Critici, quos diximus, narrare ſolent. Deinde egregie oſtendit ſententiam Veterum illorum cum ſententia recentiorum *Materialiſtarum* in multis, quae maximi ſunt momenti, ſine dubio differre. (Vid. *loc. cit. a p.* 322. *M.*) De ſententia Veterum illorum haec etiam habet = *Tout étoit matière parce qu'ils ne pouvoient concevoir aucune nature, aucune forme, aucune modification, quelle qu'elle fût, ſans une eſpèce de ſujet pour la porter, & la contenir. La matière étoit chez eux la même notion que celle de nôtre ſubſtance priſe en général. Tous étoit matière: mais cetse matière étoit de deux eſpèces; l' une plus deliée, l' autre plus groſſiere. l' une active, l' autre paſſive; l' une ayant la vie, le mouvement, la penſée, & tous les attributs que nous donnons à l'eſprit: l' autre n' ayant par elle-même aucun de ces attributs, où ne les ayant que bruts, deſordonnét, ſans raiſon, & ſans loi; l' une étoit éther, anima, animus, ſouffle intelligent, qui portoit, pénétroit, arrangeoit la maſſe ronde; l' autre étoit une terre, une humeur, un fluide ſoumis, & obëiſſant au prémier, & ſe revêtant de toutes les formes de Protée* = Similia Fucherius (*To. XXVII. de l'Ac. R. des Inſc. Suite du Traité &c. p.* 387. 388. *M.*) Similia apud Bruckerum, & ſapientes alios Criticos legere potes. Sunt etiam inter hos

contradicere videantur, non tamen efficit, Deum ab illis Unum non fuiſſe poſitum. Quemadmodum neque ex eo, quod unum Deum tam aperte ponant, concludi licet, ut materiam divinae Naturae non immiſcuerint. Aliud eſt aliquid negare, vel concedere, aliud pugnantia loqui. Si nolimus auctoribus ſententias tribuere, quae cum aliis eorumdem ſententiis cohaerere non poſſunt, nihil unquam Baylium in tota vita opinatum fuiſſe, nihil ſenſiſſe animo, concludemus.

Haud equidem inficior, hoc argumenti genus aliquando vim habere vel maximam poſſe. At tum demum habet vim eam, cum conſecutiones, quas elicimus, ita clarae, atque apertae ſunt, ut eas ex doctrina, quam ſcrutamur, ſequi, nobis etiam tacentibus, nemo non facile videat; neque vero probabile eſt, auctores, de quibus agimus, tam hebetes fuiſſe, ut id non viderent, quod eſſet in luce adeo clara propoſitum. Sic ſi Philoſophus quiſpiam, ſummam ineſſe Deo perfectionem, aperte fateatur, haud equidem dubitabo, quin ſapientiam Deo tribuat, ac bonitatem, atque virtutem.

Haec in re noſtra dici non poſſe, facile videbunt homines non contentionis cupidiores, quam veritatis. Ipſi enim Stoici, qui paulo difficilius, quam Platonici defenduntur, quamvis acuti homines, atque docti, poterant in eo decipi, quod Deum & Unum, & tamen ex partibus com-

hos, qui Philoſophos veteres, aut plures, aut pauciores, in eo errore fuiſſe, omnino inficientur. Superiorum aetatum Scriptores afferre nihil neceſſe eſt. Poſt Moshemium ipſum id inficiati ſunt, Gerdilus (*Introduz. allo Studio della Relig.*) Eques Antonius Philippus Adami (*in Diſſ. Liburni impreſſa an.* 1755.) Nonnottius (*Erreurs de Voltaire*) atque alii plures, quibus noviſſime acceſſit ſapiens auctor Notationum ad Articulum *Ame* (in *Encyclopaedia*, quae Liburni imprimitur). Horum ego ſententiam libenter amplector, quam tamen operoſe hoc loco probare, cum nimis longa, tum valde importuna res eſſe videretur. Illud tamen advertere neceſſe eſt, non eadem ratione, qua Plato, & Ariſtoteles, eorumque plurimi diſcipuli defendi poſſunt, Stoicos etiam, aliosque multos Stoicis opinionibus valde ſimilia ſentientes, poſſe defendi.

poſitum eſſe putarent. Erat igitur, ait Baylius, iiſdem Deus unus, ut Domus, ut Exercitus. Minime vero. Erat unus, ut Epaminondas unus erat, ut Zeno, ut Alcibiades, ut Caeſar, ut Cato, ut alius quilibet homo. Nam & hic ex partibus componitur; Unus tamen eſt non *logice* tantum, quandoquidem hae voces tibi placent, at *phyſice*, quin & *metaphyſice*.

Similitudo quidem ab Homine translata valde placebat Stoicis, qui ſaepius eadem utebantur, ut, quid eſſet Deus, explicarent. Hinc Varro, cum dixiſſet apud Augustinum (*a*) = *Deum ſe arbitrari Animam Mundi, & hunc ipſum eſſe Deum* = addebat = *Sicut hominem ſapientem, cum ſit ex Animo, & Corpore, tamen ab Animo dicimus ſapientem, ita Mundum Deum dici ab Animo, cum ſit ex Animo, & Corpore* = Seneca vero (*a*) = *Quid inter naturam Dei, & noſtram intereſt? Noſtri melior pars eſt Animus: in illo nulla pars extra Animum* = Hinc intelligis quid ſibi velint, cum ibidem ait = *Quid eſt Deus? Mens Univerſi. Quid eſt Deus? Totum quod vides, & quod non vides Totum* = Quibus etiam ea Plutarchi reſpondent (*b*) = *Deum Stoici dicunt, & Mundum, & Stellas, & Terram; ſed ſupremum illum, Mentem in Æthere* =.

Jam vero quanto potuerit opere hoc exemplum acutos illos homines, non tamen Evangelicae doctrinae luce perfuſos, decipere, doctus quiſque lector magis, opinor, jam percipit, quam ut oratio mea clarius id oſtenſura videatur. Etenim ut homo quivis unus eſt, non duplex homo, quod una mens eſt, aut intelligentia, cui corpus naturae neceſſitate conjungitur, atque paret (ratione enim hic

(*a*) *De Civit. Dei L. VII. C. 6.*

(*a*) *In Praef. L. I. Nat. Quaeſt.*

(*b*) *De Placit. Philoſ. L. I. C. VII.* Graeca verba ſunt = Θεὸν ϗ κόσμον, ϗ ἀστέρας, ϗ τὴν γῆν λέγουσι. τὸν δὲ ἀνωτάτω πάντων, νοῦν ἐν αἰθέρι = Hic autem obiter notare potes, qua ratione Stoici Mundum appellaverint Deum, & quam longe fuerint ab inſania Spinoſae, qui cum eadem fere verba quandoque adhiberet, Mentem Naturae Dominam numquam agnovit.

hic loqui praeſtat Ethnicos apud Philoſophos, praecipue Stoicos, uſitata) ita Deus illis unus erat, quod perfecta eſſet Intelligentia, quamvis & ipſa Mundum univerſum non modo regeret, ſed tamquam Anima Corpus, permearet, atque arctiſſimo eidem nexu copularetur. Quod ſi veteribus, ac recentioribus Epicureis (cur enim hoc nomine *Spiritus noſtri fortes* venire dedignentur?) unus videtur homo, quamvis ipſa illius mens tam excellens, atque tam nobilis ex particulis materiae neſcio qua ratione coagmentatis, aut agitatis exiſtit, cur Deus etiam unus iis videri non potuit, qui non prorſus nobiliſſimam ejus naturam ab omni materiae concretione ſecernebant? Multa hic contra Baylium afferre alia poſſemus. At, quando contra recentiores Incredulos diſputamus, ſaepe non tam orationis copia, quam modus quaerendus eſt.

Illud autem Baylii mendacium confutatione non indiget: Qui Dei Unitatem veteribus Ethnicis notam fuiſſe docent, ad ſummum probare, paucis quibuſdam Philoſophis illam innotuiſſe (*a*). Nam primo quidem, ut diximus, inter Ethnicos & Perſas, & Æthiopes, & Chaldaeos, & alios populos plurimi homines id ſunt aſſecuti, ut unum *Ens ſumme perfectum*, hoc eſt unum Deum eſſe cognoſcerent. Deinde ſi Plato, ſi Ariſtoteles, ſi Zeno, ſi Sophocles, ſi caeteri, quorum verba laudantur, pauci erant, non tamen pauci erant ii, qui Platonis, qui Ariſtotelis, qui caeterorum Graecae Sapientiae principum ſententias incredibili quadam animorum contentione defenderent. Hiſtoria Philoſophiae neminem hac de re diligentiorem lectorem dubitare patietur. Itaque Cyrillus Vir doctiſſimus contra Julianum ea ſcribere potuit (*b*) = *Manifeſtum eſt etiam Graeco more philoſophantibus unum cenſeri, & in confeſſo eſſe Deum univerſi conditorem, & natura omnes ſuperantem, a quo facti ſunt, & pro-*

(*a*) *Contin. des Penſées* §. *XXVI. p.* 117. (*b*) *L. I. contra Julian.*

productі ad generationem alii deinceps Dii ſub intellectum, & ſenſum, ut ipſi loquuntur, cadentes =.

Quae cum ita ſint, manifeſtum eſt, exemplum a *Polyteiſmo* deſumptum nihil minus efficere, quam, quod vult Baylius, totum Humanum Genus in turpiſſimo quovis errore per multas etiam aetates poſſe verſari.

PRIORIS LIBRI FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM MEMORABILIUM,

Quas in primo hujus Operis Volumine contineri, capitum ipſi tituli non ſatis indicant.

A

Acoſta (Joſephus) laudatur, & ejus de Americanis teſtimonium recitatur p. 44.
Æſchylus. Ejus de Atheis timore correptis praeclara ſententia p. 129.
Æthiopes unum Deum immortalem agnoſcebant p. 341.
Africani plures cur Deum non colant p. 48.
Agatopiſtus Cromatianus laudatur p. 81. *& alib.*
Alembertus (*Monſ. d'Alembert*) laudatur p. 300.
Alexandrini Philoſophi quomodo explicarent Mundi a Deo conditi aeternitatem p. 108.
Americani propter humanarum carnium eſum correpti erubuerunt p. 23. Eorum crudelitas deſcribitur p. 25. 26. Cur plures ex iis populis Atheiſmi accuſati fuerint p. 43. 44. cur plures ex iis Diabolum colant p. 50. plures ex iis ſine ulla Religione vivunt, non tamen ſine omni notitia Divinitatis p. 46. 47. 48. 50.
Analogia a gentibus notis ad ignotas in Controverſia noſtra locum habet a p. 17.
Antillae. Earum incolae an Simiae potius, quam homines p. 33.
Ariſtoteles ab Atheiſmi nota defenditur p. 106. & p. 250. Si conſtitit ſibi Mundum a Deo genitum agnovit p. 107. opinionem Democriti de Mundo a Caſu facto rejecit p. 107. Progreſſum cauſarum in infinitum abſurdum putavit a p. 107. an probaverit demonſtrationem exiſtentiae Dei ab ornatu Mundi p. 230. 231. Ejus de Deo ſententiae p. 355. Auctor is eſt Libri de Mundo p. 356.
Athei quidam an optimi Viri p. 36. 37. In quo ſit cardo quaeſtionis inter nos, & illos p. 63.
Auguſtinus (S.) Ejus ingenioſa ratio pro exiſtentia Dei demonſtranda p. 141.

B

Barbari quo melius cognoſcuntur, eo certius videntur non Athei p. 18. plures eorum an Deum interno cultu venerentur p. 49. quorumdam Barbarorum abſurdae conſuetudines p. 22.
Batteuxius quid ſentiat de ſtudio hiſtoriae philoſophiae p. 4.
Baylius cum Luciano comparatur p. 2. qua ratione dici poſſit teſtari Conſenſum p. 15. quam male probet aliquos fuiſſe Atheos, ac ſimul optimos viros a p. 36. ſibi contradicit p. 37. 38. concedit non multum viatoribus eſſe fidendum. p. 42.

42. male Platonem interpretatur p. 55. contra Spinoſam ex animo & recte pugnavit p. 65. fruſtra probare nititur, eſſe nimis obſcuram quaeſtionem de Natura divina p. 74. & Atheiſmi ſpeciem eſſe Idolatriam p. 78. videtur concedere ab Ethnicis Naturam divinam fuiſſe ſumme perfectam exiſtimatam p. 78. non vult nimium amplificari numerum Atheorum a p. 116. 117. qua ratione veritatem oppugnet p. 120. quam parum ſibi conſtet p. 127. improbitas ejus fuſe deſcribitur, atque demonſtratur p. 156. Ipſe eſt auctor libri, cui titulus. *Avis important aux refugiez* p. 157. Quantum peccaverit in Religionem p. 157. 158. ejus lectio quantum periculoſa p. 159. ſibi contradicit, ac temere Auguſtinum arguit p. 160. Sibi contradicit p. 298. rurſus a p. 323. Ejus error de Numinum Ethnicorum Polyarchia refellitur p. 327.

Beatitudo etiam naturalis Humana in Deo conſtitui debet p. 232.

Bentleyus. Ejus judicium de Atheis p. 154.

Bergierius laudatur, & ejus de Atheis ſententia exponitur p. 149. de ſententia, qua Gentibus omnibus Religionem ineſſe ſcribit p. 244.

Bernardus (Jacobus) laudatur a p. 13. 16. & *alib.* an recte pugnaverit contra Baylium pro argumento Inductionis in Controverſia de Generis Humani Conſenſu &c. a p. 19. an recte impugnaverit exemplum communis erroris a Virtute Signo Canis tributa deſumptum p. 299. 300.

Bion Boryſthenites aeger Divinitatem agnovit p. 129.

Bolingbroekii horrenda mors p. 134.

Braſilienſes plures cur Diabolum colant p. 50.

Bruckerus laudatur p. 80. Ejus ſententia de Spinoſae morte confutatur p. 135. reprehenditur p. 174.

Bruyerus (*La Bruyere*) Ejus judicium de Atheis p. 154.

Buddeus. Confutatur ejus ratio Atheos inveniendi p. 94. & ſequentibus fuſe. Non ſibi conſtat *ibid.* Cur a nobis libenter impugnetur p. 96. Si conſtaret ſibi Atheus eſſet p. 98. Ratio improbatur, qua practicos Atheos deſcribit a p. 115.

Bulangerus. Ejus ſtultitia oſtenditur a p. 182. Calumnia quaedam ab eo in Chriſtianos illata confutatur a p. 326.

Buſſierius laudatur p. 263.

Burnetiana Collectio quid, & a quo adornata p. 13.

C

CAligula morti proximus Numen agnovit p. 131.

Canadenſis (Barbari) reſponſio de nulla a ſuis Religione ſuſcepta p. 49.

Canephius confutatur p. 82.

Caniliani Populi non Athei, at ſine ulla Religione p. 47.

Caſſinius laudatur p. 309. 310.

Chaldaei. Eorum artes ab Ethnicis etiam ſapientioribus ſpernebantur a p. 312.

Chamberſius (*Chambers*) reprehenditur p. 55.

Chiriguani quid ſentiant de Divinitate p. 217. 218.

Chriſtiani cur Athei habiti p. 36. 38.

Chryſippus quid de Deo ſentiret p. 111.

Cicero in hiſtoria Philoſophiae gravis auctor p. 111. qua ratione Deum eſſe, ſibi perſuaſerit p. 253. Ejus locus, ex quo auctoritatem Ethnicorum pro falſis Diis nihil valere concluditur a p. 289. Ejus libri de Natura Deorum Superſtitioni contra-

trarii p. 291. Ejus judicia exigui ponderis eſſe oſtenditur p. 313.
Clarkius (Samuel) laudatur p. 63.
Cleanthes quid de Deo ſentiret p. 111. Ejus celebre de Deo carmen p. 359. 360.
Clemens Alex. an jure a Baylio reprehenſus p. 37. 38.
Colerus (Joannes). An vita Spinoſae ab eo exarata corrupta ſit p. 135. 136
Cometae. Quid de illis Philoſophi ſenſerint a p. 307.
Conſenſus Humani Generis in agnoſcenda Divinitate debet ipſi Naturae tamquam cauſae tribui a p. 209.
Conſequentiarii quinam a Leibnitio dicti p. 57.
Conſtantinus Auguſtus cur Atheus habitus Juliano p. 36.
Cotta apud Ciceronem quomodo Epicureos confutet a p. 88. Atheos eſſe peſſimos homines judicat p. 152. 153.
Critias Atheus impugnatur p. 210. 211.
Cudworthus an Atheis arma ſuppeditaverit p. 71. 72.
Curdes cur Dei cultum negligant, ac Diabolum colant p. 51.

D

DAphides cur Atheus habitus p. 35.
Derodonius nimis amplificat numerum Atheorum p. 117.
Deus quomodo ſit definiendus a p. 57. fuſe. A quibus negetur ipſum eſſe Mundi auctorem p. 70. Alii errores de ipſo p. 70. 71. Ejus Unitas demonſtratur p. 225. Sapientia *ibid.* & 226. Immenſitas *ibid.* Quod ſit expers materiae *ibid.* & 227. Libertas *ibid.* Sanctitas, & reliqua Attributa ad Sanctitatem pertinentia *ibid.* Quod ſit Immutabilis *ibid.* De illius Providentia a p. 228. fuſe. Quae ſit Demonſtratio de illius Exiſtentia magis laudanda a p. 246.
Diabolus. Ejus notio cum notione Divinitatis nullo modo confundi debet p. 50.
Diagoras cur Herculis lignei femur abſciderit p. 349.
Dii an dici poſſint Naturae quaedam homine, aut etiam vulgo meliores p. 349.
Divinatio. Singulae artes, quibus eidem Ethnici operam dabant a pluribus ſpretae a p. 317.
Domitianus cur Domitillam, & Flavium Clementem damnaverit p. 35.

E

EClipſes. Philoſophorum veterum de illis opiniones a p. 302.
Epicurus, cur cenſuerit Deos non habere corpora noſtris ſimilia p. 76. ab Atheiſmi nota vindicatur a p. 85. Ejus ſententiae de Natura divina a p. 87. defenditur contra Cottam Ciceronis a p. 90. contra Buddeum a p. 105. cur Providentiam negaret p. 90. 91. & 105. Ejus opinio de Idolis a rebus in mentes defluentibus ridetur p. 146.
Epicurei non ex animo Providentiam eſſe negabant p. 131.
Ethnici cur Athei dicti ab Apoſtolo, & a SS. PP. p. 54. quibus argumentis probetur, eos Naturae divinae perfectionem utcumque cognoviſſe p. 75. 119. 120. *& alib.* ſapientiores inter eos quid de Divinitate ſentirent p. 76 77. quibus rationibus ſibi perſuaderent plures eſſe Deos a p. 293. quantum ab Atheis differant a p. 295. An omnes Polythei p. 345. *& alib.*

F

Fabricius (Jo. Albertus) laudatur p. 14. *& alib.*
Fabricius (Jo. Ludovicus) Ejus libri judicium a Leibnitio latum p. 13.
Fabronius (Angelus) laudatur p. 13.
Floridae populi non Athei p. 40. 41.
Formae plaſticae an ſint admittendae p 71. 72.
Formeyus laudatur p. 32. quid ſentiat de Barbaris, qui forte Deum non agnoſcant p. 33.
Fracaſtorius. Quaedam ejus carmina reprehenduntur p. 270. 271.
Fucherius (*l' Ab. Foucher*) laudatur p. 51. *& alib.*

G

Galibes non Athei, at ſine ulla Religione p. 46.
Gauchat. Impugnatur ejus ratio contra Baylii mendacium, quod ſententias revocent impii morientes, ut partem tutiorem eligant p 136.
Genuenſis carpitur, quod plures Scholaſticos immerito reprehenderit p. 247.
Gerdilus (Hiacynthus). Ejus ratio Atheiſmum declarandi rejicitur p. 83. 84. Ipſe tamen laudatur *ibid.*
Graeci quantopere Atheos odio haberent p. 79. & a p. 151.
Grewius an Atheis arma ſuppeditaverit p. 71. 72.
Grotius laudatur, & de Atheorum moribus quid ſentiat exponitur p. 154.

H

Hebraei ab Ethnicis Athei habiti p. 36. defenduntur contra Baylium p. 287.
Henoltius (*Mr. d'Henault*) ab Atheiſmo reſipuit p. 133.
Hiſpanica. Ejus Indigenae an eſſent perpetuo pueri p. 33.
Hiſtorici. Cur plures de Cometarum minis loquantur p. 306.
Hobbeſius intelligentiam materiae tribuit p. 67. in impietate ſibi non conſtat p 132.
Hookius laudatur p. 25. Quaedam ejus Demonſtratio Exiſtentiae Dei affertur a p. 141.

I

India. Cur de illa Strabonis tempore pauca tenerentur omnino certa p. 39. 40.
Jonici Philoſophi ab Atheiſmi nota vindicantur p. 104.

K

Kahle (Ludovicus Martinus) laudatur p. 100.

L

Lactantius. Ejus de Atheis praeclara ſententia p. 148.
Lazerus (Petrus) laudatur p. 223.
Lucretii teſtimonium de impiis non ex animo loquentibus p 130. id etiam de ipſo dici poteſt *ibid.* reprehenditur p. 241.
Lumen Naturae non poteſt eſſe in mentibus noſtris, niſi a Dei ſapientia a p. 138. fuſe.
Luna. An Genus Humanum erraverit in tribuenda Lune virtute, qua careat p. 300. 301.

M

Mahummedani quam male de Deo ſentiant p. 62.
Mahometus Effendius ob Atheiſmum a Turcis damnatus quanta protervia fuerit p. 121. 122.
Manichaei unum Deum agnoverunt p. 223. Ma-

Manilius non Atheus p. 252.
Martyres Chriſtiani ab iis, qui pro erroribus mortui ſunt, in quo diſferant p. 122.
Maſnata (Jo. Maria) laudatur p. 118.
Materia. An qui eam ingenitam ponit ſtatim ſit Atheus habendus p. 103. 104. An Veteres Philoſophi eamdem Spiritui, & ipſi Divinitati admixtam eſſe cenſuerint p. 362. 363.
Materialiſtae cenſentes notiones abſtractas non eſſe niſi mera vocabula confutantur p. 140.
Maximus Tyrius laudatur, & praeclara ejus de Atheis ſententia refertur p. 148. 149.
Merſennus nimis amplificat Atheorum numerum p. 116. 117.
Meyerus (Ludovicus) Atheus p. 135.
Mirabaudius (*Mr. Mirabaud*) Atheos odio haberi teſtatur ab omnibus gentibus p. 151. ejus nefaria doctrina de moribus p. 169. 170 quid novi attulerit contra Deum ſcribens p. 264.
Monteſinus (P.) laudatur p. 33.
Monteſquieus (*Mr. de Monteſquieu*) quantum varietati τῶν κλιμάτων tribuat p. 32. Ejus libri judicium p. 32.
Montezuma Mexicanus Imperator quid Hiſpanis reſponderit p. 32.
Mopertuiſius carpitur p. 188.
Moſes. Ejus auctoritas vindicatur p. 286.
Mundus. Quaeſtio de illius aeternitate a quaeſtione de exiſtentia Dei diſtinguenda eſt p. 108. Quid Philoſophi veteres de illius aeternitate, aut principio ſenſerint a p. 108. an a veteribus proprie dictum animal fuerit exiſtimatus p. 110. 111. non poteſt dici a Caſu factus p. 259. &c.
Muratorius laudatur p. 46.

N

Natura. An apud Barbaros melius quam apud nos vigeat ejus lumen a p. 27. quo ſenſu veritatem aliquam doceat p. 28. quo ſenſu corrupta per Adae crimen p. 30. an a ſe ipſa ſine Dei auxilio poſſit veras notiones a falſis diſtinguere p. 145. Ejus nomine quid ſit intelligendum p. 190.
Newtonus. Quid ſentiat de ſignificatione nominis *Deus* p. 57. An ea ſententia probanda ſit a p. 58. An ſenſerit ſubſtantiam Spatii Vacui eſſe Deum p. 100. argumento a Mundi pulchritudine ducto robur, ac lucem addidit p. 256.
Niewentitius laudatur p. 101. & 256.
Nonnottius laudatur p. 101.
Nouragues non Athei, at ſine ulla Religione p. 46.

O

Ocellus Lucanus videtur Unitatem Dei agnoviſſe p. 350. 351.
Onatus videtur idem agnoviſſe p. 351.
Oracula qua ratione ab Ethnicis culta fuerint p. 322. 323.
Oſthanes Perſa unum Deum agnovit p. 340.

P

Pagani. An omnes illorum Sectae Diabolum cognitum veneratae ſint p. 51.
Pantheiſtae veteres non fuerunt omnes Athei p. 110. ſunt tamen recentiores *ibid.*
Parckerus (Samuel) argumentum a Generis Humani Conſenſu ductum ſpernens reprehenditur p. 267.
Petavius laudatur p. 253.
Plato laudatur p. 5. & 60. an Atheos habuerit, qui Diis Providentiam ne-

negant p. 55. & 56. Ejus praeclara ſententia de Atheis non ſibi conſtantibus a p. 126. defenditur ea ſententia a Baylii tricis a p. 127. quandoque dixit unum eſſe Deum a p. 331. Ejus de Deo ſententiae a p. 351.
Plinius Mundum habuit Deum p. 189.
Plotinus. Quo argumento convictus unum Deum fateretur p. 328. 329.
Poëtae Tragici praeclara de Deo ſcribunt a p. 332.
Porphyrius. Ejus praeclara ſententia de barbaris gentibus contemnendis p. 25.
Providentia Dei. An qui eam non agnoſcunt Athei ſint p. 53. Agnita eſt ab omni Humano Genere a p. 234.
Protagoras Abderites. Ejus error de veritate tantum relativa confutatur p. 140.
Pyrrhonici quomodo confutandi a p. 269.
Pythagoras unum dixit Deum p. 331.

R

Rabbini Thalmudici peſſime de Deo ſentiunt p. 62.
Rapinus Atheorum numerum nimis imminuit p. 149.
Ricotius (*Ricaut*) laudatur p. 121.
Ruſſ[illegible]jus Patres accuſans confutatur, & reprehenditur p. 343. 344.

S

Sadder quid, & a quo compoſitum p. 340.
Sainthibales (*Mr. de Sainthibal*) Impiae illius querelae de Spiritibus Fortibus non perſeverantibus p. 132.
Saurinus. Praeclarum ejus de Baylin judicium p. 27.
Sceptici confutantur p. 146. & 147.
Seneca: Praeclara ejus de Divinitate ſententia p. 106. Divinitatis hoſtes non ſibi conſtare teſtatur p. 131. Aliae illius de Divinitate ſententiae a p. 357.
Sophocles. Ejus de Divinitate celebria carmina p. 332.
Spagnius (Andreas) laudatur p. 194.
Spinoſa. Mors ejus qualis fuerit a p. 134. an tandem Deum agnoverit *ibid.* Ejus error confutatur de cauſis finalibus in natura non agnoſcendis p. 143. 144. Ejus nefaria doctrina de moribus p. 167. 168. Ejus inſignis ſtultitia oſtenditur a p. 175. Ejus effugium ad cauſas infinitas confutatur a p. 261.
Spiritus fortes etiam nolentes innoteſcunt p. 119.
Stoici defenduntur ab Atheiſmi nota p. 106. & a p. 357. quid de Eclipſibus ſentirent p. 303. 304. Eorum de Deo ſententiae a p. 356. Cur in multos errores impegerint p. 360.
Strabo laudatur p. 39.
Syſtema Naturae Liber infamis p. 15. Ejus auctor *ibid.*

T

Thales non eſt Atheus habendus p. 104. primus Eclipſium tempora notavit p. 304.
Thebani apud Ægyptios cur Athei habiti p. 35.
Theodori Athei nefaria doctrina p. 166.
Thomas (D.) negat ab Ariſtotele Mundum aeternum fuiſſe poſitum p. 108.
Timaeus Locrenſis. Ejus de Divinitate ſententiae p. 351.
Tolandus veteres Pantheiſtas ſibi favere putat p. 110. ejuſdem ſtultitia oſtenditur a p. 178.
Tullus Hoſtilius Rex Romanorum ex impio ſuperſtitioſus p. 133.

Val.

V

VAlſechius (Antoninus) laudatur p. 149. 158. 161. & *alibi ſaepius*
Vaninii (Julii Caeſaris) ſtultitia oſtenditur a p. 173.
Varro quid cenſeret eſſe Deum p. 111. & 364.
Verba quaedam minus latina cur a nobis aliquando non rejiciantur p. 60.
Ulloa quid de Barbaris pluribus Deum, ut putat, non agnoſcentibus ſentiat p. 31.
Voltaerius, ſi conſtaret ſibi, Spinoſianus eſſet p. 100. Ejus levitas, & impietas carpitur p. 101. & rurſus a p. 184. & p. 195. & 203. & 285.
Vorſtius (Conradus) reprehenditur p. 223.

Z

ZEno Stoicus quid de Mundo ſentiret p. 111. ejus de Atheis morientibus praeclara ſententia p. 129.
Zoroaſtres. Doctrina ejus de unico Deo a p. 337.

FINIS

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
Pag. 3. tanti criminis inſimulatas.	tantae impietatis.
37. inter eos, qui nullam Diis &c.	nonnullam.
85. ejus fuiſſe criminis &c.	ſceleris
96. reprehendendum eſſe putem.	putarem.
157. eidem adhaerere.	eidem ſe adhaerere.
171. τινὰ ... ἄστι ... φῶσθαι.	τίνα ... ὥστι ... φοβοῦσθαι.
179. θιῶν.	θεῶν.

Manifeſta quaedam alia Typographi errata eruditus, idemque humanus Lector per ſe facile corriget.

Digitized by Google